



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Allocutiones Sacræ, Svper Evangelia Dominicarvm totius anni**

**Jahoda, Johann**

**Pragæ, [ca. 1659]**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51496)




05

Th. 3005.

H III  
9

P 213





# ALLOCUTIONES

SACRÆ,

SVPER EVANGELIA  
DOMINICARVM

totius anni.

*Habite*

Ad Studiosam & Academicam Juventutem  
in Vniuersitate Pragensi,

ANNO

M. DC. LIX.

*Collegij Socij 1551 Paderborna 1678.*



---

PRAGÆ,  
Typis VRBANI GOLIASCHE.

ALPHABETIQUES

2 A C R E

DOMINICAN  
C A R E O

Abbot & A. ...  
Archbishop ...

A. ...



Typis ...  
GOLLASCH



SERENISSIMO  
P R I N C I P I  
C A R O L O  
J O S E P H O,  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c.



Liber hic, cùm eum ad Te  
SERENISSIME ARCHIDVX,  
destinaret Autor *P. Ioannes Ia-*  
*hoda, è Societate IESV*, restitare  
cœpit, ac trepidare; caufatus  
in Augusta illa Domo, quæ solos Magnos nu-  
merat, sibi pusillo locum non fore. Videri à se  
FERDINANDOS ( Avum, Patrem, Fratrem-  
que Tuum ) tanta nomina, quæ numina voca-  
ret prisca gentilitas. Videri à se LEOPOLDOS,  
( Cæsarem & Archiducem; Fratrem & Patru-  
(†) 2 um )



um) quibus Te reliquit Mater Tua LEOPOL-  
DINA, ut inter ipsos velut geminos LEONES  
incedens LEVNCVLVVS, fieres quoque illorum  
similis LEO. Videri à se Temetipsum, ætate  
licet minorennem, animo tamen non minùs  
atque nomine CAROLVM, id est Magnis pa-  
rem, qui Pallados togatæ armatæque studijs  
ad eam virtutis magnitudinem virili planè pas-  
su contendis, quam in Austriacis PRINCIPIBVS  
venerabundus Orbis hucusque suspexit, &  
etiamnum suspicit.

Sed cùm attentius circumspectando simul  
in Te videret JOSEPHVM, mox animosior fa-  
ctus, non dubitavit intima Tua pulsare adyta,  
quòd videret tantum comitatis esse in JOSEPHO,  
quantum majestatis in CAROLO. Et ne  
incomitatus ad Te intraret, nos *pusillum* MA-  
RIÆ nascentis gregem excivit, qui eum Tibi, ve-  
luti sui nuper Præsidis partum in strenam dica-  
remus, certi nulli melius *Allocutiones ad Studio-  
sam Iuventutem* deberi, quàm PRINCIPI JV-  
VENTVTIS. Patieris hos, tametsi agre-  
stes, Eloquentiæ sacrae flores à Serenitate Tua  
fere-

Serenari, siquidem omnia SOLIS habes, quem  
DVPLO SOLE, veluti suam pupillam, geminus  
ambit LEOPOLDVS. (a)

a LEOPOL-  
DVS  
ana-  
gramma  
DVPLO  
SOLE.

Et sicut Sol citra domesticæ lucis dispen-  
dium etiam disita, citra magnitudinis præju-  
diciū etiam minima irradiat; ita Tu SERE-  
NISSIME ARCHIDVX gratiæ radios ad nos  
usque reflectendo, nihil de nativo splendore  
& magnitudine imminues: imò Solem illum  
divinum æmulaberis, qui posteaquam *exulta-  
vit ut Gigas ad currendam viam*, (b) ad parvu-  
los nihilominus respexit: *finite*, inquit,  
*parvulos venire ad me*. (c)

b Psal. 138.

c Mat. 23.  
14.

Quòd si cum Menandro Solem *commune*  
licet vocare *hospitium*, quidni & JOSEPHVM?  
Semper enim hætenus JOSEPHI Nutritios  
egere; nec in eorum Domo ullo unquam  
tempore *Panis* defuit. Abundat præ ceteris  
Pane, SERENISSIMA DOMVS Tua, de qua meri-  
tò dici potest: *pinguis est panis ejus*, \* *præbebit*  
*delicias Regibus*. (d) Sed JOSEPHVM ante  
Te non habuit, nisi fortè idem sit de Domo  
Austria-

\* Eucharis-  
tia.

d Gen. 49.  
20.

Austriaca, ac de Domo Josephina esse. Pri-  
mus hoc nomen sorte felicissima sortitus es;  
quod si non Primum, certè Tibi manebit Se-  
cundum, dum uti semper Magnus dicèris CA-

Gen. 49.  
22.

ROLVS; ita *Filius accrescens* JOSEPH. (e)

Hoc vovet.

SERENITATI  
TVÆ

*Æternam devota*

Sodalitas Minor Divæ Vir-  
ginis Nascentis Pragæ in Col-  
legio Societatis I E S V, ad S.  
Clementem.

## AD LECTOREM.



Ecdum opus hoc sub Autoris calamo bene maturuerat, cum (ut primi partus festinare solent) literæ impatiens in publicum prodire gestiebat, quantumlibet ei occlamaretur:

*Nescis heu! nescis docti fastidia secti  
Crede mihi, nimium turba moderna sapit.  
Audieris cum grande sophos, dum basia captas,  
Ibis ab excusso missus in astra sago.*

*Martial.  
lib. 1. epig.  
ep. 4.*

Verum excusabis audaciam istam, Amice Lector, ubi consideraveris parvis rebus commune hoc esse vitium, ut ament conspici. Parva sunt, fatemur, quæ leges; sed sicut *in magnis voluisse*, ita à parvis incepisse *sat est*. Quis facile à summis coepit? Ne ipsa quidem natura tantum virtutis habet: *omne siquidem principium grave*. Et fuit enim verò adeo grave libri hujus Autori, ut animum omnino despondisset, nisi Auditoribus suis, qui jam quadriennio ipsum pro Corona sua dicentem audiunt, servendum duxisset. *Allocutiones sacras*, quàm Conciones appellare libuit, tum quia inter tot famosos Concionatores censeri meritò verecundabantur, tum quia sacræ methodo scholasticam subinde admiscerent. Quanquam exquisitum in ijs, & phaleratum stylum ne quæsieris; cum veritas & doctrina Evangelica, per simplicia magis, quàm composita verba clarescat.

Alterum in Festa Opus sub ferula etiamnum est, quod & ipsum (si modò faverint Superi) brevè fortè castigatius Tibi exhibebitur. Vale.




APPRO-

APPROBATIO  
CENSORIS.

**E**go infrascriptus hasce Allocutiones accuratè legi; Et cum in eis nihil, quod Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium esset, invenerim; imò pluri-  
ma pulchra Et utilia, ideo dignissimas judico, quæ lu-  
cem videant.

**Daniel Vitus Nastaupil à Schiff-  
berg, SS. Theologiæ Doctor, Metro-  
politanz Ecclesiæ Pragensis Canoni-  
cus, V. Consistorij Assessor.**

**Imprimatur**  
**Ioannes Franciscus ab Aschensfeldt,**  
**Præpositus, Officialis.**



# DOMINICA I. ADVENTVS.

## Eclipsis Divini Verbi.

*Erunt signa in Sole. Luc. 21.*

*Trismegist:  
apud Sto-  
baum lib. 1.  
eclog. phys:*



Ene dixit, quicumque dixit; stellas & Astra Deorum esse oculos. Ut enim oculi affectuum sunt indices, è quibus facile, quid in animo lateat, licet colligere: ita qui scire vollet, quo erga terrigenas affectu ferantur coelicola, astra inspiciat.

*Virg: 1.  
Georg.*

*Sol tibi signa dabit: Solem quis dicere  
falsum*

*Audeat? ille etiam cecos instare tu-  
multus*

*Sape mones, fraudemq; & operta tu-  
mescere bella.*

canit Poëta. Imperante Constantino tantus fuit Solis defectus, ut meridie stellæ viderentur. Inde Judæorum tumultus emerit; tredecim Vrbes in Campania motu terræ prostrata. Post ipsius Constantini Mors, Filiorum inter se bella, & gravia Persarum contra Romanos prælia. Anno Christi 937. Sol item sereno cælo obscuratus quasi sanguineus apparuit, adeo ut ipsi radij per fenestras transmissi eundem colore præferrent. Imò, ut Historicus refert, visus est sanguis per aliquot dies ex Sole effluere, unde magna pestilentia subsecuta, & subitanei hominum interitus.

*Zonar:  
tom: 2.*

Lothario imperante Paderbornæ *Cranz. l. 1. c. 23.* duo subinde circuli Solem ambivèrè, quorum interior Ecclesiæ magnitudinem, exterior Urbis latitudinem complectebatur. Vix dum evanuerant, exortum est incendium, & urbs pene tota cum Ecclesia abiit in cineres, plenumque meridiem nox caliginosa involvit. Anno 1618. prægrandis ille & memorabilis cometes, quid aliud, quam *bella horrida bella* quibus per 30. annos misera flagravat Germania portendebat? Anno 1642. quo Svecicus miles in Germaniam venit, per inferiorem Saxoniam, & supra ipsa Svedica castra visus est ingenti claritate gladius cruentus cum annexa virga, cujus acies versus Marchiam Brandeburgicam protendebatur. Nimirum

*Brachel. l. 6.*

*Nunquam futilibus excanduit ignibus Mamilius  
ather.*

Nullum tamen majus cæli prodigium, nulla tam mirabilis eclipsis ab Orbe condito spectata est, ac illa, quam hoc sacro Adventus Dominici tempore Ecclesia reminiscitur, ubi jam non Sol hic materialis, sed ipsum divinum *lumen de lumine* obscuratum, & obtenebratum est, id quod nunc observabimus.

A Re-

- Regni Judaici habenas moderante, improbilissimo & in paucis nefario Rege Achaz, anno ejus tertio, grandis belli procella, grandis armorum tempestas Hierosolymis incubuerat. Tempestatem excitarent gemini Toparchæ; Rasin Rex Syriæ, & Phacæ Rex Israël. Iamque *requieverat Syria super Ephraim*, hoc est, jam universus pene Syriæ populus ad Samariam Ephraimiticæ tribus Metropolitim collectus confederat, inde unâ cum Israëlitis confederatis instar ruentium aquarum Solymam inundaturus. Fit pavor; tremor & concutitur ad conatus eorum Achaz.
- Isa. 7. 2.* *Ut quatitur trepido fraxina virga noto.*
- Ovid: in ep: Canaces.* Nec mirum, ut qui mollem *carne* brachium suum posuerat, videlicet, Regem Assyriorum, quem sibi adversus hostes subsidiarium adsciscere cogitabat. At videte Dei benignitatem! cum alioqui maledictum pronuncjaverit eum, qui confidit in homine, & ponit *carne* brachium suum, maledicto isti, dum id vel maximè agit ob quod maledictione dignissimus erat, brachium suum alioqui *irrevelabile* revelare non dubitat. Mittit ad eum Prophetam, & hunc Prophetarum Principem, qui titubantem erigat, pavitantem corroboret, auxilium divinum, quod scelestus humano postposuerat, ultrò adpromittat; insuper ad faciendam & stabilendam promissi fidem, signi sive de cœlo, sive de profundis terræ petendi optionem faciat: *Pete tibi*, inquit, *signum à Domino Deo tuo sive in profundum Inferni, sive in excelsum supra.* Quod cum ille non quidem aulica urbanitate, sed plusquam inurbana rusticitate petere recusat: *Non petam & non tentabo Dominum*, subijcit Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet.* Hoc est illud, AA. omnium admirabilissimum signum, quod in divino Sole ipsiusque divinitatis oculo factum est, cum *Verbum caro factum est.* Eclipsis nunquam ante hac visa, & subtilissimum quemque etiam Angelicum intellectum excedens, adeo ut illâ visâ, qui in Nazareth Legatus mittebatur Archangelus stupore nimio horis novem (vel, ut alij existimant, integrâ nocte) expleta legatione coram Virgine attonitus steterit.
- Novarin: Electa. S. l. 4. c. 24.*
- Tribus potissimum modis eclipsin fieri Abulensis docet Tostatus. 1. Per subtractionem productionis radiorum. 2. Per interpositionem Lunæ aut corporis alicujus opaci. 3. Per subtractionem ipsius lucis. Si divinum Verbum incarnatum consideremus, omnibus his tribus modis eclipsatum, inveniemus. Et primùm quidem videbimus illud absque radijs. Fabulantur Poëtæ Phaëthontem Solis filium à Clymene Matre instigatum ad Patrem accessisse, ab eoque an se legitimæ prolis loco haberet, explorare voluisse; quem cum Genitor
- Abulens: in Mat: c. 24. q. 155.*
- oculis quibus aspicit omnia vidit  
-- circum caput omne micantes  
*Deposuit radios propiusq; accedere jussit, Amplexuq; dato; nec tu meus esse negari Dignus es, & Clymene, veros, ait, edidit ortus.*
- Ovid: l. 2. Met.*
- Habitabat ante hac Dei Filius, ut loquitur Apostolus, *lucem inaccessibilem,*

1. *Timoth. 6. 66.* *lem, nec ob immensam luminis copiam à quoquam conveniri aspicique poterat: cum ecce ad primum naturæ humanæ (quam de purissima Virgine suscepit) occursum & amplexum radios omnes deposuit, liquidem posthac in-*

*Baruch. 3.* *terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

*Non bene conveniunt, nec in una sede morantur*

*Majestas & amor - -*

canebat ille. Et Reges quandoque (quos terræ Soles liceat appellare) dum amori vacant, Majestatem exunt, & Solarem, cum familiarius quempiam alloqui volunt, deponunt vultum. Sic Assuerus majestate Angelus Estheri apparuit, quæ visis ejus

*Esth. 15. 10.* *ardentibus oculis, præ terrore corrui, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput: At Rex animadverso dilectæ Reginae deliquio statim in mansuetudinem conversus exilivit de Solio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, hic verbis blandiebatur: quid habes Esther? Ego sum Frater tuus; noli metuere.*

Sic Rudolphus II. Imperator, licet eam vultu præferret majestatem, quæ ipsos interdum Legatos ad sui conspectum faceret obmutescere; tamen in sermone familiari adeo svavis fuisse fertur, ut ipsa videri svavitas posset; quod idem pene in Ferdinando III. à multis observatum est. Quid porrò de Cōdro Atheniensium Rege dicam? Hic, cum ingenti hostium exercitu Attica Regio debilitata ferro ignique miserandum in modum vastaretur, diffi-

dentiâ humani auxilij ad Apollinis Delphicum oraculum confugit, perque Legatos sciscitatus est, quonam pacto tam grave bellum discuti posset. Cumque idolum respondisset, tum demum illi finem fore, si ipse hostili manu occubisset, nimio suorum amore, depositis Imperij insignibus, assumptoque gregarij militis habitu in palantium hostium globum sese injecit, unumque ex ijs falce percussum in sui cædem proritavit. Nimirum nullus facile Iaculator, sed nec ipse Cupido in serenum Solem dirigere tela potuit; in obscurum potuit. Et Philippus Macedo dum Astra micantia certat configere, oculum ipse suum malè cautus configit. O infinitum æterni Regis erga nos amorem! qui nostræ salutis gratiâ sagittari ut posset, claritatem nativam occuluit, & admirabili commercio vestimenta regia cum sacco corporis nostri permutans, largitus est nobis suam Deitatem. *Ingressus hac*

*infima novo ordine, inquit S. Leo, novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: Universtitatis Dominus servilem formam obumbratâ majestatis dignitate suscepit: impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subjacere. Nec aliter ferè mellifluus Bernardus: Ut in-*

*visibilis videretur à nobis, habitavit in nobis. Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis. Verbum in carne, Sol in nube. Sed ut tantò plenior sit eclipsis: Ecce occurrentem Soli Lunam, eumque circumdantem. Lunam de qua vaticinatus est Propheta; *Fœmina**

*Leo serm: 2. de nativ.*

*Bern: serm: 2. de cœna Dom.*

*Ier. 31. 22.*



- circumdabit virum.* Quæ & qualis femina? utique illa cui acclamantur.
- Cant. 6. 2.* Angeli: *Pulchra ut Luna.* Quis autem Vir? Non alius certè quàm ille de quo canitur: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse exultavit ut gigas ad currendam viam; à summo cælo egressio ejus.* Licet enim Filius Dei quæ homo conceptus, staturâ sit infans: est tamen à primo suæ conceptionis instanti Vir, sapientiâ, gratiâ & gloriâ perfectus, & ideo ab Itala vocatur *fortis, Princeps pacis, Pater futuri seculi.* Adumbrata fuit hæc eclipsis in erroribus licet caliganti Augusto, à quo sub ipsa Nativitatis Dominicæ tempora visam in Sole Virginem, ulnis infantem complexam tradunt historiæ. Eodem Augusto post necem Julij avunculi sui Urbem primùm ingrediente sub consulatu Antonij Anno ab V. C. 710. horâ circiter tertiâ repente li- quido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus Orbem Solis ambiit, ut testatur Svetonius. Circulus ille, ne dubitate, B. Virg: MARIAM significabat, quæ Divinum Verbum, *in modum circuli undequaque integri & perfecti* intra se clausit; ex quo sequitur, ait Cornelius à lapide, ipsum Verbum ejus esse centrum. Sed si centrum; ergo punctum: si punctum, ergo nihil; punctum enim definimus: *cujus pars nulla*, omninoque à parte rei non dari contra Zenonem cum Aristotele salubrius tenemus. Ita est, AA. Filius Dei in hac admiranda eclipsi omnino in nihilum abiit. Nam, ut fatetur Apostolus, *cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit*, vel ut alij le-
- gunt, *evacuavit, exhaustit, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Hominem & nihil plane esse synonyma de cuit Vir ævo nostro in paucis eruditus I. Lipsius, qui sepulchro suo hoc diu antè præmeditatum, inscribi voluit epitaphium.
- Vis altiore voce me tecum loqui?  
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,  
Et scena imago, & verbo ut absolva; nihil.*
- Poterat ergo DEI Filius in instanti Conceptionis suæ dicere, quod Severus Imperator jam moriens: *Heri omnia fui; hodie nihil sum;* heri in Augusto obambulabam palatio; hodie in Augusto uteri virginei coarctor ergastulo: Heri eram omnipotens, hodie infirmus; heri imperabam, hodie servio: heri nullum habebam principium; hodie incipio: heri fui purus Deus; hodie sum creatura: heri fui circulus, cujus peripheria nusquam; hodie sum punctum, cujus pars nulla.
- Quis auditit unquam tale! quis vidit huic simile?* exclamat Augustinus. Romani Veteres & Persæ cum Solem vel Lunam deficere & eclipsari videbant, credebant eam omnino annihilari, & ab inimico aliquo Dracone devorari; hinc ut deficienti succurrerent, pulsabant æra, furcisque, lanceis, fustibus, omni que armorum genere instructi in campum prodibant incondito clamore vociferantes, si fortè bestiam illam terrefacere, & ab esu Lunæ revocare possent. Meminit hujus superstitionis Plutarchus in Vita Æmilij, ubi hæc habet: *Cum venisset nox, & a cana re-*

versi essent ad somnum & quietem. Luna tum plena & sublimis, repente cepit nigrescere, & ubi lux eam defecit, coloremque mutavit, prorsus evanuit. Romanis, ut mos est, lumen ejus tinnitu revocantibus, ignesque multos tadis & facibus ad caelum tollentibus, &c. Divus Ambrosius ait, elementa ipsa compati, cum caeli luminaria defectum patiuntur. Nam horum, inquit, tristi deformique aspectu omni tempore hominum animi conterriti expaverunt, trepidaruntque, occulto scilicet sensu naturam praesagiente secutura damna. Sed bono simus animo Auditores. Non est quod hinc damnum aliquod metuamus, ubi de nostra agitur salute;

nec semper eclipses omnibus fatales fuere. Certè sub sancto, vereque magno Imperatore Carolo post saepius obscuratum Solem & Lunam ceperunt regna in melius mutari, bella crudelissima contra Gentiles & Saracenos, Germanos & Sclavos feliciter gesta: Fides Christiana ubique propagata, devictis infidelibus & idololatris. Ad eclipsin Divini Verbi trepidant equidem Inferi, marent Demones, idola concutiuntur, Luciferianæ vociferantur phalanges: at nos præ gaudio, ut Verbis Chrysoligi utar, totam pulsemus cordis & corporis nostri symphoniam.

Rhegin:l.2.  
Chron.

Chrysol:  
ser. 95.



DOMI-

## DOMINICA II. ADVENTVS.

Mollis vestitus minimè humanus.

*Hominem mollibus vestitum?* Matth: II.

Rovidentissima Vniuersi  
 Parens natura, uti svavi-  
 ter omnia disposuit; ita  
 jucunda varietate omnia  
 nativis quibusdā indumentis contexit:  
 unum hominē nescio cur omni amictu  
 adeo destituerit, ut is quò suæ occurrat  
 nuditati, sive ab avibus peñas, sive à be-  
 stijs villos, sive ab ovibus vellera, sive à  
 vermibus stamina, sive ab herbis licia,  
 sive ab arboribus folia emedicare com-  
 pellatur. Et tamen (ò dementiam!)  
 alienis spolijs beatissimum sese putat;  
 quodque priùs in animantibus ut vile  
 & fœdum averfabatur, in se ipso gra-  
 tiosum existimat, utque suam venusta-  
 tem ultra omnes creaturas efferat, ne-  
 scio quibus sese fucis pingit actingit  
 versicolore luxu. "Trahimur omnes

*Crescol:* " (ait nonnemo) incredibili cupiditate  
*mystag.* " elegantissimi instructus splendorisque  
*l. 4. c. 13.* " vestium: & hoc ideo, quòd anima quæ  
 " post corporis scenam latet, nec videri  
 " potest, nec magnificentiam suam o-  
 " stendere, in externo illo apparatu quo-  
 " dammodo lucet & triumphat: ut ro-  
 " sa, quæ de nocte calyce involuta suo ad  
 " illustre Solis lumen purpuram suam  
 " explicat & nitescit. Sed contrarium  
 planè Divus sentit Chrysostomus, dum  
 illum elegantix in vestitu amorem

*Chrys: ep. 2.* morbum anima gravem appellare non  
*ad Olymp.* dubitat, aitque esse argumentum ma-  
 gnum corruptæ mentis, læsi, contur-

batique judicij. Nam quomodo ex  
 vestitu gloriam capter anima, unde  
 perditæ innocentix rea dignoscitur?  
 quomodo in eo gloriatur homo, quod  
 ipsa bruta illi reputant in probrum?  
 dum enim nudus manebat, animalibus  
 in amore & honore fuit. Nudum  
 Pæmenem feræ sunt reveritæ; vestitum  
 velut non agnoscentes discersere.  
 Pachonem item nudum coluerunt hye-  
 næ, & expectantem etiam pro voto suo  
 devorari, solùm sunt ausæ venerari o-  
 sculis nuditatem, & pro ablutione ho-  
 spitali lingere. Fautinus inter feras  
 14. annis, solo nuditatis privilegio se-  
 curus egit. Didymus quidam nudis  
 pedibus colubros comprimens, licet  
 ipsa conculcatione stomachatos, non  
 innocuos tantùm, sed patientes exper-  
 tus est. Nimirum timeri à serpenti-  
 bus & honorari exutos homines; in-  
 vadi vestitos communis fert scripto-  
 rum opinio. Quòd si Augustino cre-  
 dimus dicenti: *Hoc unusquisque indu-  
 tus dicitur, quod est, & profitetur,* mani-  
 festè sequitur eos qui mollibus vestiun-  
 tur, speciem humanam minimè profi-  
 teri, uti præsentī sermone declarabo.

Posteaquam infelices Protoplasti à  
 statu innocentix (in quo nuditate so-  
 la satis tecti manebant) degenerantes  
 magno suo posterorumq; malo cogno-  
 vissent se esse nudos, tum primùm sibi  
 ipsis deformes videri, tum latebras  
 quæ-

*V. Euseb:*  
*Nierenber:*  
*de arte vo-*  
*luntat: l. 1.*  
*cap. 6.*  
*August. 9.*  
 47.

*Gen. 3. 7.*

quærere, tum de vestibus & corpore, tegendo consilium capere. Ipsi itaq; Sartores consueverunt folia ficus, & fecerunt sibi perizonata. Proh quale indumentum! Poterātne quid induere asperius, scabrius, molestius? Cur non potiùs palmæ, laurive folia, cur non delicata texuere vimina? Credo equidem, jam tum Posteris documentum dare, voluisse, vestitum pœnale quid, & nihil aliud quàm notam & stigma peccati esse, perinde ut compedes & vincula maleficorum. Adam, inquit Ambrosius, ex eo, quòd folijs ficu s lumbos succinxerit, vestem peccatricem ex arbore ficu in posteros transmisit, ut quasi ficu, id est peccato induti nascerentur. Et Antiochenus Præsul: Ignominia est & condemnationis, & ex peccato venit amictu indigere. Idcirco & Adam induit Deus vestes pelliceas, similiter & ejus mulierem, quamvis, si voluisset, delicatis eos potuisset induere vestibus. Sed nobis denuo & per illos ostendit, quòd non sit præsens tempus deliciarum, sed gemendi & plangendi. Ipsemet Dei Filius ut, primùm hominem profiteri coepit, pannosus omnino, rudiq; & aspero amictu prodijt.

*Vagit infans inter arcta  
Conditus præsepia;  
Membra pannis involuta  
Virgo Mater alligat,  
Et Dei manus pedesque  
Stricta cingit fascia.*

Nec à Domino suo abluit Præcursor, qui à tenero puero vestimentum aliud non gestabat, quàm de pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos suos,

velut hæc propria humanæ conditionis signa, differentiæq; primo-distinctivæ forent. Vnde non sine admiratione exturbis hodie quæritur: *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum?* Quasi hominum in censu minime cenferi deberet, qui sic vestiretur. Sed ergone Aulici Regumq; ministri ex hominibus excommunicabuntur, siquidem protinus ibidem subjungitur: *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt?* Siccine aulae splendide quædam caulæ, pictaq; palatia perforatarum larvarum fient receptacula? Divus certe Hilarius hic non tam veros Reges, quàm Dæmones significari docet; ait enim: *In Regibus transgressionum Angelorum nuncupatio est; hi enim seculi sunt potentes mundi, dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus Regum sunt, id est, eos quibus per luxum fluida & dissoluta sunt corpora, esse Dæmonum habitationem.* Quippe Diabolus qui naturâ suâ turpissimus est, nihil habet potius, ac splendore unde unde furari, seseq; in Angelum lucis transfigurare. Hinc Tertullianus Dæmones vocat illustrium ornamentorum autores. At, verò Reges aliunde ornari non egent, quos ipsorum majestas ac dignitas orbifatis reddit conspicuos. Quemadmodum Severus Imperator dicebat: quem cum nonnulli viliores contentum amictu admirarentur, hoc responso factum suum defendit: *Imperatoria majestas virtute constat, non corporis cultu.* Sanè Austriaci Imperatores præ cæteris, hic moderati fuere. Rudolphus I. simplici & grisea veste utebatur; ad quem cum Rex Bohemiæ Ottogarus homa-

Matth: 11.

Hilar. can: 11. in Mat:

Tertull: de habit. mulier, c. 2.

Brunson. l. 3. c. 13.

Amb. l. de parad. c. 13.

Chrys: quòd regular. fem. & c.

Matth. 3. 4.

gij

*Iust. Lips:  
l. 2. politic.  
c. 15.*

gij praestandi gratia splendido adventaret ornatu, monuere Aulici, cultius indueret sese, talem Regem admissurus. At Rudolphus renidens: imò, inquit, Rex Bohemiae griseum meam vestem saepe derisit, nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. Rudolpho non dissimilis Carolus V. victoriosissimus Imperator, in cultu corporis adeo modicus vixit, ut id non parum mirarentur Itali in primo ejus & solenni Mediolanum ingressu. Cives novo Domino quam splendidissime omnia instruxerant, plateas aulaeis, tabulis, frondibus, sese quisque vestibus pretiosis exornaverant, umbellam auream paratam quae ingredientem tegetet. Cum ille & Imperator, & non semel Rex ac Princeps, in lanea atra penula, & vili pileo sub eam se dedit. Videbant eum, & requirebant: Matronae praesertim, & virorum vaniores, qui trabeas, & illusas auro vestes, & fulgentes in capite colloque gemmas expectabant. Nec alia ferè ceterorum Austriacorum Principum cultus ratio, quod ipsorum, quas ob oculos habemus effigies, sat liquide demonstrant. Quam gravis Ferdinandi I. habitus! quam frugalis Maximiliani! quam parcus Rudolphi & Matthiae! ut nihil dicam de Ferdinandis Secundo & Tertio, quos ipsi quam modestissime vestitos in publico toties spectavimus. At quod de sua Anglia olim Stapletonus, idem mihi nunc de nostra Germania queri licet, in tantum nimirum vestium luxum crevisse, ut qui Henrici VII. (dicam ego Romanorum Imperatorum) fuit vestitus, vix hodie nobilem medio-

crem deceat: & quo olim Duces, Marchiones, Comites usi fuerunt, eo nunc inferior nobilitas utatur; nobilitatis verò inferioris amictu veteri vix mechanici & villici agrorum jam contenti sint. Ut quod Christus dixit: *Ecoe qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*, jam multò latius pateat, & in quibusvis nobilium, civium, villicorum domibus mollibus vestiantur, tam viri, quam feminae: utque ad multos jam in Anglia, Gallia, & Germania viros mollissime comptos & cultos illud Diogenis iterum dici debeat, quod is cuidam adolescente muliebriter vestito dixit: Non te pudet qui pejus tibi velis, quam ipsa natura voluit? Illa siquidem te virum esse voluit, tu te ipsum ex vestitu mulierem facis. Et verò quis non feminis quam viris similiores nostrates nunc dicat adolescententes, quibus femoralia (caligas vulgò dicimus) togarum muliebrum instar circulantur, & dilatantur, thoraculi subtiles & curti circumstantur, lineae manicae ut folles distenduntur, ligulae, simbriae, rosulae, noduli, flosculi & id genus, penè dixerim meretricia ornamenta undique appenduntur. Sane Augustus Caesar vestitum ejusmodi luxuriae nidum appellare solebat; & Lacedaemonij solis meretricibus floridas vestes gestare permittebant, teste Clemente Alexandrino. Divus autem Hieronymus nimium sese ornantes & ostentantes planè lupanaribus aude comparare.

Porro si homo Grammaticis generis solum est masculini, nonne merito ex hominum genere expungendi, qui mulie-

*Sveton. in  
Octav.  
Clem. Alex. pedag.  
l. 2. c. 10.  
Hie. ep. 27.  
de vitand.  
contub.*

liebrem profitentur sexum? Et sicut monstrum censeremus eum, qui physice mutato sexu è Viro in Fœminam transiret; quidni monstri loco sit videre hominem mollibus vestitum? Monstra à monstrando etymon ducere nemo vestrum credo dubitat; & quid aliud personati isti volunt, nisi se ipsos monstrare, videri, ac dicier hic est? In fœminis quidem hoc non ita vitiosum, quæ cum aliunde parum sint commendabiles, saltem à forma & ornatu exteriori spectabiles efficiuntur: at in viro, cui virtus pro vestimento esse debet, quis id ut monstruosum non excretur? Ignobilium viliumque animorum communiter hæc studia sunt; qualis ille in Franciæ finibus (de quo Richter) homo ignobilis ac sordidus, qui ut honorem passim aucuparetur, splendida veste, non secus ac simia in purpura prodijt. Salutatur ab ignotis, & reputatur nobilis. Rogantibus autem amicis, cur habitu, suæ conditionis oblitus, tam splendido uteretur? non videtis, inquit, hoc ævo, quòd vestis faciat virum? Et statim vulgatum illud distichon subjecit:

*Vir bene vestitus, in vestibus ipse peritus  
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.*

Sed verè idiota fuit, qui hoc sibi persuasit; nam ut pulchrè Romanus Sapiens:

*Sen. lib. 2. quemadmodum stultus est qui equum  
ep. 47. empturus, non ipsam inspicit, sed stratum  
ejus ac frenam; sic stultissimus est, qui hominem  
ex veste estimat.* Hinc ut stultam

*Staples: in illam phantasiam in popularibus suis  
pomp. Dō. corrigeret civis quidam Londinensis,  
2. Adv. cum ad Prætoris domum prandendi  
gratiâ non admitteretur, quòd medio-*

criter, honestè tamen indutus veniret, domum reversus extemplò vestem nobiliorem induit. Hac ornatus sine mora intromittitur, accumbit, prandet. Prandio finito cum de more singuli Prætori gratias agerent, ille togam exutam mensæ imponit, magnâque cum reverentia togæ suæ de hoc prandio gratias agit. Cujus insoliti facti causam ubi dixisset, communis erroris & opinionis vanitatè singuli cognovère. *Querat honor vestes, non vestis quarat honorem*

cecinit nonnemo. Et Cræsum in simili argutè perstrinxit Solon, à quo dum rogaretur, an pulchrius unquam spectaculum se ornato vidisset, Philosophica non minùs libertate, quàm veritate; vidi, respondit, gallos gallinaceos, phasianos atque pavones.

Quid aliud quæso tot ille in capitibus hodie cristæ indicant, quàm meros gallos? quid explicata illa togarum volumina, nisi pavonum sirmata? quid tot hinc inde appensæ varij coloris ligulæ referunt, nisi pennatas aliquas volucres & phasianos? Sed ô ferales volucres, quæ mundi interitum brevè secuturum portendunt! Bonifacius enim Papa non dubitavit dicere, vana vestium ornamenta esse prænuncia advenientis Antichristi.

Illius quippe aula talis erit, quam multò minùs ac aulam Assveri licebit cuipiam ingredi sacco vestito. At nos, qui Christum Regem nostrum legitimum paulò post venturum expectamus, exemplo Præcursoris saccos & cilicia induamus, si honestè illi occurrere volumus. Hic vestitus nobis cumprimis

B con-

Richter. in  
axiō. polit.

Bonifa. ep.  
48.

Esth. 4.

connaturalis est; quid enim tam proprium homini ac peccatorem se profiteri? quid tam utile ac culpam agnoscere? quid tam necessarium ac poenitentiam agere? Sic à puero incedere didicit S. ille Edmundus Christo familiarissimus, cui Mater sua, dum illum Parisios ad studia mitteret, duo dedit cilicia, monens ut bis terve in hebdomade ea gestaret, ac deinceps alia ac alia submittebat; unde in tantum induruit, ut cilicijs in super lorica adderet, & in virum eximia virtutis, adeoque Cantuariensium Episcopum evaderet.

Nec Seculares Aulici cultū ejusmodi à se alienum existimare debent, quibus proprium ad virtutem conniti, quæ non serico, sed ferro; non plumis, sed armis; non bombyce, sed lorica trilice indui amat; non lecto, sed campo; non vestium nitore, sed pulvere oblectatur, ideoque à Seneca tota pulverulenta, & callosa appellatur.

De antiquis Thracibus cecinit aliquando Sidonius:

*Sidon: A-* Thracum terra tua est heronū fertilis ora.  
*poll. in pa-* Excipit hic natos glacies & matris ab alvo  
*neg. An-* Artus infantum molles nix civica durat.  
*themij.* Pectore vix alitur quisquā, sed lacte relicto  
Virtutem gens tota bibit

Experientia quippe compertum est, proles quæ duriter educantur fieri robustas, viriles ac longævas; cum contra mollis educatio illas effeminet, vitæque brevioris faciat. " Vidi, inquit noster

*Corn. à* " Cornelius, in Alpibus robustissimos vi-  
*lap. in* " ros ac feminas, in frigore vix vestitos,  
*Thren.* " in aquis gelidis nudipedes incedere &  
*c. 3.* " laborare, imò ludere. Si ergo natura-

lis ita exercetur virtus, quidni supernaturalis? Nam cælum multo magis quam terra vim patitur, & violenti rapiunt illud? Violenti utique, non effeminati; duris, non mollibus vestiti. Hinc S. Casimirus in eo se verum probavit aulicum, quod inter ipsas aulae delicias juveniles artus aspero domaret cilicio, spretoque regij lecti mollietate, dura cubaret humo. S. Ludovicus sub purpura regia asperissimum semper occultabat cilicium. S. Guilielmus nudum pectus lorica obarmabat. Theodosius Imperator cum audisset supremum diem, obiisse Chebrorum Antistitem, qui sanctimoniam vitæ valde celebrabatur, sacrum ejus conquiri diligenter jussit, & licet mirè sordidatum honoris ergo, atque ad augendam animi religionem induit.

De Carolo Magno ita scribit Autor vita. " Corpus ejus (mortui) vestimentis Imperialibus vestitum, & sudario sub diademate facies operta est. Cilicium ad carnem ejus positum, quo secretò semper induebatur. Quid quod de ipsa Angelorum Regina S. Gregorius Turonensis fateatur, se divino oraculo edoctum, ex quo Templum ingressa est, sine cilicio beatam illam carnem pungente vixisse nunquam; vestesque ejus è vilissima lana nullo infectas colore fuisse. Ex quibus & similibus exemplis stabilita manet Pictaviensis Præfulis doctrina; videlicet molliter vestiri, non tantum Regium non esse, sed nec aulicum; non Christianum, sed Christiano sub spinoso capite viventi planè indignum.

Mat. 11. 12.

Socrat. l. 7.  
c. 22.Pitheus in  
" vita Car:Fran. Xim:  
l. 2. de vita  
Christi c.  
47.

DOMI-

## DOMINICA III. ADVENTVS

### Honorum fuga tutissima ad honores via.

*Non sum ego Christus. Ioann: 1.*



X quo lubricus Orci serpens humanum genus divinis honoribus titulare coepit, tantam eminentiae cunctis ingessit cupiditatem, ut tota licet hominis vita sit tentatio super terram, nulla tamen frequentior, & subtilior, quam in puncto honoris. Hæc sicut in constantes cadit viros; ita à constantia facillimè deijcit. Quis enim non movetur honore? quis non vento gloriae agitur? quis flatu popularis auræ non jactatur? Annosæ etiam quercus ista subvertunt flamina; & roborea alioqui pectora flectunt, ut arundines. Quid? saxo immobilior Stylites hic flecti potuit, jam jamque de columna sua casurus videbatur, ni crucem pro fulcro habuisset. Idem enim scyphanta, qui primos parentes divinitatem ambire docuit, Simeoni Eliæ honores placere fecit: advectus enim per aëra curru igneo, candentibus rotis, equis ore & naribus flammæ efflantibus, pone Sancti viri columnam tantisper constitit, de hinc talia fatus: *Dominus misit me Angelum suum ut rapiam te sicut rapui Eliam. Ascende ergo mecum in currum, & camus in celos. Optant te videre Sancti Angeli, Apostoli, Martyres & Propheta cum MARIA Matre Domini. Ad hæc dicta Simeon cum jam dextrum pedem in currum protendens pro more signaculo crucis*

*Anton: in  
ejus vita.*

frontem muniret, extemplò omnis ille flammeus apparatus ab oculis discessit. Tentavit & hodie per sui similes serpentes Phariseos Domini Præcursores, tentavit, inquam, non solum an Elias; sed an omninò Messias esse vellet: verum Joannes arundineæ levitatis nescius, cum tanta virtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se; confessus est & non negavit quia ego non sum Christus. Ex quo ipso tantos meruit honores, ut divino oraculo inter natos mulierum pronuntiaretur maximus. Honor enim fugientem sequitur, sequentem fugit; quod hodie illustrandum suscepi.

*Greg. hō. 7.  
in Evang.*

Epeo timidior non nemo repertus est, qui propriam umbram pro capitalissimo hoste habuit. Mirificè enim illam extimescebat (scribit antiquus autor) modo in dextram, modo in sinistram declinantem, nunc prorsum occurrentem, nunc subsequenter à tergo. Eiusque insidias usque adeo formidabat, ut excito saepe gladio in illam irruerit, nitens omni astu umbram conficere; quod, cum frustra conaretur (est enim acerrima corporis imitatrix umbra, omnesque motus atque impetus illius emulatur, & quoties ille aut gladium strinxerat, aut ictum vibrabat, seu casum seu punctum appeteret, illa rursus quasi ad præscriptum pares vires obibat) tandem sibi persuasit, nihil

*Caelius Cal-  
cag. tract.  
de profectu*

B 2 esse



esse umbrâ cautiùs, aut infestius: timensque, ne quando imprudens ab ea opprimeretur, oraculum adiit de servitute sua anxius. Cui responsum est ab oraculo: COLE PERSPICVA.

Cic. l. 1.  
Tusc. 99.

Umbrâ naturam in omnibus imitatur Honor; ut qui nihil sit aliud, quàm virtutis umbra, dicente Tullio: *est nihil in se habet gloria, cur expeatur, tamen virtutem tanquam umbra sequitur.*

Quæque illud Valerij Poëtæ jure sibi usurpavit:

Martial.

*Insequeris? fugio: fugis? insequor.*

Et quidem multos sanctimoniâ & virtute clarissimos viros ita saepe est insectata, ut tantum non exanimaverit. S. Chrysostomus amico Basilio de se ipso fatetur: *à die, quo mihi Episcopatus suspicionem injecisti, factum identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur: tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit.*

D. Ambr.  
l. 1. offic.

D. Ambrosius, ubi se à populo ad Episcopatum Mediolanensem deposci intellexit, vehementer consternatus nocte intempesta urbe profugit. Non potuit tamen sequacem istam virtutis suæ umbram ita effugere, quin ex fuga retractus Pontificalia insignia cogeretur suscipere. Augustinum non solum renuentem, sed etiam lacrymantem tenuerunt Hipponenses cives, & Episcopo ordinandum intulerunt. Gregorius Magnus cum electionem Cleri, populi que Romani (qua ei summa dignitas decernebatur)

Ioan: Diac. *evitare niteretur, silvarum saltus petijt; lib. 1. vitæ cavernarum latibula requisivit, in quibus Greg: c. 39. dum ab omnibus summa sollicitudine qua-*

*reretur, indicio columna fulgida super se jugiter à cælo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, & ad D. Petri, Apostolorum Principis, summus Pontifex consecratur.* Basilium item Magnum, quia vi Cæsarienses ad Episcopatum trahere non poterant, tandem dolo ac fraude officiosisque mendacijs expugnârunt; de quo Nazianzenus: *neque enim honorem sequutus est; sed honor sequutus est eum.* Et quod de Paulâ scribit Hieronymus: *fugiendo gloriam, gloriam mercbatur: quia virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui deservens, appetit contemptores.* Quid quod nonnullos hæc umbra planè exanimaverit? Contigit Nilamoni, inquit Hieronymus Platus, spectatissimæ virtutis viro, ut communibus omnium ordinum votis in Episcopum Hierapolitanum eligeretur: ille verò postquam consilijs, hortationibus, precibus, lacrymisque omnium diu se immobilem præstitit; ad extremum accedente hortatore Theophilo Episcopo Alexandrino, ne refractarius magis, quàm modestus videretur, si tanti viri auctoritatem aspernaretur, diem ad deliberandum efflagitavit, quo in oratione transacto, genibus solo affixis in eodem orationis loco postridie mortuus reperitur. Magnarum mentium hoc proprium est, ut nusquam timidiore videri velint, ac præsentem honoris umbrâ: id quod in Elephanto, veluti in vivo symbolo spectare licet, qui uti beluas omnes corporis mole simul & tali quali prudentiâ antecellit (nam elephanto belluarum nulla est prudentior ait ille) ita umbrâ propriæ adeo pavidus

Greg: Naz: orat. funeb: de lau: Bas. fil.  
Hieron. in epit. Paula ad Eustoch.

Platus l. de Cardin. dignit. c. 30.

Possidon. in vita Aug.

Symocatta 9-3. Physic. dus fertur, ut, ne eam aspicere cogatur, bibiturus aquam prius pedibus turbet. Philosophi cujusdam hac super re testimonium subijcio: Elephantum dicunt non prius bibere, quam aquam proboscide collatulerit. Nec fictum est quod dicitur. Exhorret umbram sui in aqua visam elephas. Quapropter & Indi illumnem & obscuram noctem observant, quando hoc animal transfretare volunt. Quin & ipse Sol (cui vel maximè umbra adhæret) quantò altiùs ascendit, tantò minores umbras amat, imò alicubi locorum ferè nullas: pari ratione viri Sancti, quò altiùs in virtute fuerint progressi, eò minorem honorum umbram sibi comitem desiderant, ait famosus Germaniæ scriptor. At verò qui Horizonti vicini ambulant, humiles & pronæ in terram animæ, semper magni, imò se ipsis majores videri, & idcirco umbras etiam longissimas ambiunt, sed quæ eis occasum certissimum portendunt. Ita cecidit, vel occidit potius Lucifer ille, qui jam tum cum manè oriebatur honores divinos affectabat, & voluit esse similis Altissimo; in quem est illa præclara D. Bernardi investiva: *O Lucifer qui manè oriebaris, imò jam non Lucifer, sed Noctifer, aut etiam Mortifer! Rectus tuus cursus erat ab Oriente ad Meridiem, & tu præpostero ordine tendis ad Aquilonem? quantò magis ad alta festinas, tantò celerius ad occasum declinas. Sedo, ais, in lateribus Aquilonis. Heu miser! in lateribus Aquilonis? Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudi-*

nem presumis potentia. Quanti tamen usque hodie sequuntur fœda infeliciæque vestigia: imò verò quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem? Vult credo dicere mellifluus Pater; ignem fatuum sequimini, quem Philosophi docent esse exhalationem viscosam, & bene conglutinatis inter se partibus constantem, nocturno tempore vel per antiperistasin circumstantis aëris frigidi, vel per mutuam partium collisionem accensam. Quæ lucernula & levis flammula aëri velut innatat, & ad ejus motum facillimè in omne latus cietur. Hinc si quis in eam partem ambulet, ubi illa lucula lucet, statim ad motum impulsæ aëris ante insequentem fugit. Vbi verò hic averso itinere abire occipit, fluxu ejusdem aëris post tergum fugitivi coeuntis abeuntem insequitur. Quæ res homines ignaros sæpe in fatuitatem dedit, unde & nomen fatui ignis ille accepit, plerumque autem sequentes se in præcipitia vel voragine deducit. O quot hætenus ab honoribus deducti sunt in præcipitia! quot in monte & culmine dignitatum invenère ruinam! Nolo hic nota commemorare exempla; unum recentem etiamnum memoriâ gestum sufficiat, quod Hispania in Calderonio non sine lacrymis spectavit. Natus hic Antverpiæ, parentibus tenuis admodum fortunæ, domoque, uti Sixtus V. de se dicebat, ita illustri, ut Solis radijs pervia esset. Adolescens cum

P. Cornicus  
 in meteor.  
 Disp. 2. q. 1.  
 dub. 6.

Brachel.  
 histo. nostri  
 temp. l. 1.  
 a. 1621.

cum Patre in Hispaniam abductus, atque in familiam Francisci Rogij Sandovalij tum Marchionis Dianensis & Cancellarij Arragoniæ adscriptus est: hoc illi principium honoris pariter atque exitij fuit. Nam à florente tum Sandovalio, qui postea unus ex Ecclesiæ Purpuratis, apud Philippum III. summum amicitia gradum obtinuit, in aulam inductus & mox inter intimos secretioribus Regis negotijs adhibitus. Quæ res invidiam illi apud summos juxta infimosque festinavit, insitâ mortalibus naturâ (Taciti verbis utor) ut recentem aliorum felicitatem agris oculis introspectant, modumque fortunæ à nullis magis exigant, quàm quos in æquo videre. Patrem suum obscuritati natalium tegendæ negare ausus; tandem pœnitentiâ ductus (an quod celare posse diffideret) agnitum ad honores maximos evexit. Quos tamen ille tenuitatis pristinae memor modestè & cautè gessit, identidem filio infelicem exitum prædicens. Vxorem duxit ex illustri Vargorum familia Agnetem, Olivæ & septem Ecclesiarum Dominam; divitiarum atque opum magnitudine, quarum annuus proventus bis centena aureorum millia attigit, multos Hispaniæ Magnates superavit. Tandem regnante adhuc Philippo III. cum declinandæ invidiæ, cui impar jam erat, Vallisolerum concessisset, ejecto simul ex aula Lermæo Duce, cujus gratiâ opes Calderonij maximè nitebantur, gliscente mirum in modum publico odio jussu Regis comprehenditur. Biennio ferè

& sex menses de reo etiam per tormenta quæsitum, varijs criminibus postulabatur, artium magicarum & necis in Margaritam Reginam, multosque illustres veneno procurata. Quæ tamen cum parum probarentur, absolutus est. Sed in Augustinum Avilam & Franciscum Ivarram cædis convictus præter alia complura, mortis sententiam accepit. Datum bi-duum animo ad æternitatem comparando, magno pœnitentiæ & fortitudinis exemplo transegit; demum Mæditi erecto in foro theatro producitur damnatus, mulæ insidens; circa illum viginti religiosi variorum ordinum; major numerus licitorum; ipse capillo & barbâ in pectus promissâ horridus, & Crucifixi imaginem manu præferens, ad fatale pegma pervenit. Ibi sella lignæ impositus, & obvelatis oculis more Hispanico secandum guttur carnifici præbuit. Sic cecidit, qui post fatuum honoris ignem incautus abiit. Invenit in dignitate scopulum, unde tantò gravius rueret. O quàm longè tutiùs inter privatos parietes latuisset! quàm salubriùs aulas vitare, quàm frequentare didicisset! nullibi enim ac in aulis majora sunt præcipitia. Sed utinam quæ honores comitatur ruina in solius corporis jactura sisteret! Animæ hîc magis metuendum, quæ sicut dignitatibus præ corpore extollitur, ita præ illo periclitatur. *Mirabile est, si salventur multi Prælatorum, ait Orator aureus, & potentes potenter tormenta patientur, inquit Sapiens. Multos Infularum, magni tituli & officia ad gehen-*

*Chrysostomus  
34. in ep. ad  
Hebr.  
Sap. 6. 7.  
nam*

V. Baron.  
ad a. Chri-  
sti 983.

Hieron. de  
Reg. Mo-  
nach. c. 15.

nam præcipitarunt, qui si privati man-  
fissent, aternâ nunc fruerentur gloriâ.  
Bonifacium VII. qui teste Baronio,  
in specie horribilis monstri à morte  
cuidam apparuit, quid nisi corona  
Pontificalis perdidit, quam sibi per-  
sumum scelus, legitimo Papa Ioan-  
ne XI V. fame enecto, usurpavit? Et  
perdidisset similiter unum alium, de  
quo scribit Hieronymus, nisi is salu-  
brius consilium patruî Episcopalem  
dignitatem dissuadentis arripuisset.  
Post obitum enim hilaris & jucundus  
" Patruo apparens: " gratias, inquit,  
" tibi Pater refero ex dissuasione Episco-  
" patûs: nam scito, quia nunc essem de  
" numero damnatorum, si fuisset de  
" numero Episcoporum. Zacharias  
" Propheta c. 2. ait: *Ostendit mihi Do-  
minus Iesum Sacerdotem magnum stan-  
tem coram Angelo Domini, & Satan sta-  
bat à dextris ejus. Quanta Spiritus  
turpissimi impudentia, ut dextram  
summi Sacerdotis audeat occupare!*  
Sic est; semper maximæ Prælaturæ ac  
dignitates, Satanam quàm vicinissi-  
mum habent. Quæ res (Gregorij Na-  
zianzeni verba sunt) *ita me terret, ut ne  
cogitem quidem de Præfectura.* Ter-  
ruit & Pium V. virum humillimum,  
qui ubi se summum Pontificem no-  
minatum ac electum intellexit, pro-  
pè exanimis concidit. Causamque  
rogatus, modestè respondit: *Cum  
essem Religiosus Ordinis S. Dominici, o-  
ptimè de salute mea sperabam; creatus  
verò Episcopus, ceppi de ea formidare:  
nunc verò electus Pontifex ferè ceppi de-  
sperare. Quid ita Beatissime Pater?  
Quomodo enim ego Deo rationem tot mil-*

*lionum animarum que sunt in mundo red-  
dam, qui vix unius anima mea rationem  
reddere valeo? Sed bono sis animo; ne-  
mo enim securiùs præest, quàm qui  
minimè præesse vellet. Quid? ipsa  
honorum fuga & contemptus summa  
est gloria, summa celsitudo, summa  
claritas. In Aaronis virga symbolicè  
id adumbratum video, de qua Exod. 7.  
tulit Aaron (vel ut Hebræi legunt,  
abjecit) virgam suam coram Pharaone  
& servis ejus, & versa est in colubrum.*  
Vbi interpretes nonnulli virgam hanc  
ajunt fuisse pastorem baculum seu  
Moysis agolum, quod erat tanquam  
sceptrum & summæ dignitatis insigne.  
Dum manu tenebatur, miraculorum  
sterilis manebat; at cum primùm ab-  
ijcitur prodigio esse incipit: sic cum  
dignitatis fastigium reculatur, quasi  
miraculum quoddam patrat; longè  
namque pluris eum facimus, qui post  
honores, quàm qui post aurum non abiit;  
ac proinde: *quis est hic & laudabimus  
eum? fecit enim mirabilia. Cum co-  
gnovisset Iesus, quia venturi essent Judæi  
ut raperent eum & facerent eum Regem,  
fugit in montem, ait Evangelista. Sed  
quis iste fugæ modus? cur non potius  
latebras & silvarum occulta petijt,  
ubi tutiùs latuisset? cur ad montem  
properavit, unde magis insequentibus  
patebat? Nempe hoc ipsum credo in-  
nuere voluit, neminem magis specta-  
bilem usquam fieri posse, ac in fuga  
honoris. Vti enim ex D. Bernardi  
mente, nihil tam inglorium, quàm glorie  
cupidum deprehendi: sic nihil tam ho-  
noricum, ac honorum minimè am-  
bitiosum videri. Quando Henrico I.*

Ber.ep.126.

Cranz. l.3.

Sax. c.3.

Saxo-

Saxonia Duci svasu Conradi I. Cæsaris imperium deferebatur, modò in Italiam prædecessorum more venire dignaretur, & Ioannes X. insuper coronam cum consecratione promittebat, Henricus satis sibi videri respondit, quòd primus ex sua familia ad Regni culmen immeritus pervenisset, diadema Imperij maioribus debitum se non ambire. Hoc cognito Saxones, manus in cælum levavère, quòd tali modestia Principem haberent. O modestiam meritò admirandam quia divinam! Inter multas Julij Cæsaris laudes Cicero maximè deprædicat ejus in hostes animi moderationem, aitque: *animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobi-*

*Cic. pro Marcello.*

*litate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum hominibus comparo, sed simillimum Dijs judico.* Ita ego simillimum Christo, imò Christi particulam judico, qui in tanto animi per se ad honores propensi impulsu modum tenere novit. Hinc D. Gregorio teste, Ioannes cum non vellet appetere nomen Christi, factus est membrum Christi: quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Atque adeo dum confessus est & non negavit, quia ego non sum Christus, hoc ipso occasionem suspicandi dedit Judæis, an non esset Christus.



DOMI-

## DOMINICA IV. ADVENTVS.

Cunæ &amp; fasciæ Salvatori nascituro præparantur.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc: 3.

- V**erissime divinus dixit Sapiens: *Spes, qua differtur, affligit animam. Si enim desideranti inuisa est quævis mora, quid longa expectatio? Cum expectatio longior est, consenescit animus, & debilitatur mens, & nihil aequè amarum, ac diu pendere, inquit Seneca. Consenescere hæctenus nimium quantum poterant veterum Limbicularum animi, & non debilitari solum, sed omnino frangi leves sine corpore mentes, quingentis jam pene seculis promissum Messiam expectantium, & usque & usque necquicquam clamantium: *rorate coeli desuper, & nubes pluant Iustum; aperiat terra, & germinet Salvatorem.* Itane tardi in adimplendis promissis sunt superi? itane difficulter, quam semel obligarunt fidem, exolvunt? Itane qui alijs præcipiunt: *si quid vovisti, ne moreris reddere, ipsi pacta sua tam diu morantur? Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* clamat David, quasi diceret, ut incognitus quidam explicat: *usquequo Domine oblivisceris humanam naturam, mittere dicens Filium tuum, qui est finis legis & Prophetarum, qui est facies Dei? Respice igitur, & exaudi me Domine. Respice oculis illius expectatissima faciei tue.* Sed expecta, reexpecta ô bone David. Vel ideo Deus Filium hæctenus mittere tardavit ( cum Seraphico Doctore loquor ) ut promissum beneficium tantò avidius expectaretur, expectatum differretur, dilatatum amplius desideraretur, diu desideratum ferventiùs amaretur, gratiosius susciperetur, atque sollicitius servaretur. Est & Mater Ecclesia diebus istis tota in expectatione, tota in desiderijs, & affectibus, tota in ô! ô! ô! Clamat per integram hebdomadem, quotidieque duplicat: ô Sapia! ô Adonai! ô radix Jesse! ô clavis David! ô Oriens! ô Rex gentium! ô Emmanuel veni, veni! Nec otiosa hæc videri debent desideria; nam licet Christus jam ab hinc mille sexcentis quinquaginta & octo annis venerit; tamen gratiosissimi illius adventus annua re-presentatio, non minori aviditate, quàm si primùm faturus esset, expectanda est. *Semper enim novum* (ait Bernardus) *quod semper innovat mentes; nec unquam vetus, quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcescit.* Unde acriter invehitur in eum, qui *indevotus, ingratus, irreligiosus, anniversarium Christi Domini natalem tanquam minimè novum non desiderat.* Olim, inquit, coepit audiri verbum hoc, *ô nemo Sanctorum aliquando fastidivit. Tu verò solus ineptè fastidiosus, qui nauseas ad ea mysteria, quæ ab omnibus Sanctis avidissime appetuntur; hanc natalitiam celebritatem non appetis, non desideras, neq; toto, ut par est, animi affectu præ-**

Bonavent.  
in breviloq:  
p. 4.Berna. ser.  
in Vigil:  
Nat. Dom:

C stola-

stolaris? Rem profecto, si qua uspiam esse potest, indignissimam. Ne ergo censuram tanti Doctoris incurramus, affectus nostros, quantum possumus, erga tantum mysterium accendamus. Ego illud modò docebo, quænam à nobis excipiendo Salvatore sint præmittenda.

Ingeniosa in cultum D. Virginis Hispania speciale octo ante Nativitatem Domini diebus festum celebrat, sub titulo EXPECTATIONIS MARIÆ, quâ horam illam felicissimam partûs sui incredibili desiderio expectabat, seseque ad illum quàm ferventissimè disponebat. "Quis enim credat (ait

*Escobar in*  
*Maria*  
*Expect:*  
"Recentior Hispanus) eo tempore, quo  
"mensis ferè nonus à sacro ageretur,  
"conceptu, otiosam fuisse Virginem,  
"nullamque, vel exiguam habuisse rationem hebdomadam ac dierum, imò  
"horarum, quas gravidæ mulieres ad sumum usque partum diligenter observant? En igitur tibi alteram Sapientem Sunamitidem, quæ summo Prophætæ, aut potius Prophetarum Domino mensam, candelabrum, lectulumque studiosè paravit. En sollicitam, ac officiosam planè Martham, quæ cum in maxima tanti partûs, novique hospitis expectatione foret, non potuit fascias, lintea, & id genus alia, quæ instanti puerperio deservirent, non suis conficere manibus, & ob singularem Filij reverentiam apparare, ingenioso semper amore, sollicito erga filios affectu materno. Christum non dubito, universi parturitis, Christo pragnantes estis, Christi Matrem agere vultis; nam illo ipso fatente: *quicumque fecerit voluntatem Patris, qui in cælis est, hic ejus*

*Mat. 12. 10.*

Mater est: Agite igitur, quæ Matrum sunt officia, & nascituro divinissimo Infanti

Primò omnium adornate cunas, sive lectulum. Apud Lacoenas puerorum cunabula erant clypei, qualia & Hercules cum Iphiclo Alcmenæ filij habuère, teste Theocrito:

*Lavit ubi genitrix, & lacte implevit* Theocr:  
*utrumque,* Idyll: 4.

*Arato imposuit clypeo - -*  
quo etiam allusisse videtur Claudianus accinens Honorio:

*Reptasti per scuta puer - -*

Sed non hæc puero Bethlemitico conveniunt, qui non ad bella, sed ad pacem; non ad sumenda, sed ad constanda arma nascitur; nam ut vaticinatur Propheta, vocabitur nomen ejus *Princeps pacis*, in cujus diebus homines *constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

*Isai. 2. 4.*

*Aspera tunc positis mitescent secula* Virg: l. 1.  
*bellis* *Æneid.*

*Claudentur belli portæ - -*  
poteritque falcibus inseribi illud Martialis:

*Pax me certa Ducis placidos constavit in usus,* Martial. l.  
*Agricole nunc sum: militis ante fui.* 14. epig. 34.

Et verò si *historias veterum revolvamus*, inquit Hieronymus, *invenimus usque ad vigesimum octavum annum Augusti Cæsaris, cujus quadragesimo primo natus est Christus in Indea, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes con-*

*Hier. in c. 2. Isai.*

tra vicinas gentes arfisse studio praliandi, ita ut caderent, & caderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando sub Præsede Syria Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & Evangelica doctrina Pax Romani Imperij preparata, tunc omnia bella cessaverunt, & nequam per oppida & vicos ad pralia, sed ad agrorum cultus exercebantur. Malè proinde illum super clypeum locaremus, siquidem non venit homines perdere, sed salvare; & in quo, ut ait hodie Joannes, videbit omnis caro salutare Dei. Quasi diceret: non videbit sanguinarium aliquem Julium Cæsarem, qui prædicare solebat; undeciescentum & nonaginta millia hominum, præter eos qui civilibus bellis perijissent, suo ductu & auspicijs cæsa: non videbit cruentum Pompejum, qui spatio triginta annorum vigehes semelcentena octoginta tria millia: non Alexandrum, qui uno contra Darium commisso prælio nonaginta millia Persarum: non Annibalem, qui Romanorum ad Cannas 40. millia ferro delevit; sed videbit Salvatorem, videbit plusquam Josephum Ægyptium, plusquam Moysen, plusquam Othonielem, Gedeonem, Samsonem: hi enim à servitute tantùm temporali suos liberarunt; ille autem *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Meliùs idcirco argenteas, quàm ferreas illi cunas convenire judicarem, quales Godefrius tertius Brabantia Dux habuisse fertur, què infantem sub tempus prælij in cunis argenteis ex arbore suspensum, referunt historiæ, ut ejus cõspectu præliantium militum animi succenderen-

tur. Verùm qui non argentei solùm, at planè aurei *seculi Pater* futurus prædicatur, in ipsum omnino aurum dignus est, qui includatur. Passim Interpretes per aurum intelligunt charitatem. Nam sicut illud inter metalla, ita hæc inter virtutes primatum tenet; sicut illud omnia vincit, ita & charitas; sicut illud in igne, ita hæc in adversis magis elucescit, ac proinde nõ aliud intellexit & Joannes, quàm charitatem, cùm Episcopo Laodicie scripsit: *sondeo tibi à me emere aurum ignitum*. Aurum istud non in corde terræ, sed in corde hominis crescit; unde cor totum aureum habere dicendus est, quisquis charitate plenum habet. Huc huc itaque Puer de Bethleem (sic eum cum Seraphico Francisco appellare liceat) huc, inquam, optimè reclinabitur. Si enim Cæli *gemma*, & *margaritum*, si unio & lapis pretiosus, si rubinus, si carbunculus est, quò decentiùs includi poterit, quàm in aureum corculum? Sic inclusus est in corde B. Margaritæ à Castillo, quæ amore pueri Jesu ita ignescebat, ut totos etiam dies coram præsepio in ejus contemplatione deliciaretur. Cùm defunctæ intestina extraherentur, ut corpus ob devotionem fidelium aromatum beneficio incorruptum servari posset, res mira! in corde extracto tres gemæ reperiæ sunt, quarum prima pulcherrimam feminam referebat; & Virginis puerperæ figuram esse omnes subsignarunt: secunda speciosum Infantulum, quem oves circumdabant, repræsentabat, & hic erat Virginis filius *speciosus formæ præ filijs hominum*: tertia honestum &

V. Alcazar  
in Apoc. c.  
1. pag. 223.

Apoc. 3. 18.

Anton. de  
la Penna in  
ejus vita.

Plutarch<sup>9</sup>

Matth. 1.



venerabilem virum continebat, & pone illum columbam candidam; atque Sanctissimum Josephum notabat, qui in Virginis sponsum columbæ signo electus est. Hinc illæ viventis etiamnum Margaritæ voces identidem audiri solita: *ô si sciretis vos, quod ego in*

*Surius in* corde meo gesto & retineo! Quid dicam  
*vita S. Ign.*

de S. Ignatio Antiochenæ Ecclesiæ Antistite, qui in qualibet cordis particula divinum istum thesaurum reposuerat? Nam post mortem corde ejus in minimas partes conciso, unicuique Nomen Jesu impressum cernebatur. Est, est Jesu amans cor suavissimum ejusdem, lectulus, in quo libentissimè cubat, facillimè obdormiscit, ut passim testantur imagines, quæ Jesulum in corde dormientem representant, cum inscriptione; *ego dormio & cor meum vigilat.*

*Apud Drexel. de Christo nasc. p. 1. c. 6. S. 1.*

*Dio Cass. in Trajano.*

*Ioël. 2. 13.*

Sed jam parato lectulo fascias quoque præparemus necesse est. Opinatur nonnemo panniculos, quibus infantem Jesum B. Virgo involvit, è virginis velamentis confectos esse. Num ergo & nos vestes proprias interulasq; in fascias discindemus? Trajanus quidem Imperator, post Decebalum Dacorum Regem prælio victum, cum sauciatis militibus ligamina deessent, suam ipsius vestem in lacinias conscissam inter eos partitus est vulneribus obligandis. At qui jam pridem monuit: *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, lacinijis hujusmodi se minimè delectari ostendit. Devotæ animæ affectus carissima ei ligamina sunt. In hos totum nostrum pectus discindamus, & repetamus sæpius cum Sponsa,

*O quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te, & deosculer te, & jam me nemo despiciat. Apprehendam te, & ducam in cubile cordis mei, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Repetamus cum melleo Bernardo:

*Desidero te millies*

*Mi Jesu quando venies?*

*Quando me letum facies?*

*Me de te quando saties?*

Talibus desiderijis & affectibus summè illum ligavit S. Antonius de Padua, qui supra modum erga Infantiam Salvatoris affectus erat, unde cum alicubi peregrinus in cubiculo sine arbitris ageret, hospes domûs, cubiculum fortè transiens, miram intus advertit claritatem, observansque curiosius per rimam quid ageretur, vidit pulcherrimum Infantem super librum Sancti, quem ille brachijs stringens suavissimè amplexabatur, diuq; contemplans avelli ab eo non poterat. Nimirum difficulter rumpuntur vincula, quæ divina nexuit charitas; nam *fortis est ut mors Jesu dilectio*. Sic quoque divinum hunc Infantem captivavit B. Stanislaus Kostka, dum Viennæ Austriæ è gravi morbo decumbens inter ferventissima ejus potiundi desideria ex ipsis B. Virginis manibus velut alter Simeon in suas ulnas suscepit. Sic P. Alphonfus Barzana Societatis Jesu, cui familiare fuit nunquam quieti nocturnæ sese tradere, quin ad lecti caput statuam pueri Jesuli quasi secum dormituri statueret. Extremo morbo, cum nocte aliqua nescio quo-

*Surius in e-  
jus vita 13.  
Junij.*

*Sachin. in  
ejus vita.*

*Philip. A-  
legambe in  
biblioth.  
script. Soc:  
Jesu.*

quomodo ejus oblitus Infirmorum custodia dem in clamasset, suum sibi dilectum porrigeret, ipsemet se sicut coram aegro Infans, dicens: *ne fatigare; en hic ego tecum sum.* Quam nos felices & beatos reputaremus, si vel ad unum momentum simili ejus praesentia frui, si vel uno amplexu stringere, si vel unum osculum & suavium roseo illi multumque amabili vultui imprimere possemus! At heu! quem toties realiter praesentem habemus, non agnoscimus. Quoties ille in sumptione SS. Eucharistiae, si non visibiliter (ut S. P. N. Ignatio, aliisque multis) realiter tamen ac personaliter, non in ulnas tantum nostras, sed ipsa intima viscera descendit! Et tamen quo affectu, quo devotionis sensu, quo gustu suscipitur! Ah! saepe nullo, saepe tam aride ac frigidè, qualiter nec vilissima persona. Vidi ipse subinde, & ingemui, ad sacram synaxim accedentes oculis huc illuc evagari, cum vicinis confabulari, & in risum non sanctum, sed sacrilegum resolvi: à communione verò statim sese ex templo proripe-

re, cum obiter aliquid ex libello obfibilassent. Hoc hoc est bonum Jesulum in nivibus & frigore relinquere; quem admodum Religiosus aliquis Cisterciensis in Brabantia observavit. Videbat is Christum elegantissimi pueri specie in nivibus sedentem ac praeter algore multum trementem ac plorantem; qui causam tanti fletus rogatus, respondit: *heu me! heu me! quare non flerem? quare non ejularem? Ecce vides, quod egens in frigore sedeo, & non est qui calefaciat me.* O immites Christi Novercas! quomodo enim matres appellem, qui se tam barbaros erga divinissimum Infantem exhibent? Salomon veram Matrem ab adulterina ex eo solo discrevit, quod illius viscera commota sint super Infantem qui dissecari debuit; hujus autem minime. Certè cujus viscera super nascituro dulcissimo puero non commoventur, hunc omni saxo ac sipylo duriores esse oportet: hic non tantum non illius Mater, sed tyrannus, sed alter Herodes est.

*Cantiprat.  
l. 2. apum.  
c. 1.*

*3. Reg. 3. 26.*



DOMI-

## DOMINICA INFRA OCT: NATIVITATIS.

Rari crescentes.

Puer crescebat. Luc. 2.



Erborum parvus Evange-  
lista, cum paucis alioqui  
Christi pueritiam com-  
plexus sit; tum nescio qua  
de causa multis memorabilibus præte-  
ritis crevisse eum memoret: *Puer au-  
tem crescebat.* An singulare quid &  
novum est, puerum crescere, augmen-  
tari, & in majus proficere? imò verò  
inter raritates non minima censetur, si  
spithamæus pumilo maneat. Cardanus  
refert, pumilionem perfecta ætate,  
cubiti longitudine in psittaci cavea  
per Italiæ Vrbes circumlatum, ac in-  
star prodigij ostentatum. In Ægypto,  
inquit Nicephorus, natus est homo in-  
fra eam staturæ brevitatem consistens,  
ut perdici similis esset. *Neque ingra-  
tum spectaculum erat, si cum illo globus  
hominum conversaretur, & ad contentio-  
nem excitatus colluderet.* Porro, quod  
mirabile dictu est, prudentia ei inerat,  
qualis homini formoso competit; vox à  
Musis non abhorrebat: sermo mentis ge-  
nerositate spectandam exhibebat; vixit  
ad annos viginti quinque. In quadam  
Indiæ ora spithamæi Pigmæi degere  
narrantur, ternas spithamas longitu-  
dine non excedentes, quos à gruibus  
infestari Homerus, & ex eo Plinius  
prodidit. *Fama est insidentes arietum  
caprarumq; dorsis armatos sagittis, veris  
tempore, universo agmine ad mare de-*

*scendere, & ova pullosq; earum alitum  
(hoc est gruum) consumere: ternis ex-  
peditionem eam mensibus confici, aliter  
futuris gregibus non resisti. Casas eorum  
luto pennisq; & ovorum putaminibus con-  
strui.* Mulieres quinto anno parere,  
senescere octavo quidam tradunt, vel  
ut Albertus Magnus, *triennio gignere, Alb. M. l.  
ostennes mori.* Hæc, inquam, rara &  
mira putantur. Si tamen rem sanctio-  
ri judicio subijcere volumus, deprehen-  
demus longè plures in mundo esse pu-  
millos, quam qui in justam viri statu-  
ram & mensuram ætatis plenitudinis  
Christi assurgant.

Et ne multis ad hoc probandum u-  
tar argumentis; ecce divinæ paginæ  
luculentum testimonium, quæ pueri  
valde senis ac decrepiti uspiam memi-  
nit, cum Deum ipsum ita loquentem  
inducit: *ecce ego creo cælos novos & Is. 6.5.  
terram novam. Non erit ibi amplius  
infans dierum, & senex qui non impleat  
dies suos, quoniam puer centum annorum  
moriatur.* Pueritiam jus civile ad an-  
nos tantum quatuordecim extendit.  
Nam lib. 1. Instit: ait Imperator: *pu- Inst. l. 1.  
bertatem in masculis post decimum quar- quib. mod-  
tum annum completum illico initium ac- tut. fin.  
cipere sancta constitutione disposuimus.*  
Et Aulus Gellius scribit Servium Tul- Gell. lib. 10.  
lium Regem Rom: pueros existimasse, noct. Att.  
qui minores essent annis 17. atque in- c. 28.  
de

Cardā. de  
subtil. l. de  
hom. necess.  
& forma.

Niceph. l.  
12. c. 3.

Plin. l. 7.  
c. 2.

de milites scripſiſſe, eosque ad annum, quadrageſimum ſextum juniores; ſupra illum verò ſeniores appelláſſe. Quo- modo ergo ſenex centenarius vocari poteſt puer? Solvit præclare hoc du- bium Judæorum Plato, cùm ait: *qui multum temporis in vita corporis vixe- rint ſine ulla virtute ac probitate, eos lon- gi temporis pueros appellare licet.* Aliud quippe eſt vivere in annalibus mundi, aliud in annalibus Dei. Hic non com- putantur ad vitam, niſi ij tantummodo anni ac tempora, quæ in divino obſe- quio ſunt traducta. Vnde Eufebius Emeffenus Monachos ita alloquitur: *Enſe hom: ſolemus annos noſtros & temporum ſpatia 9. ad Mo- quibus nunc vivimus, ſupputare: non te nach. fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter ſeculo con- ſumpſiſti. Illum tantum diem vixiſſe te computa, in quo malis deſiderijs reſtiſti, quem ſine ulla regula tranſgreſſione duxi- ſti. Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non invidia, non ſuperbia commaculavit, qui peccato non ceſſit, qui Diabolo repugnavit. Illum diem vixiſſe te computa, qui pietatis & ſanctæ medita- tionis habet lucem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cujus uſus pervenit ad animam tuam.* Et ita an- nos ſuos computabat ſenex Barlaam, qui ſubinde rogatus à Joſaphato, quor- añorum eſſet? Reſpondit: quadragin- ta quinque. Mirante illo ac reponen- te: atqui facies tua & rugæ te ſeptua- genario majorem indicant. Ita eſt, & major ſum, ait Barlaam, ſi compute- m annos vitæ, quibus cum muſcis mun- do vixi: At ſi compute- m annos, qui- bus Deo vixi, ij ſunt tantum quadra-

ginta quinque; & hos tantum annos vitæ compute; cæteros, quos in vanita- te tranſegi, mortis. Si ejuſmodi cal- culatione quiſque noſtrum annos ſuos ſupputet, quàm multi inveniemur val- de parvi, & vix unius ſpithamæ! ſunt dies in anno 365. diei autem horæ 24. Ex his quotidie octo vel novem, non- rarò etiam decem, inertis ſomno attri- buuntur, ſeptem ferè in ſcholis ac ſtu- dijs, binæ plerumque in corporis re- fectione, quaternæ facilè in animi re- laxatione, luſu, colloquijs, conventi- culis, certisve exercitijs inſumuntur. Vna communiter divinis rebus ſuper- eſt, quæ ipſa ita ſæpe detruncatur, ut vix & ne vix quidem mediæ horæ ſpa- tio respondeat. Nam gemini illi præ- cum matutinarum & vespertinarum, quadrantes, illa item, quæ ſacrificio Miſſæ debetur, ſemihora cum quantis tædijs, diſtractionibus, mentis evaga- tionibus, quin & conſabulationibus non tranſiguntur, adeo ut nuſquam in majori violentia ſimus, ac ubi cum Deo agendum. Hinc non ineptè Comicus quidam horas in theatrum induxit ha- hitu puellarum ſtaturâ inæqualium. Omnium longiſſima eminebat hora ſomni; huic proxima ſtabat aliquantò minor hora luſus; pone illam hora re- fectionis, penultimo loco hora ſtudio- rum: omnium verò noviſſima ac mi- nima hora precum. Jam ergo demus aliquem centum annis ita vivere, ut quotidie non ultra ſemihoræ ſpatium Deo conſecret, efficient illæ ſemihoræ non amplius, quàm dies ſeptingentos ſexaginta cum dimidio, ſive duos dun- daxat annos, dies 30. & horas 10. Ec-

s. Reg: 13.

ce nonne hoc est puerum esse centum annorum? Quid porro de ætate vestra (quæ apud paucos trigessimum annum attingit) dicere licebit? O quàm vereor, ne, si Dei inspiciant fastos, multi se infantes paucorum mensium, ausim dicere etiam unius diei, deprehendant! De impio Hebræorum Rege Saule ait sacra pagina: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, & duobus annis regnavit super Israël.* Quod non parum miratur D. Gregorius: *unius, inquit, anni quomodo esse filius potuit, qui universo populo ab humero & sursum eminebat?* Et mox sibi ipsi nodum difficultatis solvit, subjungens: *licet multis annis regnaverit, illis solis regnasse dicitur, in quibus innocens ac humilis fuisse perhibetur.* Et paulò post: *illo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate consumpsimus, quasi perditâ minimè memorantur.* Sic tempore Adriani Imperatoris vir quidam, Similis nomine, cum depositâ Præfecturâ septem annos ruri in otio & quiete exegisset, sepulchro suo moriens hæc iussit inscribi: *Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit, tamen septem duntaxat annis vixit.* Similia epitaphia pluribus hodie eorum, Angeli Custodes scriberent. Scriberent illi; hic jacet N. N. Juvenis, cujus ætas quidem annorum 20. aut supra 20. fuit, tamen septem duntaxat diebus vixit. Incepit crescere; sed statim desijt: cœpit innocenter & piè vivere; sed citò corruptus est: putabatur fore magnus in virtute gigas, & mansit instar perdiculæ nanus. Talis ille Adole-

scens nobilis (de quo annuæ Soc: Jesv) qui Sodalibus B. MARIE Virginis apud Bojos adscriptus, cum ætatis lubricæ spatia inoffenso pede aliquamdiu feliciter decurrisset, injectâ sensim animo rerum mundanarum illecebrâ habenas paulatim cœpit cupiditatibus remittere. Inde pravorum incitamentis ablatu liberioris vitæ cursum iniit, & eò usque malorum consuetudine provectus est, ut quæ antea magna veneratione coleret pietatis studia, ea demum risui contemptuique haberet, nec quicquam illi magis cordi esset, quàm ut per summam lasciviam computationibus ac pergræcationibus tempus consumeret. Et ut miser humanæ pravitate venenum altiùs imbiberet, in aliorum Sodalium genio deditorum familiaritatem se penitus immerfit. Hi ad ceteram lascivientis ætatis licentiam etiam illud addiderunt, ut ardentibus tedis, aut sarmentis accensis, tanquam Orestem furia, modò hunc, modò illum ex suo numero ex improvísò adorirentur, flammis circumstiterent, corpus amburerent, nì properè carnem expediret. Cumq; multos furiosa illa alea in orbem percurrisset, die qui Purificatæ Virginis festum insequitur, hunc miserum nihil minùs cogitantem ebriosa illa turba tedatorum derepente opprimit, homini flammam admovet, cœnam exigit. Paratur: expediuntur pocula, potatur in multam noctem. Postquam poculis indultum, est satis, onusti vino ad suos quisque lares revertuntur. Hic in suum se recipit cubiculum, & ut quieti se daret, vestem detrahit ad linteum indusum:

Inde

Sebast. Be-  
retarius in  
annal. Soc:  
Jesv, a. 1596

inde vino somnoque victus, ut erat seminudus, in mensam quæ posita erat in cubiculo, dormitabundus se acclinat, innixus cubito. Interim alto somno presso ardens candela casu admota indusium inflamat, idque pervadit totum non sentienti. Expergiscitur tandem semiustulatus. Exclamat, & horrendis vocibus familiam conciet. Cumque se flammis exuere non posset, humi provolvit, si forte pressu corporis flammam opprimeret. Nihil proficitur. Flamma jam valida magis sæviebat; accurrunt familiares; miserum adolescentem, quas frustra malè vitæ rat ante coenam, post coenam flammis vident absumi: percussus pavore, periculo tamen audaciam faciente, licet feram, aliquam tamen opem ferunt, pertinacesque flammam, quæ possunt ratione restinguunt, consumpta sindone, cute corporis jam penitus ambusta. Et est quidem ille præsentis periculo ereptus; sed incendij vis tam altè visceribus infederat, ut nullis remedijs coerceri potuerit, quò minus astatæ cutis tabes intus serpens, acerbissimo ipsius cum cruciatu etiam vitalia depasceret. Itaque octavo die, eadem pene horâ, quâ in eandem calamitatem inciderat, consumptus est. Inter dolores & ulcera maledicebat aliquando Natali suo Jobus: *pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo.* Poterat & hic Adolescens ustulatus dicere: *pereat dies, in qua denatus sum, in qua me à Deo meo averti, in qua pietati vale dixi: pereat nox, in qua me cætui pravorum Sodalium miscui, in qua innocentiam meam tam turpi-*

ter prodegi; *dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* O verè indigna numerari, quæ sceleribus servivit, quod & Ezechiel Propheta confirmare videtur, qui Prophetiam suam ita exorsus: *Et factum est in trigesimo anno, &c.* occasionem dedit Interpretibus disceptandi, à quonam termino incipiant hi anni computari. Hector Pintus docet, quòd ab eo tempore, quo sub Rege Josia liber legis inventus est, aitque: *advertendum est, non numerasse Ezechielem tempus, nisi ab inventa lege: ut ostenderet, non debere propriè tempus appellari atatem illam, in qua divina lex erat ob hominum scelera pene extincta, & de medio sublata.* Nil juvat unum aliquem nannum quadraginta annos vitæ attigisse ad hoc ut reputetur vir: semper enim quantumcumque senem se jactet, appellabitur *Puer, Pumilus, Grillus.* Ita planè coram cælo pro grillis reputabuntur, qui exiguum in virtute fecere profectum. Apud terrenos quidem Principes frustilla ista hominum in delicijs habentur; cujusmodi Canopas Juliae neptis Augusti delictum, duos pedes & palmum longus; cujusmodi Lucius ipsiusmet Augusti; Sisyphus M. Antonij bipede minores: at verò in aula Dei vel nomen talium masculorum exosum est. Hinc Regulus ille Evangelicus nominari ab Evangelista non meruit; quia, ut discurret Adamantius, cum professione sua debuerit esse Rex, & factus sit Regulus; ideo nomen ejus Spiritui Sancto vilnerat. Postquam

4. Reg. 12.

Plin. l. 7.

c. 16.

Cardā. l. 8.

de variet. a.

rer. c. 43.

D

Adam

Job. 3.

Adam & Eva ex informi luto in homines transformati sunt, primum ad eos verbum Dei fuit: *crescite*. Res mira! quomodo enim crescere poterant, qui in justa & perfecta statura, videlicet (ut plerique Interpretes opinantur) in statura viri 30. annorum conditi erant? ultra annum autem vigesimum quintum neminem crescere Philosophorum dogma est. Fuerint illi quantumvis corpore magni; at status innocentiae satis declarat fuisse, quasi modo genitos infantes (nam cum uterque esset nudus, non erubescabant.) ac proinde incrementi gratiae divinae capaces: in qua tamen dum sese vegetare, augmentare, ac firmare debuerunt, per alimenti contrarij introsumptionem omnem vitalem calorem exrinxerunt. Non omne, mihi credite, non omne, quod sapit, nutrit. Sunt nonnulla alimenta, quae magis ad diminutionem, quam ad augmentationem faciunt, ut quae difficile à ventriculo digeruntur, & concoquuntur. Pueri

Gen. 1. 28.

Gen. 2. 25.

illi Chaldaei in aula Nabuchodonosoris, qui lapidissimis mensae Regiae pascebantur dapibus, nihilominus macilenti visi sunt: cum interim Daniel cum socijs Anania, Azaria, & Misaele solis leguminibus vescentes, apparuerint longè corpulentiores pra omnibus pueris qui vescebantur cibo regio. Miramur multos nostra aetate Adolescentes in probitate esse macilentos, & erga Deum siccos. In promptu causa est: comedunt cibos Babylonios; tempestivè nimis incipiunt mundana & carnalia sapere, quae ubi vel semel gustarunt, ita inescantur, ut certo licet animae viso periculo, ab ijs deinceps abstinere se nequaquam posse jactent. At verò qui leguminibus vescuntur, qui se frequenter divinis Sacramentis frugibus Eucharisticis, lectionibus saceris, pijs colloquijs, Indulgentijs, globulis precatorijs reficiunt, de illis perinde uti de Jesulo dici potest:

Dan. 1. 15.

puer autem crescebat.



DOMI-

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.  
IESVLVS Artium & Philosophiæ Magister.

In medio Doctorum. Luc. 2.



Opera in Oriente stella  
(ut aliàs stellæ Docto-  
rum sunt insignia) Exi-  
mium sanè Doctorem  
egit, quando sapientissimos Magos al-  
tissimum nati Dei mysterium edocuit:  
hodie verò non jam stella aliqua muta  
& elinguis; sed verbosissimus quispiam  
Doctor cathedram conscendit, novum  
& antehac inauditum doctrinæ genus  
prælecturus. Quis ille amabò Doctor  
& Magister? Iesulus duodennis, quem  
è sacro Evangelij textu audistis conse-  
disse in medio Doctorum, non uti dis-  
cipulum, sed uti Magistrum; siquidem  
*stupebant omnes super prudentia & re-  
sponsis eius.* Nimirum, præterquam  
quòd venerit humanum genus redime-  
re, ea vel maximè de causa venit in  
mundum, ut Magistrum ageret, inquit  
S. Leo; ac proinde non dubitavit ali-  
quando coram Apostolis gloriari: *Vos  
vocatis me; Magister, & bene dicitis;  
sum etenim.* Est enim verò Magister  
promotus ab ipso totius *Vniuersitatis  
creata Rectore magnificentissimo;* quippe  
*erat docens tanquam potestatem habens,  
& non sicut Scriba & Pharisei.* In eo  
omnes artes liberales, &, ut Paulus lo-  
quitur, *omnes thesauri sapientiæ & scien-  
tia sunt absconditi.* Et quid mirum?  
quando ipsa est *Sapientia quæ de ore Al-  
tissimi prodijt.* Adeste igitur studiosæ &  
liberales animæ, tantique Doctoris

præcepta attentis animis & auribus  
combibite.

Prima omnium, quæ literarum stu-  
dioso ediscenda sunt, occurrunt *Ele-  
menta.* Hæc Grammaticis vocantur  
notæ literariæ, è quibus dictiones for-  
mamur; apud Latinos 23. Græcos 24.  
Hebræos 22. plures vel pauciores apud  
alios. Sed ecce rem miram! In *Prin-  
cipijs* novi hujus *Emmanuelis* duo dun-  
taxat elementa, duæ reperiuntur lite-  
ræ, quæ totum *alphabetum* Christianum  
constituunt, nempe: A & Ω. Ita enim  
Emmanuel ipse de se: *Ego sum Alpha*  
*& Omega.* At quis è geminis tantum li-  
teris sensus, quæ formari dictio, ne di-  
cam *Oratio* poterit? Nostis haud dubiè  
nonnullis gentibus, quales olim Ægy-  
ptij, hodie verò sunt Sinæ & Japonæ,  
solenne esse, unicâ notâ integrum eti-  
am, quantumvis longum, sensum ex-  
primere, cuiusmodi notas meliùs hie-  
roglyphicas, quàm literarias dixerim-  
us. Talium è numero ajo ego esse  
Christi elementa: A enim significat  
*Amorem Dei;* Ω. *odium peccati & illud*  
verè *μεγα*, hoc est magnum; nõ *μικρον*  
hoc est parvum. Ecce cuncta officia  
hominis Christiani, quorum non plu-  
ra, quàm duo noster assignat Catechis-  
mus, utpote: *declina a malo, & fac  
bonum.* Declinare & conjugare Ele-  
mentariorum est. Qui ergo in omni  
*casu & occasione malum declinat, qui*

I.  
Elementa.

Apoc. 1. 8.

Canis. c. 5.

Ioann. 13.

Mat. 7. 29.

Col. 2. 3.

Eccl. 24. 5.



*bonum* per omnes modos & tempora secum ipse conjugat, nā is merito suo in hac schola *Imperator & Princeps* est. Sed enim quidnam sub nomine *malum* & verbo *bonum* intelligi debeat, optimè ante alios commentatus est Bernardus Bahusius, cum in quodam epigrammate sic unum aliquem Christi Elementarium instruit.

*Grammaticam Christi paucis te, Celse, docebo;*

*Totam scies & sciveris.*

*Si Luxum & Bacchum, si Cyprida declināris,*

*Mala nomina, ah mala nomina!*

*Si per ego plorare, pati, vigilare, precari,*

*Bona verba conjugaveris.*

Doctissima commentatio, cui me ne verbum addere par est. Sed utinam, sicut auribus, ita animis imbiberetur vestris! Utinam, quod in suis Ephesijs desiderabat Paulus, mala ista, imò pessima nomina, *Luxus, Bacchus & Cypris* sive *Venus* ne nominentur in vobis. Verum si alter hodie prodiret David, nonne more suo de multis Literarum studiosis gemebundus occineret: *corrupti sunt in studijs suis?* Quorum nimirum, studia sunt nescio quas vanitates sectari luxum & mundum planè muliebri æmulari, Baccho liberaliter litare, imò *Bacchanalia vivere*, & contra prima Scholæ Christianæ principia, Dei ~~amorem~~ *amorem* transferre in *amafias*. O pessimos Grammaticos, non jam *Emmanuelis*, sed *Anti-Emmanuelis* sequaces, qui in fronte suæ Grammaticæ primam hanc ponit regulam: *declina a bono & fac malum.*

*Eph. 5. 3.*

*Psal. 13. 1.*

Sed jam è Rudimentis Grammaticæ ad supremam ejusdem classem, quæ *Syntaxis* vulgò dicitur, gradum faciamus. In *Syntaxi* docemur constructiones bonas facere, partem unam orationis cum altera ritè componere. Verum enim verò, Christus in sua *Syntaxi* docet nos *Solœcismum*, quod sanè maximum est apud Grammaticos constructionis vitium. Solœcismum vetustiores Latini, ut refert Gellius, vocabant *strobiliginem & imparilitatem*, ideo fortè, quòd impares dictiones conjugat, puta genus masculinum cum feminino, numerum singularem cum plurali, personam primam cum tertia, &c.

Videte jam, quanta sit imparilitas in Filio Dei, qui res infinitè dispaes in se ipso conjunxit, genus æternum cum temporali, numerum infinitum cum singulari, personalitatem increatam cum natura creata, omnipotentiam cum infirmitate, majestatem cum humilitate, divitias cum paupertate, cœlum cum terra, ima cum summis, ut meritò exclamet Hipponensis Antistes; *ò mira, & inexquisita compago! ò nova & inaudita commixtio!* Hunc quidem ille Solœcismum, hanc strobiliginem & imparilitatem absque omni vitio, imò cum summa virtute commisit: vos autem faciliorem docet imparilitatem, ut nempe cum doctrina construatis vitæ puritatem. Ista est Christiana *Syntaxis*, hæc, quamvis impar, *justa tamen constructio*. Quippe doctrina sine puritate habet se velut nomen *adjectivum sine substantivo*. *Adjectivum*, ut nostis, stare non potest per se in oratione, solumque positum nihil significat.

II.  
*Syntaxis.*

*Gell. Noct. Att. lib. 5.*

*Aug. ser. 9. de nat.*

cat. Ita sapientia (quæ est unum ex illis *adjectivis* de quibus Dominus Matthæi 6. *querite primum Regnum Dei, & cetera adjicientur vobis*) ita, inquam, sapientia per se valdè imperfecta, & sine sensu erit, nisi cum hoc suo *substantivo* cohærescat. Pulchre Sira- cides de se: *animam meam direxi ad illam* (sapientiam) *& in agnitione inveni illam*. Alius textus legit: *per puritatem inveni eam*. Didicerat enim divinitus, quòd *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Exemplo sit vobis velim ce- lebris ille Nazianzenus Doctor. Ge- minas hic aliquando virgines miræ pulchritudinis & elegantix in somnis videre sibi visus est: à quarum aspectu dum castitatis studio oculos retrahit; illæ comi affatu eum dignatæ; nos, inquirunt, *sorores sumus: una Sapientia, altera Castitas nominatur. Misse sumus ad habitandum tecum, quia per puritatem jucundum nobis in anima habitaculum, præparasti*. Cecinit olim sacer Lyricen: *ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum; sicut unguentum in capite; quod descendit in barbam, barbam Aaron*. Liceat modicum sensum ejus invertere ac dicere: *ò quàm bonum & quàm jucundum, habitare sorores has in unum, sicut unguentum in capite, sponsi, cujus suavitate delibuta sponsa clamat: trahere me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Quis vestrum nesciat, mulieribus, & præter- tim quæ sunt ex gynæceo, solenne esse pigmentis & balsamis comas, faciem, & vestimenta imbuere, ut cum in pu-

*Eccli. 51. 27.*  
*Sap. 1. 4.*  
*Rufin. in vita S. Gre:*  
*Psal. 132.*  
*Cant. 1. 3.*

blicum prodeunt, suavè redoleant? hinc Zeno de quodam adolescente o- doribus delibuto dixit: *mulierem olet*. Et S. Hieronymus disertè ait, femina- rum proprium esse, *fragrare musco mu- re*. Sed illis quamvis sape occini pos- sit tritum illud: *Posthume non bene olet, qui bene semper olet*; nostris tamen fo- roribus domicellis ipse Spiritus S. ac- cinct; *odor unguentorum vestrorum su- per omnia aromata*, ille profectò odor, quo præ alijs redoluit gentium Doctor glorians: *Christi bonus odor sumus Deo: & quem S. Philippus Nerijs sensi- biliter percipiebat, dum, ut erat puri- tate Angelus, hoc divinitus est affecu- tus, ut eos, qui puritatem colerent, ex o- dore; qui vero secus, ex fœtore dignosceret*.

Progrediamur ulteriùs ad *Pœsim*, cu- jus est agere de profodia, sive de sylla- barum dimensione & quantitate. *Pro- sodia* Christi, ut paucis dicam, ejusmo- di est, quæ docet syllabas longas cor- ripere. Apparet hoc in iplo Verbo divino. Quid eo longius? longum, fuit plusquam *positione*, quia æternum, immensum & immensurabile, & tamè quàm breve factum, cum *caro factum* est, cujus prima syllaba ab omnibus Poëtis corripitur! hinc meritò melli- fluus Doctor vocat illud *verbum abbreviatum*. Verè abbreviatum, quando, ut loquitur S. Leo, *voluit genitricis con- tineri gremio, quod nullo sine concluditur*. Sed postmodum adhuc magis abbreviabitur, quando *corripiet* illud Pilatus, & ad parvitatem vermis rediget, ut co- gatur clamare: *ego sum vermis & non homo*.

Quid

*Laert.*  
*Hierõ. ep. 16.*  
*Martial.*  
*Cant. 4. 19.*  
*2. Cor. 2. 15.*  
*Brev. Rom. 26. Maj.*  
*III. Pœsis.*

*Leo Ser. 7. Epiph.*  
*Joann. 19.*  
*Psal. 21. 7.*

Quid porrò nos ex hac Poësi doctri-  
 trinae capiemus? id nimirum, ut simus  
 syllaba breves, quæ est prima regula hu-  
 jus Magistri Poëseos, & sic sonat: nisi  
 Matt. 18. 3. *efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in  
 Regnum celorum.* Quam regulam  
 egregius Commentator Paulus ita ex-  
 1. Cor. 14. *plicat: malitiã parvuli estote.* Parvu-  
 20. *los nos esse oportet non sensibus (noli-  
 te parvuli effici sensibus 1. Cor. 14.) sed  
 malitiã; hoc est, ut D. August. legit, sicut  
 infantes expertes simus malitiã, illaque sit  
 nobis incognita sicut infantibus. In infantibus  
 potissimum commendatur simplicitas & candor  
 morum, quòd sint sine dolo, sine fraude,  
 sine fuce, sine simulatione, sine fictione.  
 Sed heus! insurget nonnemo: imò vel maxime  
 in Poësi celebratur fictio, & eò nominatior  
 est Poëta, quòd plus cæteris novit fingere.  
 Ita quidem AA. Poësis hujus mundi tota  
 V. Dom 7. *fictioibus constat, fictè, simulatèque aguntur omnia;*  
 post Pentec. *plena sunt omnia PseudoPoëtarum, qui  
 Metamorphosin Ovidianam fideliter exercent,  
 nunc sese transformantes in Lupos cum Lycæone,  
 nunc in serpentes cum Cadmo, nunc cum Vlyssis  
 socijs in porcos, nunc in columbas cum  
 Semiramide. Volo dicere: cum hæreticis  
 sunt quasi hæretici, sequentes illud solenne  
 principium: ulula cum lupis, cum Catholicis  
 Catholicos se simulant; cum candidis candidi,  
 cum nigris nigri, cum voracibus voraces,  
 cum abstemijs abstemijs videri volunt. Et  
 quid dicam? ut libidines suas expleant, in  
 quas sese formas & figuras cum Iove  
 salacissimo non transformant? nunc induunt  
 formam albi, & svavè modu-**

lantis cygni, odas amatorias, seu voce  
 acuta, seu sumpto in manus barbitò  
 personando; nunc speciem pluvij auri,  
 munera pretiosa in nescio quas Danaës  
 profundendo: quòd si eos spe suã fru-  
 strari contingat, tunc enim verò formam  
 Tauri ferocientis assumunt, huc atque  
 illuc quasi mentis impotes discurrunt,  
 tubinde violentas manus sibi ipsis ini-  
 jciunt. Non unus hic mihi Pyramus;  
 non una Thisbe aurem vellit; sed verbis  
 parcendum est. Proh! qualis ista Poësis!  
 quis non citra omnem injuriam ejusmodi  
 Poëtas phanaticos appellat, quando ipse  
 divinissimus Spiritus inter stultorum notas  
 ponit, in diversa mutari? Aliter longè  
 proceditur in Poësi Christiana; nulla hic  
 fictio, fabulæ nullæ, ordinarius sermo  
 non auditur alius, quàm est est, non non.

Mat. 5. 37.

Altiùs porrò scandamus, & de præ-  
 rupto Parnassi clivo in vernantes & planos  
 Eloquentiæ campos descendamus. Hic fas  
 erit solutis vinculis metricis in dicendo  
 liberè expatiari, pulchras paraphrases,  
 allegorias, hypotiposes, prosopopejas,  
 panegyres, acclamationes inducere. At  
 at, dum hæc meditator, audio mihi occini  
 illud Juvenalis: digito compeſce labellum.  
 Rhetoricam Christi discere qui cupit,  
 sileat necesse est; optimus hic Rhetor  
 est, qui optime novit tacere. Certè Christus  
 ipse jam adultior factus, nunquam pro se  
 meliùs peroravit, ac silentio: accusabatur  
 in multis, & tacebat. Proh Deum! quis  
 iste se tuendi modus? tum vel maxime  
 loquendum erat, tunc tota Demosthenis  
 & Tullij svada exeri debebat, tunc prolixiùs  
 quàm pro Milone, aut

IV.  
Rhetorica

Mat. 15. 3.

Mu-

*Murana* dicere causæ æquitas postulat. Verùm bonus Jesus ipsa Eloquentia tacendo causam ita probavit suam, ut ab ipso iudice innocens declararetur. O facundum silentium! sic sic perorare divinum. Quis enim, nisi divina particulam aure habeat, ad tam enormes injurias, ad tam palpabilia mendacia (qualia erant, quæ Dei Filio ab iniquissimis impostoribus imponebantur) silere valeat? Nos miselli homunciones uno improperio, uno levi scommate & sarcasmo subinde lacessiti in tantum concitamus, ut extemplo pro uno verbo reponamus decem, & plura. Stupidi Rhetorculi, si aliter quàm incondita ista, & pueris feminisq; usitata dicacitate, nos tueri nescimus. Optimè proinde in proverbij Seneca: *qui tacere nescit, nescit loqui.*

V.  
Philosop:

Humaniora Dei hominis cognovimus studia, ejusdem & *Philosophiam* audiamus. Philosophia vel ex nomine suo *amorem sapientia* significat; nec aliter Philosophos passim vocamus, quàm *sapientes*. Aristoteles solam Metaphysicam Philosophiæ Principem, *sapientiam* appellat, quâ præstantiorem scientiam non agnovit. Plures jam credo ex Academia Christi, quàm è Græcia expectatis sapientes? certè, si quis ultra septimum sapit, coramuni iudicio *stultus* habetur: at nemini non gloriosum erit octavum hic esse, siquidem tota Christi Philosophia est coram mundo *stultitia*. Fatetur hoc inter primos in ista facultate promotus Gentium Doctor, & categoricè dicit: *1. Cor. 4. 10. nos stulti propter Christum.* Quid ais ô Paule? haud ita pridem veteres sub-

sannabas Philosophos, quod cum vellent *sapientes fieri stulti facti sint*, & modò ipse id tibi gloriæ ducis? Ita sanè, qui nihil arbitratus est se scire, nisi *Jesus Christum & hunc crucifixum*; quid aliud scire potuit quàm *stultitiam*? prædicamus vobis (sic alloquitur suos discipulos) *Christum crucifixum Judæis quiddam scandalum, gentibus autem stultitiam.* O stultitiam sapientissimam, & præ omnibus alijs Philosophijs æstimandam! Sic eam æstimavit B. Jacopus Vir imprimis literatus, qui, cum ex Cruce Christi mundo stultescere didicisset, ab ipsomet Christo sibi apparente familiariter rogatus, cur hanc stultitiam tantopere adamaret, pio, ut solebat, lepore respondit: *quia stultior me fuisti Domine.* Æstimarunt Simeones Sali, Francisci, Alexij, Nerij, & maximi quique Sancti, volentes datà operâ pro stultis haberi ac reputari, ut Deo tantò magis placerent. De S. P. N. Ignatio hæc ferè Maffejus: Venetij Patavium pedibus cum iter haberet, domesticâ, eaque admodum attritâ lacernâ ob inopiam indutus, Jacobo Lainecomite, pecuarius quidam puer, qui à via non longè armenta pascebat, conspectis eminus peregrinis, ad eos repente propiùs advolat, habitusque fortasse novitate permotus, defixis procaciter in Ignatium oculis, cachinnos tollere, eidemque licentiùs cœpit illudere: cumque Ignatius vultu placido substitisset, conversus ad eum comes: quin, ait, acceleras gradum Pater, teq; istius pueri petulantia subtrahis? Imò verò, inquit ille, cur puerum oblata sibi præter spem hac tanta oble-

Maff. vita  
Ign: l. 3. c. 5.

„ oblectatione fraudemus? Itaque con-  
 „ sultò etiam diutius hæsit in iisdem ve-  
 „ stigijs, ac se curiosius intuendum riden-  
 „ dumque affatim protervo adolescen-  
 „ tulo præbuit; plus nimirum ex hoc  
 „ qualicumque sui contemptu ac ludi-  
 „ brio hauriens voluptatis, quàm alij ex  
 „ vulgi plausu faustaque acclamatione  
 „ percipiunt. Idem Pater suis Filijs ita

*In Exam:*

*c. 4. S. 44.*

*Reg. 11.*

*Summ.*

præcipit: diligenter animadvertant o-  
 oportet (magnificiando, summique mo-  
 menti id esse ducendo in conspectu Crea-  
 toris ac Domini nostri) quantopere iuuet,  
 ac conferat ad vitæ spiritualis profectum,  
 omnino & non ex parte abhorre-  
 re ab omnibus, quæ mundus amat, & amplecti-  
 tur, & admittere, & concupiscere totis  
 viribus, quidquid Christus Dominus no-  
 ster amavit, & amplexus est. Quem-  
 admodum enim mundani homines, qui ea,  
 quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt, &  
 querunt magna cum diligentia, honores  
 scilicet, famam, magni nominis existima-  
 tionem in terra, sicut mundus eos edocet:

sic qui procedunt in spiritu, & serio Chri-  
 stum Dominum nostrum sequuntur, a-  
 mant, & ardentè exoptant, quæ ijs omni-  
 no contraria sunt; indui nimirum eadem  
 veste, ac insignibus Domini pro ipsius a-  
 more, ac reverentia, adeo, ut si sine offen-  
 sione ulla divina majestatis, & absque pro-  
 ximi peccato foret, vellent contumelias,  
 falsa testimonia, & injurias pati, ac stul-  
 ti haberi & existimari (nullâ tamen ad  
 id per eos data occasione) eò quòd exo-  
 ptant assimilari, ac imitari aliquomodo  
 creatorem, ac Dominum nostrum Iesum  
 Christum, ejusque vestibus & insignibus  
 indui.

O utinam ejusmodi stultorum plena  
 essent omnia, quàm bene mundus sa-  
 peret! Sed quia animales homines non  
 percipiunt ea, quæ sunt Spiritûs; at-  
 saltē vos liberales & sapientiæ secta-  
 trices animæ, eò totum studium ve-  
 strum convertite, ut nil aliud vos scire  
 arbitremini, nisi Iesum Christum &  
 hunc crucifixum.



DOMI-

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Triplex haustus propinatur : sanitatis, Amoris, somni.

*Servasti bonum Vinum. Ioann: 2.*

Novam, & Nasoni Poëta incognitam metamorphosin hodie audistis; metamorphosin non minus miram, quam jucundam, quia vinariam. Aquæ enim suam exutæ naturam, divinâ quâdam vi degenerarunt: quid dico, degenerarunt? imò (ô felicem conversionem!) in melius conversæ sunt, & demum resipuerunt, cum saporem suum aqueum in saporem vini transtulerunt. Quis non ob talem metamorphosin non ingentibus incedat lætitijs? quis non ad prodigium tantum obstupescat? obstupescit ipsa Mater Ecclesia, dum in hymno suo ita exclamat:

comparata, aqua sunt, non vinum. Germanè profectò, & germanissimè sentit, quisquis eo sensu est, AA. Germanum proinde hospitem agam, & ego, & si tantus amor vini, si tanta cupido est, ad cauponam vos hodie invito; ubi, secutus Enlulum quendam, apud Athenæum, tres vobis propinabo haustus: primum sanitatis, secundum Amoris, tertium somni.

Duæ celeberrimæ animo meo obversantur Cauponæ: altera Hierichuntina, Golgothæa altera. Illa tumultibus, rixis, & cædibus plena; hæc tota tranquilla. In illa propinatur mors; in hac, vita. Illam mundus; hanc erexit Christus. Vtram adire magis lubet? Animadverto omnes tacite dicere: Golgothæam malimus. Bene est! ascendamus ad montem *uvæ*, ad collem vini, quò nos humanissimè invitat cauponarius homo. Deus: *venite amici, & Cant. 5. 1. inebriamini charissimi.*

Solemne est Germaniæ populis, ubi fortè inter epulas, mensasque convenierint, primum haustum facere sanitatis, sive, ut vulgò appellant, in suam mutuo bibere sanitatem. Hic haustus ita sacrosanctus habetur, ut si quis eum detrectaret, continuo convivas in sui provocaret odium, & velut intempestivus lætitiæ obturbator, audiret illud Græcorum: *aut bibe, aut abi.* Non ablutit ab hoc Germanorum more sincerif.

E

cerif.

In Epipha:  
Dom:

*Novum genus potentia;  
Aqua rubescunt hydria,  
Vinumque iussa fundere  
Mutavit unda originem!*

2. Reg. 23.  
15.

Videor mihi jam in vobis excitari orexin; videor mihi audire vota Davidicis affinia: *ô si quis mihi daret potum hujus benedictæ aquæ; næ ego illâ potâ totas hilaritati laxarem habenas.*

Psa. 103. 15.

Nam si aliàs *vinum lætificat cor hominis*, quantò magis tale vinum, quod non terrena quæpiam germinavit vitis, sed illa cœlestis, quæ de se fatetur: *ego sum vitis.* Facessat igitur hinc omne Falernum, Massicum, & Chium: nam omnia ejusmodi vina, cum hodierno

Ioann. 15. 1.

omnia ejusmodi vina, cum hodierno

I.  
Haustus  
sanitatis.

cerissimus Dei Filius, qui cum aliquando in præfato mōte Golgothæo regales cum Ecclesia celebraret nuptias, antequam in suo accumberet lectulo, (a) primum statim in sanitatem generis humani fecit haustum vini myrrhati.

(a) *Crucis.*

*Mar. 15. 23.* Perducunt eum, inquit Marcus, in Golgotha locum, & dabant ei bibere myrrhatum vinum. Vel, ut Matthæus; vinum cum felle mistum. Absynthites hic credo fuit, qualis communiter sub epularum principia solet propinari, haustus non nihil amarus, sed salubris, & idcirco non immeritò haustus sanitatis appellandus. Amara enim citius sanitatem operantur, ac dulcia, minusque doli inest poculis, quæ sapiunt absynthium, quàm quæ saccharum.

Prælibavit nobis hoc amaroris poculum Regius sponsus; aliquisne nostrum, AA. tam inurbanus erit, qui nolit respondere propinanti? Si Philippus Augustus Francorum Rex ad haustum mortis suos facile pellexit milites, dum adversus Othonem Imperatorem pugnaturus vinum cum intincto pane è patera aurea illis præbuit, dicens: *bibite ex hoc omnes; commune hoc aut victoriæ, aut mortis poculum erit:* quantò majori illicio nobis esse debet Christi calix absynthio & felle permissus, cujus hæc est propinandi formula: *bibite ex hoc omnes; commune hoc vitæ poculum erit. Vivat genus humanum!* Exclamemus vicissim omnes: *Vivat IESVS!* & amaro se quisque proluat felle. Acute Prædicator Venetus, quærit ex echone: *quid est anima que non gustat fel? fel.* Quasi diceret: est anima nauci, vilis & abjecta. Abjectæ enim

mentis necesse est illum esse, qui, quod sibi offertur ad gloriam, reputat tormentum. In ludis Megalensibus, ait Cælius Calcagninus, Victor nonnemo, præclarum à Præside sperabat præmium. At is poculum illi propinat in præmium. Bibit, & invenit absynthio commixtum. Tum Præses: *disce,* inquit, *fortunam suavis amara miscere.* Pari planè modo Præses summusque Imperator noster Christus, insigni præmio & honore nos afficit, quoties de absynthite & felle suo propinat. Quis enim major esse queat honor, quàm cum Rege ex eodem cratere potare? quæ major gloria, quàm Regem in servi bibere sanitatem? Meritò itaque haustum hunc *honorarium* licebit appellare, & longè potiori jure, quàm Romanorum olim, hodie verò Teutonum vina, Principibus personis solita præsentari. Mos erat apud Veteres, tradit Isidorus, cum Princeps aliquis, Legatus, aut Vir magni nominis urbem videndi gratiâ ingrederetur, mitti ad eum deputatos à magistratu syndicos, qui adventanti gratularentur, & nomine magistratûs, vinum, quod vocabant *honorarium*, honoris gratiâ offerrent. Hinc Cato gloriatur, quòd vinum honorarium, cum esset in Provincia Legatus, nunquam acceperit. "Familiare est Germanis & Belgis, inquit, Scriptor Germanicus, simili obsequio benevolentiam erga advenas, & exteros alicujus nominis testatam facere; ut quorum etiam dignitatem doni sui largitate metiuntur. At si tantus honor ex oblato à civibus vino, quantus ex eo non erit quod ipse nobis offerat Deus!

*Laured: vit:*  
*Tribulat:*

„ Bayer-  
„ linck tit.  
„ Vinum.

Deus! Bibite itaque lacti, & si lubet, etiam inebriamini. *Calix enim meus inebrians* (Dei ipsius verba sunt) *quam praeclarus est!* Quanquam non tam hinc bibere, quam gustare opus est. *Cum gustasset* Christus vinum cum felle mistum, *noluit bibere*, ait Evangelista. Gustavit, non bibit; amara enim apud Deum pulchro aulicismo tantummodo gustatur (*momentaneum enim tribulationis nostrae*) apud inferos bibuntur, imò hauriuntur, ubi *una hora* gravior erit in poena, quam hinc *centum anni* in amarissima poenitentia.

II. Sed jam ab haustu *sanitatis*, ad haustum *Amoris* transeamus. Vinum charitatis tesseram, cordiumque vinculum nemo unus credo ambiget, cum saepe maximae inter pocula coalescant amicitiae, & quorum animos ab invicem divulsit ferrum, junxit merum.

Cretenf. in Orat. 4. Nazianz. Sciendum est, inquit Elias Cretenfis, praeis omnibus Regibus hunc morem fuisse, ut cum publicum festum celebrarent, vinum in aureis vel argenteis phialis temperatum, à pocillatore quidem ipsi acciperent, atque in sinceri amoris signum nonnihil inde haurirent, ac postea, cui visum ipsis fuisset, poculum praeberent. Vis amoris in eo declarabatur, quòd in eodem poculo, ex quo uterque bibebat, fieri quaedam velut temperatio commixtioque animorum videretur. Præterea cum osculum sit eximium amoris pignus, in poculis ea libatione, quæ à propinante fiebat, quoddammodo osculum imprimebatur, quod dulci illo navigio ad amicum transmitteret. Hinc venuste & amatorie Philostratus: *labris*

Cretefol. my-  
stag. lib. 4.  
Sect. 6.

*attingens, osculis imple poculum, & da rogantibus.* Quid dicam de Græcis? planè prodigos hac in re dixero: consueverant enim inter epulas, in gratiam eorum quos amabant, aliquot cyathos vini in humum fundere, & hoc *amoris vinum* dicebatur. Liberalis nimium, & (si licet dicere) planè prodigus hinc fuit diviniissimus Sponsus, qui, præterquam quòd in prævio illo nuptiarum suarum convivio tale nobis propinasset amoris poculum, in quo non osculum tantum, sed totum spiritum & corpus suum ad nos transmisit, in ipsis deinde Golgothæis epulis non duos tresve cyathos, aut heminas vini præstantissimi in gratiam humani generis profudit, sed tantam copiam, ut quod Tullius alicubi dicit, *natarent pavimenta vino*, tota maderet Calvaria. Vultis scire quodnam & quale fuerit hoc vinum? Illius pretiosissimus sanguis, de quo S. Cyprianus: *cum dicit Christus: Ego sum vitis vera; Sanguis Christi non aqua est utiq; sed vinum.* Hoc est illud rubrum vinum, in quo ipsum sponsum balneaturum prævidebat Jacob, Gen: 49. dum ita vaticinabatur: *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uræ pallium suum.* O vinum omni pretio majus! *cujus una gutta salvum facere, totum mundum quit ab omni scelere.* O vinum non tam temerè solo spargendum, quam aureis, gemmeisque phialis excipiendum! Secundiore hinc profecto observare liceret *cottabismum*, quam apud Romanos. Merum illi in phialas fundebant, & si major ex affusione ederetur sonus, augurabantur se à sibi charis amari. Proh!

Cic. Philip.  
2.

Ep. 63. au.  
Cecil.



- quantus non erit Christi erga nos amor, cujus amorosa vina tanto impetu defluunt, ut sonum imitentur cataractarum; huc enim facit illud Psalmi:
- Psal. 41. 8. abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Si profusæ aliquot lacrymæ singularis in Lazarum dilectionis argumento fuere Judæis, ut palàm dicerent: ecce quomodo amabat eum!*
- Ioan. 11. 36. quanto magis tam prodigè profusus cruor unumquemque nostrum exclamare coget: ô Iesu quomodo amasti me!*
- Hebr. 5. 7. Quamvis nec hic defuerint lacrymæ teste Paulo: qui in diebus carnis suæ (ita loquitur de Christo patiente) preces supplicationesq; ad eum, qui posset eum saluum facere à morte, cum lacrymis & clamore valido offerens, exauditus est pro sua reverentia. Præstantissimum quoddam vinum Itali lacrymam Christi vocant. Hinc ille credo lacrymas sanguini miscuit, ut non unius tantum generis, nec sola rubra, sed alba etiam vina (quorum usus in Palæstina rarus) pro sua magnificentia fundere videretur. Sugamus ergo & lambamus avidi hunc sanguinem uva meracissimum, non secus ac pulli aquilæ apud Job:*
- Iob. 39. 30. pulli ejus lambent sanguinem. Habemus ejus quotidie copiam in Golgotha mystico Altari. Forte vinum est, nec tamen caput petit, sed cor; quia vinum amoris. Amoris casti & virginei, quia est vinum germinans virgines, oppositum per omnia vino Bacchi, in quo est luxuria.*
- Eph. 5. 18. III. Et ecce tenebræ factæ sunt super universam terram, & nox atra cavâ circumvolat umbrâ; dormiendum est. Haustum ultimum petit Sponsus, clamatque: Sitio. Accurrite paranymphe,*
- potum porrigite, qui somnum conciliet, suavemque inducat in membra soporem. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Istè ne somni haustus est? melior credo proponi non potuit, siquidem cum accepisset Iesus acetum, sine mora obdormivit. Quanquam nonnihil diutiùs in tormentis vigilare etiam voluisset, & ideo contra intemptiva ministrorum officia queritur: super dolorem vulnerum meorum addiderunt, nimirum, ut Hugo Cardinalis supplet, acetum. Sed quomodo justè hoc queri potuit, postquam ea illi propinarunt (ut Chrysostomus & Lyranus apud Hugonem loquuntur) quibus mitigarent dolores. & mortem accelerarent; siquidè damnatis ad supplicium idcirco acetum porrigitur, quò & leviùs ferant tormenta, & citiùs obeant? Nihilominus omnibus tormentis gravius illi fuit ab ijs liberari, quia tum maxima agebat gaudia, cum gravissima tulit supplicia. Acetum ei doloris sensum exemit, & spiritum. Opio potentior potus, qui mortuo similem reliquit. Adjuro jam vos filia Hierusalem, & te inprimis Magdalena, ne suscitatis, neq; evigilare faciatis dilectum quoadusq; ipse velit. Ad triduum durabit hic sopor, donec digerat cibos, quibus nimium fatiatus est; cibos quos prædixit Propheta, cum dixit: saturabitur approbrijs. Et vos AA. si aliquando suaviter obdormire vultis in Domino, acetum bibite, hoc est mortificate membra vestra. Nec est, quòd vitæ expectetis vesperam, quia non æqua fulget omnibus dies; multis in meridie, imò ipso manè dictum est: ite cubitum, Do-*
- Matth. 27. 48.*
- Ioan. 19. 30.*
- Psal. 68. 27.*
- Cant. 2. 7.*
- Thbr. 3. 30.*
- Col. 3. 5.*

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Gravissima servitus proprijs cupiditatibus servire.

*Dico servo meo: fac hoc, & facit.* Matt:8.

Er vitutis tam misera tur-  
pisque semper fuit condi-  
tio, ut veteres servum ad-  
umbrare volentes mon-  
strosum aliquem hominem pingerent,  
pedibus cervinis, auribus asininis. Per  
pedes cervi, velocitatem; per aures asi-  
ni, indicabant obedientiam. Non mi-  
nus enim servus ac asinus labori subje-  
ctus quotiescunque audierit *fac hoc*, vel  
invitus *facit*. Hinc ingeniosus aliquis  
fabulator apologum ejusmodi finxit:

V. P. Iacob  
MaZen. in  
speculo i-  
mag. verit.  
occult.

Afinus inquit, serviens olitori, cum par-  
tē comederet, laboraret autem libera-  
liter, & vapularet liberalius, dicitur  
à Jove petijisse, ut alteri Domino ven-  
deretur. Exoratus Jupiter iussit eum  
figulo vendi; à quo tamen non melius  
habitus, imò ad cœnum vehendum,  
tegulasque comportandas adhibitus  
est: cujus oneris etiam impatiens, ite-  
rum Dominum, sessoremque mutare  
voluit. Mutavit porro & coriario ces-  
sit; sed ab hoc exceptus quàm pessimè  
ad priores Dominos rudere & anhelare  
cœpit, veritus ne coriarius etiam in-  
pelle luderet. Quàm jucundâ fictione a-  
liud nihil docere voluit, quàm servo  
ubicunque demum sit, quemcunque  
Dominum habeat, nusquam esse bene.

Chrysolog:  
serm. 61.

*Servus*, ait S. Chrysologus, post vigilijs  
antelucanas, post totius diei varios & du-  
ros labores, post trepidantes, & anxios  
concursum, & parat Domino suo cœnam,

& cinctus, quod paraverat, submini-  
strat: nec est elatus, quia fecit; sed cum  
devotione singula faciens contremiscit.  
Apponit Domino suo cibos multiplices, arte  
tota totius saporis conditos: ipse autem  
semicoctam, nec salitam forsitan cœnulam  
gustaturus. Porrigens crebra pocula, va-  
rios calices, vina mutat, ad longissimi con-  
vivij fabulas longiores stat fixus, stat move-  
ri nescius; cui lassescere non licet servienti.  
Et cum Dominus jam partem noctis in-  
somnia deducit, peragit inquietem: ser-  
vus colligit, curat, accurat, ponit, compo-  
nit, reponit, & sic in rebus necessarijs im-  
moratur, ut nihil sibi aut parum noctis ad-  
escam reservet & soporem. Posthac om-  
nia nisi prævigilet in crastinum, & Do-  
minum prævenit dormientem, fessus, in-  
defessus manicabit ad verbera, ad presen-  
tem pœnam nihil hesterni ei subvenit de  
labore; quia quidquid Dominus indebitè,  
iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans,  
sciens, nesciens circa servum fecerit, ju-  
stitia, lex est: imperantis ira subdito jus  
est, & ad libitum Domini vocem non ha-  
bet conditio servitutis. Valde ergo sto-  
lidi fuere Israëlita, qui in Ægyptum  
redire petebant, exostulantes cum  
Moysè: *recede à nobis, ut serviamus*  
*Ægyptijs, multò enim melius erat servire*  
*eis, quàm mori in solitudine.* Quisquis  
enim ingenuus est mortem servitute,  
honestiorem & potiorem ducit, qualis  
illa virilis Andromache Trojanas Vir-  
gines

Exod. 14.  
12.

gines hostili gladio cæfas se captivâ feliciores ita oggemens :

*Virg.* O felix una ante alias Priameia Virgo  
Hostilem ad tumultum Trojæ sub mœ-  
nibus altis  
Iussa mori, quæ sortitus non pertulit  
illos,  
Nec victoris heri tetigit captiva cubile :

*Philo quod omnis pro-  
bus liber.* quales populi, Philo Xanthios appel-  
lat, qui se ipsos occidere, quàm Roma-  
nis dedere maluerunt, præferentes glo-  
riosam mortem vitæ conjuncta cum igno-  
minia. Quales Lacænae feminae, apud  
eundem, quæ pueros suos in flumen  
proijciebant, acclamando : vos certè non  
servietis. Nulla tamen durior, nulla  
ignominiosior, nulla execrabilior ex-  
cogitari unquam servitus potuit, atque  
est illa, cum homo sui ipsius & cupidi-  
tatum propriarum servus efficitur, te-  
ste Seneca : infelicissima servitus sibi ser-  
vire; quod modò declarabo.

*Senec. l. 3.  
Nat. qq.*

Qui hominem microcosmum, hoc  
est parvum mundum esse dixerunt, si-  
mul in eo politiam quandam, harmo-  
niamque monarchicam constituerunt,  
juxta cujus leges unus imperat, cæteri  
parent. Ratio & voluntas Principes;  
concupiscentia ancilla, affectus & pas-  
siones servi. Primus hanc politiam  
Cainum docuit ipsemet Deus, cum illi

*Gen. 4. 7.*

dixit : sub te erit appetitus tuus, & tu do-  
minaberis illius; quasi diceret, ut alius

*V. Cornel. à  
lap. in hunc  
locum.*

vertit : in manum tuam tradidi potesta-  
tem concupiscentie tue, & tu dominare ei  
sive ad bonum, sive ad malum. Nulli  
sunt tam feri, & sui juris affectus, inquit

*Seneca. de  
ira. c. 12.*

Seneca, ut non disciplinâ perdoementur.  
Quodcumq; sibi imperavit animus obti-  
nuit,

At sæpe videre est in homine  
politiam mundumque inversum, qua-  
lem nonnemo faceret ira describit :  
" Vrbs est, in qua lege perversa & ordi-  
ne rerum omnium cadunt muri, exal-  
tantur aquæ; fluunt turres, pro turri-  
bus naves eriguntur; ægri deambulant,  
decumbunt medici; algent balnea,  
fervent horti; merguntur vivi, natant  
sepulti; negociatores militant, milites  
negociantur; student pilæ senes, alex  
Juvenes; armis feminae, colo viri; im-  
perant filij, obtemperant parentes;  
dominantur servi, serviunt Domini.  
Talis inquam Reipublicæ status repe-  
ritur in homine, qui cupiditates suas  
regere nescit; sed contra ab ijs regitur;  
ibi enim verè servi dominantur, obe-  
diunt Domini, quando quidquid hic il-  
lève perversus affectus suggerit, hoc  
voluntas protinus amplectitur, quid-  
quid concupiscentia jubet, hoc agit.  
Dicit ira: excandesce, & excandescit;  
perime adversarium, & perimit. Dicit  
gula: ingurgitare, & ingurgitatur; di-  
cit amor impurus: fac hoc & facit.  
Sed Divum Ambrosium audiamus, qui  
in illud Davidis: tuus sum ego, salvum  
me fac ita commentatur: satis rarus est,  
qui possit dicere: Tuus sum. Non potest  
dicere secularis: tuus sum; plures enim  
Dominos habet. Venit libido, & dicit:  
meus es; quia ea, quæ sunt corporis concu-  
piscis. Venit avaritia, & dicit: meus  
es; quia argentum & aurum, quod habes,  
servitutis tua pretium est. Venit luxu-  
ria & dicit: meus es; quia unius diei con-  
vivium, pretium tua vitæ est. Venit am-  
bitio, & dicit: planè meus es, nescis quòd  
ideo imperare alyis te feci, ut mihi ipse ser-  
vires &

*Ambrosius  
serm. 12.  
Ps. 118. 94.*

vires? Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: meus es. Quem tanti competitorum, quam vile mancipium est! Nonne hoc est proprijs vernis & mediastinis

Panormit: l. 3. de gest. Alphonf.

Ioan. 8. (a) Nota concupiscentiam hic non dicit formam literam & proprie peccatum ut dicit Calvinus sed materialiter quia ipsa incitat ad peccatum

Rō. 7. 17.

Innocē: de utilit. condit. humā.

Chrysofō: hom. 11. ad Rom.

Aneas Sylv. hysto: Bohem. c. 7.

imò ancillis servire? Demonax concupiscatus quendam in servum suum immoderate savientem; desine, ait, te servo tuo similem reddere; servus siquidem est, qui affectibus suis imperare nescit. Et quid Ethnicorum querimus testimonia, cum ipsa divina Veritas aperte dicat: *omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, hoc est ut Jansenius explicat, propria concupiscentia; nam & Paulus peccati nomine ipsam appellat: *quod habitat in me peccatum, &c.* (a) O extrema tantæ servitutis conditio! liceat cum summo Pontifice exclamare. Quid enim absurdius, quam ut Regina voluntas concupiscentiæ meretrici serviat? *Absurdum planè est (indignatur aureum os) atq; indecens ad cælorum Regnum vocatos pro Regina peccatum habere; vocatos ut cum Christo regnent, peccati captivos esse male: perinde ac si quis diademate à capite abjecto, mulieris intemperijs actæ, mendicæ ac pannosæ servitutem servire velit.*

Mulierum imperia adeo sunt intolerabilia & gravia, ut nescio an ulla Tyrannis gravior. Experta est hoc quondam nostra Bohemia cum Premislao I. ad clavum sedente toto septennio sub puellarum jugo gemuit. Hæ namque castello non procul à Praga proprijs manibus constructo gravissimas inde viris clades inferebant, fingentes se interdum eorum amore teneri "amatorias epistolas (verba refero Sylvij) nobilibus adolescentibus

mittere, detestari fastum, atque insolentiam suæ ducis Valasæ, simulare fugam, rogare in sylvam potenti manu venirent, ac se raperent. Juvenes, qui puellarum facinora magis admirarentur, quam odissent, victi blanditijs, captique nonnullarum specie (erant enim pleræque pulcherrimæ) imperata faceffunt. Sed ingressi sylvas insidijs circumventi trucidantur. Similem prorsus exitum sortiuntur, qui ancillaribus concupiscentijs parent, *stipendia enim peccati Mors*, ait Paulus. Quam gloriosus fuit Hercules, dum virtutis viam, quam puer pergere cœpit, tenuit: at ubi ancillari non erubuit, ubi fufum & colum abjectâ clavâ in manus sumpsit, ut miserabiliter periit! fertur enim Deianira, in cujus gratiam Herculem exuit, vestem ei veneno imbutam misisse, quâ indutâ acri dolore correptus præ impatientia se ipsû in constructa pyra concremavit. *Graves Domine*, inquit Svadæ Filius, *cogitationum libidines, infinita quedam cogunt atq; imperant, & ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.* Fuere qui in gratiam amasiarum vitra integra vorarent: alij è sordidis calceis biberent. Bruxellis Comes quidam digicum auricularem sibi præscidit, eumque literis insertum, in pignus amoris ad amasiam destinavit. Alius prænobilis viri Gandensis filius, cum super puellæ, quam deperibat, peccatore acum conspexisset, sublata ori imposuit, dicens tanto se in eam ferri amoris æstro, ut hanc acum in sui gratiam paratus sit deglutire. Dixit, fecit, & unâ cum acu mortem glutijt.

Rom. 6. 23.

Cic. l. 6. de ropub.

Engelgrav. p. 1. Dō. 17. post Pent.

Pa-

*Pont. lib. de  
fort. c. 29.*

Papiae Eques nonnemo, cum in ponte puellam sibi charam obviam haberet, illaque joci gratia diceret: quin tu bellissime amator, qui tantum tibi in me complaces, è ponte in amnem amoris gratia defilis? mox unà cum equo statim sese præcipitem dedit, quo exanimato ipse semianimis vix enavit. Adhuc horribilius quod Crumlovij Bohemorum contigit. Solenne istic convivium in aula arcis celebrabatur; ubi inter ceteros hospites aderat nobilis puella elegantiori forma atque cultu. Post larga pocula incalescentibus animis, ait Toparcha: quisquis hanc Helenam serio ardet; eja de fenestra aulae, illius gratia, devolans Icarum agat fabulam. Nec mora; unus aliquis non præpetibus pennis, sed pedibus deorsum vibrat sese (est autem altitudo cubitorum circiter 30.) & execrando casu turpiter ardentem animam, elidit, æternum arsuram. Ita iterum, iterumque verum est: *stipendia peccati*, vel ut alij legunt, *obsonia concupiscentia*

*Barrad. to.  
3. l. 1. c. 17.*

*mors.* Hic denuo exclamare liceat cum pio Ecclesiaste: ô horrendam servitutem! ô Tyrannidem inauditam! ô insanos homines, qui sua sponte in eam se conijciunt! Insani ac stulti ob unum bolum, ob unum vitrum vini quascunque plagas, virgas, colaphos, talitra sustinent. Quidni ergo stultos dixero mentis impotes illos cupidinarios; nam non tam ovum ovo simile. Præterire non possum, quod noster P. Drexelius fideli & jucunda narratione describit; Tubingæ medicum & ejus artis Professore fuisse, qui conjugem inprimis charam ha-

*Drexel. de  
caelo l. 1. c.  
4.*

buit. Hæc dum uterum ferret liberatorem numerum ovorum in foro emerat, domumque ea referens & mariti musæum ingressa, altum ingemuit. Maritus tam serij gemitus causam sciscitari, & verò etiam solari promptus: quid est, aiebat, quod cruciat? dic mea conjux, quid hunc gemitum expressit? illa tam svavi quæstione jam animosior: mi optime marite, inquit, nôsti me gravidam, & quanti ea res periculi sit gravidarum appetentiæ oblectari. Et quid dissimulem? ingens cupido me incessit hæc ova omnia ordine in tuam faciem projiciendi & frangendi. Quid ad ista maritus? conjugis amor & periculi metus potentissimè persvaserunt cupiditati cedere. Ergo conjugi suæ jaculatrici scopus futurus, expromit strophium vultuique præpandit. Mox illa ordine prout appetitus suggererat ova jaculando frangit in viri facie. Ad finem verò ludi monita est, ne deinceps vellet cupidine trahi tam insolente. An non bonus iste maritus formalem se uxoris suæ fecit stultum, & sclavum? Audite quid dicat Cicero: *an ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audent? Si poscit, dandum est; si vocat, veniendum; si eicit, abeundum; si minatur, extimescendum. Ego verò non istum modò servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit appellandum puto.* Sic de Claudio Cæsare scribit Svetonius quòd conjugum amoribus ita sese addixerit, *ut non principem, sed ministrum egerit.* En mundum verè inversum! Potestne majus malum domui evenire,

*Cic. in Pa  
radox.*

*Svetō. in  
Claud.*

*Laured.* ,, re, quærit Venetus Ecclesiastes, quàm  
*silv. tit.* ,, ut ipsa penitus ita evertatur, ut cul-  
*amor va-* ,, men, seu caput ejus sub pavimento &  
*mus.* ,, fundamento jaceat, & fundamentum  
 ,, in loco culminis? at hoc fit, dum vir,  
 ,, qui est caput mulieris, ei servit, & illa  
 ,, imperat. Ita ego paucis mutatis qua-  
 ,, ram: potestne majus malum homini  
 evenire, quàm ut corpus ejus ita inver-  
 tatur, ut caput ibi sit, ubi pedes, & pe-  
 des in loco capitis? at hoc fit, dum ra-  
 tio appetitui, quæ ejus Domina est, ser-  
 vit, & ille imperat. Hortabantur se in-  
 vicem contra Judæos Philistæi: *Confor-*  
*1. Reg. 49.* ,, tamini, & estote viri Philistym, ne ser-  
 ,, viatis Hebræis, sicut & illi servierunt vo-  
 ,, bis. Qualis cohortatio! ergo qui ser-  
 viunt, viri non sunt? Imò vix homines;  
 nam si Homero credimus: *servus dimi-*  
*Homerus* ,, dius homo, liber integer est; si Platoni:  
*Odyss. 10.* ,, dimidium mentis Iupiter illis aufert, qui  
*Plato dial.* ,, servituti subjecti sunt. Scriptura certè  
*8. de legib.* ,, sacra passim servos appellat pueros, qui  
 ob mentis rationisquæ immaturitatem  
 opus habent moderatore, & sub tuto-  
 ribus actoribusquæ; sunt, donec maturef-  
 cant. Pulsavit aliquando de nocte ami-  
 cus fores amici, panem postulans: at-  
*Luc. 11.* ,, audijt de intus responsum: *noli mihi*  
 ,, molestus esse, jam ostium meum clausum  
 est, & pueri mei mecum sunt in cubili.  
 Per pueros sensu literali intelliguntur  
 vernæ domestici; Gregorius autè Nys-  
 senus moraliter intelligit a *ca* *di* *av*  
 sive impassibilitatem: *quando aliquis,*  
*Greg. Nyss.* ,, inquit, *passionem confutavit, tunc quasi*  
*in catena.* ,, puer se habet erga passiones. Ego tamen,  
 salvo tanti Doctoris judicio, passiones  
 ipsas pueris rectius comparavero; est  
 enim hæc ætas, uti & femineus sexus

affectuum vehementer impotens: un-  
 de puer aliquis apud Stengelium, cum  
 falcone cicure, cujus supra modum avi-  
 dus erat, potiri non posset, præ nimio  
 dolore contabuit; *quando ergo aliquis*  
*passiones confutavit,* tunc quasi pædago-  
 gus se habet erga pueros, quippe ambo-  
 rum eadem est disciplina. *Efficiendum,*  
 monet Tullius, *ut appetitus rationi obedi-*  
*ant, sint quæ tranquilli.* At quomodo effici-  
 endum? Credo non meliùs, quàm vir-  
 gâ & baculo; nam hæc ad petulantes  
 pueros coercendos optima censentur  
 instrumenta, juxta illud Sapientis do-  
 gma: *stultitia colligata est in corde* (vel,  
 ut alij legunt, *in dorso*) *pueri, & virga*  
*discipline fugabit eam.* Mediolani Soda-  
 lis Parthenius fuit, qui se contra inso-  
 lescentes libidinis æstus flagello, tho-  
 racequæ; cilicino tueri consueverat. No-  
 cte quâdam acriùs ab ijs divexatus, cum  
 neutrum ejusmodi instrumentorum  
 reperire posset, strato profiliens, solo ut  
 erat indutus linteo in hortum domesti-  
 cum hieme rigidissima descendit, ibiquæ;  
 tamdiu inambulavit, dum periculosus  
 ardor nocturno frigore refrixit. Idem  
 & ampliùs Dilingæ unus alius fecit, qui  
 postquam inter nives lacertis quàm-  
 pote diductis *salutationem Angelicam,*  
*globulis adnumerando ad ultimum fre-*  
*quentasset, tum commentans illud Pauli,*  
*se corpus castigari professi, virgas corripe-*  
*re, inter quæ candorem nivium corpus san-*  
*guine purpurare.* O præclaros Seraphici  
 Patris æmulos! qui per similes castiga-  
 tiones continuamquæ sui victoriam ad  
 tantam pervenit puritatem, ut caro spiri-  
 tui, & spiritus Deo harmoniâ mirabili  
 concordarent. S. Bernardus, eò quòd

*Stengel. lib*  
*de matri-*  
*mon. c. 6.*  
 §. 8.

*Cic. l. 1. offic.*

*Prov. 22. 15*

*Lechner.*  
*Sodal. Par-*  
*then. l. 2. c.*  
 8.

*Annua*  
*Soc. 1685.*

*Bonav. c. 5.*  
*vita.*



*V. Surium* fixius mulierem subinde aspexisset, tanta cupiditate illam curiositatem in se vindicandi exarsit, ut subito in vicinum lacum tempestate perfrigida desiliret. In eo collotenus immersus tamdiu perstitit, dum exanguis & tantum non congelatus omnem libidinis calorem extingueret. Vnde postea, teste vitæ ejus scriptore, ad eum pervenit statum, ut non modò caro se adversus spiritum non commoveret; sed spiritus etiam ultrò carni dominaretur.

*S. Ign. li. bel. exercit. hebd. 1.* S. Patriarcha noster Ignatius perquam efficax remedium adinvenit passionibus ac vitijs subigendis; nempe examen, quod vocat, *particulare*, cujus tria per diem assignat tempora. Primum est *matutinum*, quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam, circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. Secundum est *pomeridianum*, in quo petenda est a Deo gratia, ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare incidit, & in posterum cavere: deinde priorem faciat *discussionem*, exigens ab anima sua rationem, de peccato seu vitio jam dicto, & singulas diei partes præteritis percurrentes ab ea hora, qua surrexit, usq; ad presentem, quoties illud commiserit. Tertium erit *vespertinum tempus*, in quo post cœna horam facienda est *discussio secunda*, percursoris itidem horis singulis ab examine

priore usq; ad præsens lapsis. Quò autem facilius vitium subjugari possit, consueverunt nonnulli vespere tot de se ipsis exigere poenas, quoties illo die rei facti sunt; exempli gratiâ, totidem dorso suo verbera flagello impingere, vel totidem oscula terræ imprimere, &c. atque ita uno vitio extirpato ad aliud similiter extirpandum progrediuntur. Multos legi hac praxi & exercitio usos planè ad quandam apathiam eximiamque perfectionem pervenisse.

Ipse certè S. Ignatius (cui familiare fuit horis singulis in actiones suas advertere) cum naturâ biliosus esset, tamen ita passionem istam domuit, ut ab ipsismet medicis phlegmaticus judicaretur. Vnde de eo Petrus Ribadeneira, sedulus aliàs vitæ illius arbiter, scriptum reliquit, quòd habuerit *dominium omnium suorum motuum & passionum*; quam maximam hominis felicitatem reputabat Petrus Aldobrandinus Cardinalis, cum identidem dicebat: *felicitatis fabrica in temperandis affectibus sita est*: quam veram & planè Regiam libertatem censebat Tullius, cum docuit: *Regium est ita vivere, ut non modò homini nemini; sed ne quidem cupiditati ulli servias.*

*Latius regnes avidum domando spiritum, quàm si Lybiam remotis Gadibus jungas, & uterq; Pœnus Serviat tui.*

Farnes. in apoph.

Cic. l. 1. offic.

Horat. l. 2. od. 2.



DOMI-

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

## Navigatio literaria.

*Motus factus est in mari.* Matt: 8.*Habita in instauratione studiorum post ferias autumnales, quando hoc Evangelium legebatur.*1657. 2. No-  
vembr.

Uiescente hactenus studiorum navigio, tranquillam simulque jucundam egimus Alcedonia; nulli remorum, pennarum debui dicere, stridores; nullam navigantium, melius dissertantium, vociferationes exaudiebantur: at ecce denuo motus factus est in mari; rursus expandenda vela, rursus solvenda navis, *cras & deinceps, ingens iter abimus æquor.* Cui non vestrum robur & as triplex circa pectus erit, quod minus timeat precipitem Africum decertantem Aquilonibus? Jure quidem civili tempus navigandi prescribitur ex Calendis Aprilibus in diem Calendarum Octobris, l. 3. C. de naufrag. Apud Romanos autem ex die 3. Idium Novemb. maria claudi dicebantur, quod sub id tempus maxime intumescere solerent propter Vergiliarum Plejadumque occasum. At nos audaciores Tiphyes vel hoc potissimum tempore lati vela dabimus, & spumas salis non tam ere, quam remige pennam ruemus; Batavos imitari, qui ventorum opportunitatem nacti è litore solvunt quovis anni tempore, modò eos glacies non detineat. (a) Nunc sanè frigidissima dominari incipit tempestas, nunc fluvij & aqua rigi-

do astrictæ gelu plaustris potius quam navibus iter opportunum præbent: sed enim scholastica tunc magis fervet navigatio, cum frigidior foris de sævit Boreas: extraneum quippe frigus obesse nequit, ubi calentibus animis & studijs res agitur. Quanquam vereor, ne multos glacies detineat. Vidimus enim hactenus quam frequentissimos in hoc navali cursu defecisse, qui navigationis principio plusquam Batavam generositate æquor scientiarum sunt ingressi. Multi in Scyllas & scopulos, ausim dicere, etiam in Sirenes impegerunt, multi cum Æneæ socijs fluctibus difficultatum hausti cursum abruperunt. Ne ergo tale quid hoc anno patiamini, optimum navigandi modum vos docebo.

Qui securè navigare cupit, prospere cursum, ante omnia opus est habeat peritum Nauclerum; qui & clavum ex arte dirigere, & latentes evitare scopulos, & arenosas declinare syrtes, & ventorum observare flamina, & cœli plagas noverit discernere. Quis ille ejusmodi Nauclerus, & unde nobis petendus? Ille ipse, quem hodiernam in navi secum habent discipuli; quo etiam dormiente non est quod insur-

I.  
Nauclerus  
peritus  
quæredus.

F 2

gen-

Horat. l. 1.  
Carm.(a) Beyerl.  
tit. Navig.



gentes fluctus tempestatesque sonoras  
formidemus. Si enim Teucer ausus  
est navigationis suæ socijs dicere:

*Horat: sup:* Nil desperandum est Teucro duce, &  
auspice Teucro,

meliùs ego dixero:

Nil desperandum est Christo duce, &  
auspice Christo.

Nota est illa Jasonis navigatio, quam,  
cum aliquot virtutis suæ æmulis heroi-  
bus Colchos instituit, ut *vellus aureum*,  
quod istic sub custodia taurorum &  
draconum asservabatur, obtineret.  
Sed nisi à Phineo quodam de periculis  
maris & Cyaneis petris; nisi à Medea  
de edomandis tauris & dracone so-  
piendo edoctus fuisset, certissimum  
pro spolio retulisset exitium.

*Sap. 8. 7.*  
14.

*Vellus aureum & thesaurus infinitus*  
*hominibus* est sapientia, teste ipso mor-  
taliù sapientissimo, thesaurus obtentu  
perquam difficilis; nam, ut vetus Poëta  
apud Clementem Alexandrinum ait:

*Clē. Alex:*  
*l. 5. Strom.*

*expugnata difficilia sunt Musarum dona.*  
Hunc thesaurum, hoc vellus universi  
obtinere satagitis, *huc vester cursus* est.  
Et quis illud vobis certiùs deteget, ac  
is, qui solus novit locum illius? Audi-  
te Jobum: *sapientia ubi invenitur? &*  
*quis est locus intelligentia? Abyssus dicit:*  
*non est in me; & mare loquitur, non est*  
*meum.* Scimus alioqui mare sum-  
morum thesaurorum domicilium esse;  
hinc corallia, hinc uniones & margari-  
tas (res summæ apud homines æsti-  
mationis) arduo cum primis piscatu  
extrahi; at vero sapientia, ut Hebræus  
textus habet: *pretiosior est margaritis,*  
& ideo, ut vulgata legit, *trahitur de oc-*

*Job. 28. 12.*

*cultris, & quidem de magis occultis,*  
quàm sint occulta maris, quæ ita igno-  
rari non possunt, ut non vel à stupidis  
ingenioque hebeti urinatoribus de-  
prehendantur. Ex quibus nonnulli,  
ut scribit Nierembergii, ad ipsum uf-  
que maris fundum descendisse, ibique  
virentia prata, gramen thymosum gi-  
gnentia se vidisse, affirmant, atque in  
illis conchylia generari, ali, coalesce-  
re; & ut in ostreis videmus circum se  
multiplices natos nepotesque pro-  
creare.

*Vnde ergo sapientia venit?* pergit  
querere Hulsæus Princeps. Et post  
longam suspensionem tandem ait:  
*Deus intelligit viam ejus, & ipse novit lo-*  
*cum illius.* Ecce vobis, AA. optimum  
Ductorem, cum quo si navigatis, vici-  
stis. Navigabitis autem, si studia ve-  
stra ad ejus gloriam direxeritis, liqui-  
dem, ut nonnemo loquitur (a) *ea vera*  
*sapientia est, sapere qua Dei sunt, & co-*  
*gnitionem ac doctrinam, ad bonam vitam*  
*& Dei cultum gloriamq; referre.* Sed  
enim plurimos hactenus vidimus, qui  
cùm thesaurum istum *in fictilibus cere-*  
*bri vasis* se putant in salutem suam de-  
vehere, à serpente infascinati vasa con-  
fringunt, ut ille nauta apud Nicetam.  
Narrat hic Autor, Michaëlem Sicidi-  
tem Orientis Imperatorem, cùm forte  
ex editiori loco palatij Constantino-  
politani prospiciens naviculam vidis-  
set, quâ ollæ ac patinæ vehebantur, car-  
mine magico effecisse, ut nauta exur-  
gens, arrepto fulte, vasa non priùs feri-  
re desisteret, quàm in pulverem rede-  
gisset. At paulò post barbâ prehensâ  
lamentari, jacturam suam deplorare,

(a) *Cresoll:*  
*anthol. c. 6.*

*Nicet. l. 4.*  
*annal.*

amo-

amotaque caligine semetipsum ut irâ Numinis agitatum execrari. Rogatus, cur merces suas tam malè tractâset, cum dolore referebat, se remigio intentum horribilem serpentem, oculis inconnivis, hiante rictu in se conversum vidisse, qui prius in navi volutari non destitit, quàm vasa cuncta comminuerentur; inde subitò ex oculis evanuisse.

Serpens ille fascinator, mihi credite, aliud non est, quàm prava & perversa studendi intentio. Hæc subinde studentium animos ita offundit, ut dum volunt sapientes fieri, *fiant stulti & phanatici*. Pulchrè hac super re Bernardus. *Sunt qui scire volunt eo fine tantùm ut sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis questus est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciatur & ipsi, & turpis vanitas est. Vanus & stultus pene synonyma sunt, siquidem stultorum propria est levitas, qualem ejusmodi sciolis attribuit Apostolus, cum ait eos circumferri omni vento doctrinae.*

Ventus doctrinae quis alius est, quàm ambitio, quàm inanis gloria, quàm superbia & tumor? *Scientia enim inflat.* Ejusmodi vento ad naufragium ulque jactatus est doctrinae portentum Tertullianus, de quo ita noster Cresollus: *"ad scopulos, impietatis & superbiae navem suam, alioqui felicissimè volitantem afflixit, cum Episcopatus Carthaginensis spe excidisset, (defecit enim idcirco ad hæresim Montanistarum)"* ille Tertullianus, plurimarum, *"velut palmarum gladiator invictus,"* qui alios studio honoris elatos eo ma-

ximè nomine reprehenderat. Ille Tertullianus, quem S. Cyprianus per excellentiam Magistrum appellabat, nam cum ejus scripta sibi dari posceret, non aliter poscebat, quàm: *da Magistrum.* Origenes Adamantius quantum non fuit ingenij miraculum! cujus sex milia librorum Hieronymus se legisse fatetur: & tamen de illius salute passim dubitatur, uti & de Salomonis, qui disputavit *à cedro usq. ad byssopum.* Illud inprimis tragicum, quod de Religiosis quibusdam Neapolitanis scribit Antonius Senensis. Contigit, inquit, Neapoli in uno aliquo cænobio triclinij curatorem sub vesperam cœnaculum intrare, cum illud totum circumquaque à fratribus superiore veste indutis & quasi ad sumendam cænulam paratis occupatum deprehendit. Percussus tam invisio spectaculo extemplo superiorem adit, & visa nunciat. Superior cum non haberet nuncio fidem, cænaculum ingreditur, ubi suis ipse oculis rei veritatem deprehendit. Qua re vehementer perturbatus, præcipuos cænobij Patres consulit, quid facto opus. Omnium sententia fuit, ut superior ipse sacris indutus, totoque fratrum comitante conventu SS. Eucharistiam in triclinium deferret, ibique cum, qui inter ceteros eminare videbatur, rogaret, ejus, quem deferrebat, autoritate compulsus diceret; quinam essent, & qua de causa illuc convenissent. Placuit sententia. Vadit in triclinium cum toto illo apparatu superior: qui ubi primùm cum SS. Sacramento apparuit, omnes in signum venerationis assurrexere, demis-

Rom. 1.

Bern. serm. 36. in Cant.

Eph. 4. 14.

1. Cor. 8.

Cresoll. my-  
tag. 1. 3.

c. 4.

3. Reg. 4.  
33.

sisque capitibus, etiam capitia singuli, ne agnoscerentur, attraxere, eoque facto rursus omnes confedere. Tum iussi à superiore dicere, quinam essent, & quid requirerent, omnes capita inclinârunt. Demum qui præcipuus inter illos videbatur, omnium nomine dicere cœpit: omnes & singulos ejusdem Ordinis Religiosos fuisse, magnaque ex parte Doctores, Baccalaureos, Lectores & Magistros, omnesque propter ambitionem, superbiam, aliaque vitia sententiam damnationis accepisse; divinitusque iustos comparere eo loci, quatenus monerent ceteros, ipsorum insipientiâ saperent, sanctiusque doctrinâ sibi à Deo data, uti discerent. O luctuosam sortem! & omnibus omnino metuendam, qui S. Bernardi jam supra à me citati salubre de modo sciendi monitum negligunt. *Modus est*, inquit ille, *ut scias quo ordine, quo studio, quo sine quaq; nosse opus. Quo ordine? ut id prius quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo sine? ut non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad edificationem tuam vel proximi.*

II. Alterum navigantibus summè necessarium est *Panis*. In quo se aliquando peccasse fatentur ijdem illi hodierni Nautæ, cum in navi à Christo moniti, attenderent à *fermento Pharisæorum*, nullitabant inter se: *quia panes non habemus*. Qui sine pane mare navigat, perinde est ac si sine remo navigaret. Vnde Christiernus Rex Daniæ dicebat: *panis est remus Regni*. Hic est remus. idem pro synbolo habebat cymbam,

cum remo, in cujus manubrîo panis erat cum lemmate: & *pangit & frangit*; scilicet frangit hostes, pangit amicitias. Remum vobis AA. optimum porrigo *Panem Eucharisticum*. Hoc si frequentius reficiemini, ausim polliceri, secundissimum vobis studiorum fore cursum, facillimamque doctrinæ, quam presum itis, consecutionem. Quidni enim optima doctrina in tali pane lateat, qui ipsum sapientiæ continet autorem, qui totus virgineus & candidissimus est? Communis fert opinio candidum panem, quas *semellas* vocamus ad ingenium multum conferre. Hinc continuè studentes ejusmodi pane ut plurimum vesci solent, ob subriles, quos suppeditat, spiritus, facilèque digestionem. Multos hic numerare possem literarum studiosos, qui, cum naturâ hebetis & obtusi essent, ingenij, ex pane Eucharistico sæpius gustato, longè perspicaciores, quàm ex melle suo Jonathas effecti sunt. Vnus pro multis sufficiat D. Thomas, studendi principio pro stupido bove habitus, hodie Theologorum Alpha, & Doctor Angelicus. Vnde hæc illi doctrina? Vtique è cibo Angelorum, cui mirificè affectus vixit. Et uti in ceteris sublimioris scientiæ difficultatibus omnes unus superavit, in SS. tamen Eucharistiæ mysterio pertractando ita excelluit, ut propterea audire meruerit, ab ipsomet Christo: *bene scripsisti de me Thoma*. Néve aliunde doctrinam istam videatur hausisse, studijs suis *premittebat divina* (ait Bulla Canonizationis illius) *ut roboraretur in scholis, cum singulis diebus, antequam lecturus ascen-*

*ascenderet cathedram, Missam celebraret, & unam alteramve audiret.* P. Thomas Sanchez Societatis Jesu, Doctoris illustrissimi titulum sanè rarum meruit; sed idem Eucharistiam tam sibi quotidianam habuit, ut eam quotidie quinies; diebus verò Jovis octies salutaret. Et quis non doctus ac intelligens evadat ex *Pane intellectus*? Ita enim Panem Eucharisticum jam pridem sacer definivit Ethicus, cum docuit: *qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est justitia, apprehendet illam, & obviabit illi quasi Mater honorificata. Cibabit illum pane vite & intellectus, & aqua Sipientia potabit illum.*

Eccli. 15.

III.  
Aqua dulcis.

Et quanam illa aqua sapientia? haud dubiè dulcis aliqua & putealis, quali navigantibus non secus ac panis opus est. Quippe aqua marina, quia falsa, acerba & insipida, potibus minimè deservit. Habetis, Sapientia remiges, habetis præclarissimum Puteum, unde dulcissimam, recentissimam, limpidissimam hauriatis aquam; Puteum aquarum viventium omnibus patentem Mariam. Ita enim eam appellat sacer Sponsus: *Soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquarum viventium*, quæ non possunt non esse dulcissimæ, cum ipsamet Virgo dicat: *spiritus meus super mel dulcis.* Ex hoc puteo omnem suam sapientiam & Philosophiam, hausit doctrinam Magnus ille Albertus. Hic, ut Prædicatorum docent annales, & exinde Hieronymus Platus, sexto decimo ætatis anno in eum ordinem ingressus, cum in literis pene nihil proficeret, eò quòd esset

Cant. 4.

Hier: Plat<sup>9</sup>  
l. 2. de bono  
stat: Relig:  
c. 33.

-MOU

inge-

genio ac memorià tardiore, tanto affici cœpit tædio, ut etiam de religiosa vita deferenda tentaretur. In qua fluctuatione dum hæreret, visum est ei nocte quadam, cum scalis ad monasterij muros admotis abitum pararet, apparere Matronas quatuor venerabili admodum vultu, quarum una, deinde altera, semel jam atque iterum scandentem manu impulsam deturbaret; cum autem tertio idem conaretur, interrogatur à tertia, quidnam ageret, & qua de causa abitum tam studiosè moliretur. Hac exposita monet illa, ut opem potiùs à quarta Matrona (Dei Mater erat) exposceret, se verò cum reliquis deprecatione adjuturam. Paruit Albertus, & benignè acceptus à Virgine, optionem insuper accepit; utra in scientia excellere mallet, divina, an naturali. Tum ille, qui pro ætate sua nihil etiamnum altius gustasset, cum Philosophiam nominasset; fiat, inquit, Cœli Domina, quod petisti. Sed tamen, quia scientiam hanc filij mei scientia prætulisti, extremam vitam omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam nunc exues, hebetudinem recides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit; quicquid audiret, quicquid legeret, facillimè capiebat, aut si quid paulò difficiliùs incidisset, cum se ad Virginem deprecandam, quasi promissum efflagitans convertisset, illicò conquebatur. Nemo vestrum AA. ad nodosas Logicæ & Aristotelis quaestiones, nemo ad abstrusas Theologiæ difficultates, Justiniani tricas animum despondeat: si enim fontem & Matrem sapi-

sapi-

sapientiae Mariam, ut par est, colueritis, si ejus Conventus ac Oratoria seduli frequentaveritis, si in dubijs vestris eam consulueritis, ausim promittere, omnes ac singuli Magni Doctores eritis. Expertus hinc auxilium manifestum est Biturigibus unus aliquis Sodalitatis Alumnus, qui cum ad res Philosophicas percipiendas Bæotica quâdam stupiditate, & plumbeo velut ingenio penitus hebesceret, votis Virgini Matri nuncupatis huic duritiæ mentis amoliendæ, tantum postea perspicacitatis nactus est affusâ ipsi Virginis ope limpidissimâ sapientiae aquâ, ut de Philosophicis ænigmatis abstrusissima quæque liquidè pervideret, & ad stuporem omnium de iisdem discerneret. Svadebat aliquando discipu-

*Lechner  
Sod. Parth:  
l. 3. c. 9.*

lis suis S. Jacobus: *si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter; sed ego non minùs profusam hinc dixerò Mariam, siquidem illam sic alicubi audio gloriantem: ego Sapientia effudi flumina; ego quasi trames aqua immense, doctrinam quasi prophetiam, effundam & relinquam eam quærentibus sapientiam.*

*Eccli. 24.*

His itaque præsidijs instructi ac muniti securi è portu solvite; ventus vobis bonus deesse non poterit auspice CHRISTO & MARIA. Anchoram suam cuique spes fabricet, quæ non citius ac in fine anni cursum abrumpat, quando rursus lætum illud carmen occinere licebit:

*Anchora de prora jacitur, stant litore puppes.*

*Virg. 6.  
Æneid.*



DOMI-

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Emblema Peccatoris dormientis.

Cum dormirent homines. Matr: 13.

U. Meur-  
sum in Cri-  
tic. ubi ait  
nefas fuisse  
apud Grae-  
cos meridie  
templū in-  
trare, quod  
tum meridi-  
diari Deos  
crederent.  
Ovid. 11.  
Metamor.



I vulgò mortis frater,  
somnia habetur; non pu-  
to cum Graecis Deos dor-  
mire posse. Quomodo  
enim affines sint Mors & Vita? Et quæ  
societas luci cum inquilino tenebra-  
rum? siquidem, ut canit Poëta:

Est prope Cimmerios longo spelun-  
ca recessu,  
Mons cavus, ignavi domus, & pe-  
netralia somni:  
Quò nunquam radijs oriens, me-  
diusve, cadensve  
Phœbus adire potest.

Hinc Magnus ille Macedo, cum ab a-  
dulatoribus Deus appellaretur, morta-  
lem se fatebatur vel ex eo, quò som-  
no egeret, qui mortis imago est. Ev-  
clides quidem apud Stobæum somnum  
vocat juniorem & puerilem Deum: sed;

Non bene conveniunt, nec in una sede  
morantur

Majestas divina & puerilitas. Non  
abs re itaque hodiernum Evangelium  
dormitionem ad homines extendit,  
ubi ait: cum dormirent homines. Quan-  
quam & homines nonnulli Dij sunt, id  
quod ipse Dei confirmat Filius; cui dum  
aliquando malignè blasphemiam obji-  
cerent Judæi, quò se Deum faceret,  
respondit: nonne scriptum est in lege ve-  
stra; quia ego dixi, Dy estis? Si illos di-

xit Deos, ad quos sermo Dei factus est,  
& non potest solvi scriptura: quem Pater  
sanctificavit, & misit in mundum, vos di-  
citis: quia blasphemias; quia dixi: Filius  
Dei sum? Sic etiam Hieronymus Chri-  
sti discipulos è numero hominum exi-  
mit, cum illa verba nuperi Evangelij:  
porrò homines mirati sunt, hunc in mo-  
dum explanat: non discipuli, sed nauta,  
& ceteri, qui in navi erant mirabantur.  
Subdit tamen: sin autem quis contentio-  
se voluerit eos, qui mirabantur fuisse dis-  
cipulos: respondebimus, rectè homines ap-  
pellatos, qui necdum noverant potentiam  
Salvatoris. Quod est idem ac dicere:

necdum in fide & virtute provecti e-  
rant, necdum perfectionem Evangeli-  
cam attigerant, necdum plenè veterem  
hominem exuerant: & maximè Ju-  
das, propter quem, Ambrosio teste,  
eos propriè homines esse, qui in statu  
peccati veriantur, & propriè dormire;  
dormire enim, ait Gregorius, est in pec-  
catis jacere, ut sequens Emblema do-  
cebit.

Pictor nonnemo artifici penicillo  
adolescens effinxerat in aperta pla-  
nitie jacentem. Jacebat ille alto so-  
pitus somno, & veterno insepultus.  
Pro lectulo non erat herba lenis, aut  
mollis cespes; sed hispida vepres, &  
acutæ spinæ. Jacebat tamen, & al-  
tùm dormiebat. Ne tamen dormiret

G omni.

Lib. 1. com:  
in cap. 8.  
Matth:

Ambrosio in  
c. 5. Luc.

Stob: ser. 6.

Joann. 10.

omnino, aderant à lateribus tubicines duo, qui pleno spiritu, patentibusque buccis inflarent tubas, easque dormientis auribus admoverent. Præter hæc imminabat vertici Sol altissimus, & ardentes radios in ipsos oculos perpendiculariter demittebat. Hæc inter omnia tamen dormiebat miser, & pleno oris nariumque meatu somnum eructabat. Quis non ejusmodi somnum verissimam mortis imaginem, fratremque germanissimum censeat? Sanè mortuo quàm simillimum necesse est fuisse, qui ad tam sensibilia objecta sine sensu permansit, ceu rudis sine anima truncus. Talium dormientium, seu veriùs Lethargicorum infinitus hodie est numerus, quos tamen omnes ex hoc uno ectypo æstimate.

I.  
Adolescens dormiens symbolū peccatoris.

*Aristot. de somno & vig. c. 4.*

Qui picturæ caput est Adolescens, genuinum schema refert Juvenis vividi in peccato aliquo dormientis, hoc est valde habituati. Nōstis, Philosophi, somni causam & materiam ab humoribus subministrari. Ex evaporatione enim circa alimentum passio fit hæc. Et ideo maxime fiunt somni à cibo, nam repente tunc multa humiditas sursum fertur, inquit Aristoteles. Hinc etiam pueri & Juvenes, quia humoribus abundant, longiores idcirco somnos amant, septem duntaxat horis dormire nequaquam contenti, quantumvis occlament Salerni:

*Septem horis dormisse sat est, juveniq;  
seniq;.*

Verùm enim verò sicut in somnum naturalem procliviores, sic in vitia faciliores, imò cerei sunt, juxta illud Horatij de Juvene:

*Cereus in vitium flecti, monitoribus  
asper.*

*in art. Poet.*

Somni autem hujus pestilentissimi plerumque causa solet esse humor, id est Venus, quam de aquis & spuma maris ortam fingunt Poëta. Videte mihi Juvenem quempiam carnis mollitiæ totum immersum, suæque salutis penitus oblitum; dormit ille (*germanus* enim ut *mortis*, ita & *oblivionis* somnus habetur Orpheo teste) dormit, inquam, & stertit; oppilatis per scelera sua meatibus divinæ gratiæ, quæ animæ est vita. At quodnam & quale ejus cervical? an uter, ut Persis? an retia, ut Scythis? an olorum plumæ, ut Sybaritis? an rosæ, ut Smyndiridi, aut certè Ælio Vero, de quo hæc Historici: *lectulum, minutulumq; reticulum folijs rosa repletum habebat, quod sibi substerni curabat, & in quo Persicis odoribus perunctus recubare consueverat.* Rosa pudicitia symbolum est, Veneri cum primis inimica, quia cruenta.

*Pier. l. 55.*

Qui ergo sopitus à Venere, rosas à se procul tecit, reliquum cui incubet non habet, præter spinas. At non quales erant DD. Benedicto & Francisco, qui sibi è spinis subinde fecere lectulos, cum ab hac Dea suaviter ad somnum invitarentur. Illis quippe vepretum in rosetum effloruit, qui, ne pudoris amitterent purpuram, vepres suo ipsorum sanguine rigarunt, neve obdormiscerent, ad vigiliam sese spinarum aculeis acuerunt. Testantur enim vitæ eorum scriptores, quòd cum lascivis subinde ugerentur cogitationibus, nudi in spinas sese injecerint. Spinæ contra suas minimè persentiscit in

II.  
Ejus culcitra è spinis sunt Conscientiæ stimuli.

*V. Surium in vitis eorum.*

in peccatis jacens Endymio, quantumvis acuta sint, ipsisque spineæ Christi coronæ juncis aciores. Pungunt illum propriæ conscientiaë stimuli; & ipse dormit. Terebrat intima ejus viscera plusquam Tityi vultur ex scelere nascens *synderefsis*; & ipse dormit. Lancinat cor ejus crudelissimè *vermis*, qui nunquam moritur: ipse nihilominus dormit.

Mar. 9. 43.

Bonfin. l. 3.

Hung. dec.

3. ad ann.

Chri: 1415.

Sigismundo Imperatore ad Transalpinas partes subinde confligente, miles ex legionibus illius ceciderat, homo aliàs ex status sui conditione leviculus, cetera singularis Deiparæ cultor. Annis jam pluribus jacuerat, cum bonâ fortunâ locum illum denuò cum exercitu suo Imperator revisit, atque inter transeundum audit è circumadjacentibus lucis silvisque, sive murmur, sive sonum hominis miserabiliter opem in clamantis. Mittit, qui propius inspicerent, undenam tristis ille ejulatus nasceretur: & ecce inter dumeta & vepreta reperiunt humanum cadaver, jam quidem media sui parte putrefactum; sed tamen adhuc inter gravissimos dolores spirans: junci siquidem & spinæ, quibus jam multo tempore incubuerat, ita increverant undique corpori, ita se penetrarant & insinuarant putidis membris, ut novo portenti genere homo in echinum transformatus videri posset. Stabant adhuc in stuporem defixi exploratores, præ insolentia spectaculi, dum miser ille caput atque oculos inter vepres attollit, & interruptâ singultibus voce significat, se ante complures annos, sub signis Sigismundi Imperatoris, hoc

ipso loco in acie corruisse. Porro in hunc usque diem divina vi servatum; ira enim à Dei Matre sponsonem accepisse, non se moriturum, priusquam lacra confessione mortifera crimina expiasset: rogare proinde, ut sibi Sacerdotem aliquem adducerent. Hic ubi advenit, veniamque Sacramentali absolutione impertijt, continuo tabefactum corpus ab anima sua relictu est.

Quis tot annis juncos, paluros, spinas & aculeos patienti non compatia- tur? Quis non hoc tormentum gravissimum reputet? Nihilominus ex Augustini sententia: *inter omnes tribulationes humane anime, non est major tribulatio, quam conscientia delictorum.*

Aug. in Ps. 45.

Et Ambrosij: *qua pœna gravior, quam interioris vulnus conscientia?* Non si omnes Syllæ aut Neronis gladios pectori infixeris, parem plagam efficies. Omnes tamen ejusmodi cruciatus & puncturas sopire pergit infelicissimus homo, quantumcûq; inter scelera computrescat; qualem Lutherum fide digni scriptores referunt. Enormium ille delictorum reus, accerrimè identidem à propria perurgebatur conscientia, adeo ut ingemiscens se ipsum his aliquando verbis interpellaret: *Martine, belle hic tecum agitur; an etiam post mortem hac expectanda?* Sed ne sentiret plagam, reversus ad combibones prægrandi cyatho se proluit, & sensus sopivit: contra atque egit David, qui post duplex adulterij & homicidij peccatum ubi se pungi persentiret, statim evigilans exclamavit: *conversus sum in arumna mea dum configitur spinâ.* Et

Ambr. l. 3. offic. c. 4.

Psal. 31. 4.



(a) Ennius  
III.Tuba in-  
aurem so-  
nantes pie  
adhorta-  
tiones.

(b) Eph. 5.

Iam tuba terribili sonitu taratan-  
ra dixit. (a)

jam intimas in aures clangor buccina-  
rum instrepuit. Surge, qui dormis?  
(b) Non audis? intendite sonitum buc-  
cinatores, buccasque vestras quanto  
potestis flatu diducite, fortè multipli-  
catus canor veterum discutiet, & op-  
pletam torporis nebulis mentem suæ  
restituet serenitati. Actum est; dor-  
mit in utramque aurem, nec ad ullam  
excitatur tubam, ut ille Bohemorum  
Antistes Adalbertus. Româ ad suos  
secundùm redibat, fessâque itineris du-  
ritie membra tâtisper recreare volens,  
prope pagum, haud procul ab oppido  
Tusta, super viridantem cespitem pro-  
cubuit. Cùm ecce insolens nonnemo  
de bubulcorum grege cornicen advo-  
lat, suumq; pastoritium non tam Pœa-  
na quàm Pana in aurem dormientis  
boat. Evigilat ad primum sonitum  
vigilans Præsul, pœnaque surditatis  
impium multat cornicinem, ut qui e-  
tiam in somnis sibi auritas aures non  
horruerit violare. Nimirum ipse Justo-  
rum somnus vigilia est; ad primam  
Dei vocem excitantur, quod de Samue-  
le sacra memorat historia: *Samuel  
dormiebat in templo Domini, ubi erat ar-  
ca Dei, & vocavit Dominus Samuel, qui  
respondens ait: ecce ego.*

1. Reg. 33.

Isai. 58.

Aug. serm.  
106. de tep:

Tubicines divini verbi præcones, &  
sacri Ecclesiastæ sunt; illis enim, quod  
Isaiæ, divinitus præcipitur: *clama ne-  
cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, &  
annuntia populo meo scelera eorum.* Hoc  
est, ut D. Augustinus explicat: *ne par-  
cas peccatoris iniquitati, ne tacendo per-  
eas, & dum vercundia ejus consulis, non*

consulas sanitati: ne vulnera illius, qua  
clamando refecare poteras, reticendo in-  
pejus enervias. Scitis quia tuba non tam  
delectationem præferre, quàm inferre for-  
midinè soleat. Et clamant sanè, clamant  
illi, ad ravim usque, annuntiant, inve-  
huntur in vitia, instant, arguunt, incre-  
pant, obsecrant in omni patientia & do-  
ctrina; nec audiuntur. Dei vindicem  
iram, Inferni supplicia ferali sonore,  
occinunt, sed dormientibus fabulam.  
Verùm enim verò, cùm sic dormiunt  
homines, venit ex improvise inimica  
mors, eosque ad tribunal supremum  
evocat, id quod non ita pridem evenit  
cuidam in Gallia Adolescenti (cujus  
nomini parci vult scriptor. (a) Egerat  
is diu vitam in omnem libidinem pro-  
stitutam, nec ab illa vel pijs amicorum  
monitis, vel salutaribus Religiosorum  
doctrinis, vel conscientie stimulis re-  
vocari unquam se passus est, ad omnia  
penitus obsurdescens. Tandem, nil  
tale opinatus, à divina oppressus Ne-  
mesi, dum ocreas induit, vitam subito  
exiit; nec auditus quidquam eloqui,  
nisi hoc lugubre carmè: *ò misella anima  
quò ibis? Ivit probabiliter quò pridem  
ire meruit; ivit ad longam æternamq;  
vigiliam, quam suus Dominus non  
invenit vigilantem.*

2. Timoth. 1.

(a) Lobbet.

Luc. 12.

IV.

Solis radij  
divinæ in-  
spiratio-  
nes.

Vigiliarum supremi Præsides sunt  
oculi. In his & sensus delicatior, &  
expergefactio facilior. Plurimum au-  
tem tanguntur lumine. Videmus  
enim eos, quorum oculis ardens propè  
applicatur fax, è somno statim excita-  
ri. Sparge tuum nunc calentissime  
Phœbe jubar, & quàm potes densissi-  
mo agmine in clausas peccatoris pu-  
pil-

CHRISTVS  
Sol homi-  
num.

Corn. à lap.  
in cap. 43.  
Eccli.

In ejus vi-  
ta l. 2. c. 22.

Cantipr. in  
ejus vita.

pillas jaculare. Tandem tandem quem neque spinæ, neque tubæ expergefacerent poterant, excitabunt radij totidem, velut sagittarij. Hominū sol & Phœbus Christus Dominus est. Ita docet S. Anselmus: *venit inquit, Christus velut nitidissimus Sol ad ipsum peccatorē.* Et Sacerdos quidam Religiosus dum scire cuperet, quidnā sibi vellent verba Gen. 49. *pulchriores sunt oculi ejus vino*; vidit in sacro calice divina mysteria celebrans Christi faciem, ejusque oculos tanto lumine radiantes, ut mundum universum in Cimmerijs tenebris longè uberius, quàm vel mille soles possent illustrare. S. Gertrudis hæc de se scribit: *Cū ō Domine applicuisses mihi tuam faciem optatissimam, ego ex divinis tuis oculis persensī per oculos meos ingredi, in intima mea, lucem quandam incomprehensibiliter suavem, quæ penetrando omnia mea viscera videbatur operari in singulis membris meis virtutem quandam supra modum admirabilem.* Sancta quoque Lutgardis vehementi Christum videndi flagrabat desiderio: cui ille se exhibuit, non quasi unus sol, sed quasi mille soles. Vnde posthæc referebat, oculos ejus tam ineffabili splendore coruscare, ut si ille splendor Solis lumini infunderetur, in infinitum amplius solem obscuraret, quàm ipsius

solis radij stellarum lucem obtegant. Sed neque ad tanta lumina dormiens evigilat homo. Respicit hunc Sol Christus, calentissimos divinarum inspirationum radios, ceu totidem amoris sagittas in eum jaculatur, internis animæ illius oculis quàm copiosissimum lumen admovet, quo illustratus peccati malitiam agnoscat, pericula sua discernat, Dei in se collatas gratias advertat, offensæ gravitatem dispiciat; ipse porrò dormit. O lethalem somnum! imò ō somnum morte ipsā deteriorē! Nunquam enim ita Deus in excitandis mortuis laboravit, quos vel unico tactu, vel gemino excitavit verbo. Docent non obscuri Interpretes, eam fuisse in oculis Christi, dum in terris egit, efficaciam, ut vel uno intuitu quemcunque vellet in amorem suū trahere potuerit. Sic semel duntaxat respexit Matthæum, & ecce continuo relicto telonio, *surgens secutus est eum.* Semel in medio passionum æstu *respexit Petrum*, & confestim ipse quoque oculos aperuit, & in lacrymas resolvit. Nempe radij quidam divinæ lucis ab ipso promicabant, omni telo acutiūscorda penetrantes. Quid igitur de eo dicendum qui ad tam potentes radios excitari non sustinet? hoc unum: *obdormivit in Demone.*

Matt. 9. 9.

Luc. 22. c. 1



DOMI-

## DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

## In parvitate magnitudo.

*Simile est Regnum Cælorum grano sinapis. Matth: 13.*

**R**aposterè judicare viderer AA. si parva magnis componere, si cubitalem nanum cum Encelado, muscam cum elephanto, leporem cum leone conferre; Triurbem nostram rustico mapali casæque pastoritiæ vellem assimilare. Sic Tityrus ille Virgilianus se ipsum stultitiæ arguit, quòd Romam patriæ suæ æquiparasset.

*Virg: Eclog:  
1.*

*Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi*

*Stultus ego huic nostra similem, quòd sepe solemus*

*Pastores ovium teneros depellere fœtus.  
Sic canibus canulos similes, sic matribus hœdos*

*Noram, sic parvis componere magna solebam.*

*Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit urbes,*

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

At quanta erit si cum cœlesti urbe Hierusalem conferatur? Si terra tota respectu cœli granum exiguum est, quo non imaginabili puncto minor reputabitur Roma tantilla terræ portio? Nilominus contra omnes proportionum mathematicarum regulas increata sapientia totam illam immensam domum, & molem, (de qua Baruch ex-

*Baru: 3. 24. clamat: ô Israël quam magna est domus*

*Dei, & ingens locus possessionis ejus) totâ, inquam, illam domum & molem ad unum granum sinapis reducit dnm ait: simile est Regnum cœlorum grano sinapis. Scimus equidem totam Homeri Iliada in nucem fuisse inclusam. Scimus integras Myrmeceidæ quadrigas unâ cum aurigis sub alas muscæ compactas; scimus navem à Callicrate fabricatam, quam apicula pinnis tegetet: credimus Adriano Junio cerasi nucleum in quassilli formam exculptum se vidisse testanti, in quo quindecim paria tesserarum suis punctis affabrè distincta continebantur: miramur horologium Caroli V. in anuli palam immissum: obstupescimus machinam Cosroës, in qua cœli effigies, astrorum, planetarumque motus, ac revolutiones cum sceptrigeris Angelis astantibus cernebantur; tum imbres pluere, micare, fulgura, tonitrua mugire; adeo ut ipse Jupiter indignatus dixerit:*

*Iam meus in fragili luditur arte labor; sed enim qui in uno sinapis grano tanta miracula exhibuisset, artificem hæcenus non vidimus, non audivimus, non legimus. Solius Dei est mundum universum ad punctum redigere posse, quando semetipsum, cum non haberet terminum magnitudinis, redexit ad terminum parvitatæ grani sinapis; quam artem omnium maximam & vos ego hodie docebo.*

*Si.*

*Simile est Regnum Caelorum grano sinapis. Tò Regnum Caelorum, in triplici potissimum significatione ab interpretibus accipitur. Primò propriè significat Beatorum sedem, quo sensu loquitur D. Gregorius: Caelorum Regnum, fratres charissimi, idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his que animus novit, surgat ad incognita qua non novit. Qualiter simile dicitur nuptijs, (Matt: 19.) canæ, (Luc: 14.) denario, (Matt: 20.)*

*2. Significat Christi Ecclesiam. Sic alio in loco idem Doctor: sciendum, inquit, nobis est, quòd sæpe in sacro eloquio Regnum Caelorum presentis temporis Ecclesia dicitur; quomodo intelligenda est parabola vineæ, (Matt: 20.) sagenæ, (Matt: 13.) zizaniorum. (ibidem.) 3. Ipsum Christum, juxta quam acceptionem nonnulli hodiernam sinapis parabolam illi applicant. Hilarius enim ait: grano sinapis se Dominus comparavit, acri maxime & omnium seminum minimo.*

*Et Præful Mediolanensis: ipse Dominus granum est sinapis. Nam sicut hoc minus est omnibus seminibus: ita ille suo ipsius testimonio, minor est in Regno Dei. Minor existimatione hominum, inquit Augustinus; minor, id est, humilior in Ecclesia, inquit Doctor Seraphicus. Humiliavit semetipsam in tantum, ut se infra pedes Judæ abijceret, imò planè à Judæis conculari pateretur: interim eum (verba sunt Ambrosij) velut granum sinapis, qui non attriverat populus, nesciebat. Jam si omne semen generat sibi simile, unumquemque cum Theophylacto admoneo: tu quoque, ô Christiane, granum esto sinapis.*

Esto minimus omnibus seminibus, id est hominibus, (semen enim non tam Abrahæ, quàm ipsius Christi sumus) minimus in oculis tuis, minimus opinione, minimus hominum existimatione, qualiter Paulus, licet abundantius omnibus laboraverit, sese vocat minimum Apostolorum, secutus regulam Siracidæ docentis: quanto magnus es, humilia te in omnibus, hoc est, quanto magis ceteris excellis & emines, tantò minor appareas, tantò magis te vilificias. Apostolum imitatur summus in terris Christi Vicarius, qui se ad parvitatem grani sinapis redigit, cum non aliter se appellet, quàm, servum servorum Dei, hoc est, in Ecclesia minimum. Et ne vanam putemus appellationem, quotannis feria V. majoris hebdomadæ, duodecim pauperibus pedes abluit, eosq; exosculatur. De Clemente VIII. fide dignissimus illius temporis scriptor ista memorat. "Quot ille quantasque elemosynas quotidie in suo cubiculo distribuit! Nonne decem ibi pauperes, mutati in dies, singulis diebus aluntur? Hi prodeunte ad prandium aut cœnam Pontifice ad pedes ejus se abijciunt, quos ille morbidis suis manibus sublevat, deinde aquam eorum lavandis manibus affundit, ac mensam suæ oppositam, & iisdem cibis instructam consecrat, & ubi singulis potum infudit, suæ demum mensæ assidet, à pauperum mensa parvo intervallo distanti. Feriâ quintâ sanctæ hebdomadæ, & sæpè aliàs, idem Sanctus Pontifex viginti quatuor pauperibus pedes lavat, & osculatur; deinde in novo S. Petri palatio prandenti-

Ioan. 8. 33.

1. Cor. 15. 9.

Eccli: 3. 20.

Florim Rē.

de orig.

her. l. 5.

c. 4.

bus

Greg. hō. 11.  
in Evang.

Idem hom.  
12. in Evan.

Ambros.  
Marc. 4.  
31.  
Luc. 7.

Aug. l. 2.  
cōt. adversi  
leg.  
Bonnav:

bus per duas aut tres horas ministrat.  
 B. Franciscus Borgias, primùm Dux  
 Ribad. lib. Gandiæ, postea humilis Jesu socius eod-  
 4. vitæ c. 1. dem sacro die ad Tirones Societatis  
 verba faciens: nullum, aiebat, hodie in  
 mundo locum reperi. Sextum enim jam  
 annum ad Iudæ pedes illum mihi finge-  
 bam; nunc dum Christum attentè consi-  
 dero is advolutum lavare, tergere, oscu-  
 lari, nullum mihi inde expulso relictum  
 video locum. Consonè prorsus ad spi-  
 ritum sui Sancti Patris Ignatij, qui il-  
 lud sibi à Deo petendum esse dicebat,  
 ut ejus mortui cadaver volucris &  
 feris laniandum obijceretur. Nam  
 cum ego sterquilinum, inquit, & dete-  
 stabilis omnino sim, quid aliud meis crimi-  
 nibus dignum expecta? O utinam (Gvar-  
 ricus serm. 1. de purificat. ricus  
 verbis utor) nos illam haberemus  
 humilitatem in peccatis nostris, quam ve-  
 rè sancti habuerunt in virtutibus suis!  
 Ausim dicere, brevè & ipsi sancti per-  
 fectique evaderemus. Facillimum  
 enim ad obtinendam in quocunq; sta-  
 tu perfectionem compendiū est humi-  
 litas. Suffragatur huic meæ sententiæ  
 celeberrimus Ecclesiæ Doctor Augusti-  
 nus, qui uti sese alicubi peccatorem pri-  
 mum & ultimum appellat; ita rogatus,  
 quānā ad cælum brevissima esset via,  
 respondet: ea est prima humilitas, se-  
 cunda humilitas, tertia humilitas, &  
 quoties interrogares, hoc dicerem; sicut  
 Rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus  
 esset, quid ei primum videretur in eloquen-  
 tiæ præceptis observari oportere; pronun-  
 tiationem dicitur respondisse: cum qua-  
 reretur, quid secundo, eandem pronun-  
 tiationem; quid tertio, nil aliud quam pro-  
 nuntiationem dixisse. Si interrogares,

& quoties interrogares de præceptis Chri-  
 stiana Religionis, nihil me aliud responde-  
 re nisi humilitatem liberet, etsi fortè alia  
 dicere necessitas cogeret. Humilis ali-  
 quis Religiosus, velut granum sinapis  
 in hac vita apparet minimus, vilis,  
 despectus; postquam autem in resur-  
 rectione de terra, in quam projectus  
 fuerat, excreverit, apparebit arbor,  
 fietque major multis Regibus, ac sum-  
 mis mundi monarchis. Illustre hu-  
 jus rei exemplum referunt annuæ Col-  
 legij Neapolitani nostræ Societatis  
 Coadjutorum aliquis istic obiit, & non  
 multis post diebus visendū se præbuit  
 Medico, qui nostris agris suam com-  
 modabat operam, & defuncti, nostri-  
 que ordinis erat amantissimus. At-  
 tonitus hoc favore medicus, rogat il-  
 lum, salvus ne sit? Religioso annuen-  
 te; liceat mihi subjungit iterum, unum  
 alterumve ex te quærere: an Philip-  
 pus II. Rex noster inter cœlites est,  
 & uter vestrum gloriam majorem pos-  
 sidet? Respondit Coadjutor, Philip-  
 pum quidem cœlo adscriptum: quòd  
 verò ad gloriam attineret, tanto illum  
 intervallo à sua gloria abesse, quanto  
 ipse vivens abfuerat ab ejus summa  
 majestate. Et tamen optimus iste  
 Princeps, quàm laudabiliter, quàm san-  
 ctè vixit, ut in ejus vita primùm Hi-  
 spanicè, tum Latinè conscripta hoc ei  
 nonnemo det testimonium. " Cre-  
 dendum est, DEI in cœlo aspectu frui  
 eum Regem, qui tantus zelotes Fidei  
 extitit, tam amicus justitiæ, quam nun-  
 quam rupit, teste ejus Confessario, nisi  
 deceptus, aut per ignorantiam, tam  
 rectæ & sanctæ intentionis, tantus cul-

apud Bar-  
 ry solitud.  
 bagioh.  
 die 5.

Philippi II.  
 vitam His-  
 panicè scri-  
 psit Cervera.  
 Latine  
 Franc.  
 Guill-  
 mann.

tor Religiosorum, tam modestus, sicut bonus artifex sedens in domo tua exemplaris, & providus suis omnibus cum reque, Regnum Dei adeptus es; ego in actionibus, tamque circumspectus, autem velut sine discretione omne tempus ne quisquam sua in praesentia de altero meum in solitudine terens, necdum verbi detraxeret, tam patiens & æquanimis, tui assumpsi mensuram. Simile quid tam devotus, & assiduus in divino cultu, & præcipuè Sanctissimi Sacramenti, evenit alijs Eremicis, qui hominibus quique tanta liberalitate in rebus ad secularibus abjectis & humilibus divinitus postpositi sunt, dum scire cuperent, quonam apud Deum forent gradu perfectionis. Theodulus triginta annis in columna stetit, & tamen meritis æquiparatus est Cornelio cuidam Mimo. Quin & ipse Dæmon rigoribus omnibus excellentiorem agnovit humilitatem: quippe aliquando S. Macario messoris habitu cum falce, *Rufin. nra.* occurrens, in eum impetum fecit veluti graviter percussurus; sed vanâ sine *124.* viribus irâ. Mox cum indignatione vociferari coepit: ô Macari non possum te lædere, quantumvis te longè sim robustior, & in exercendis arduis operibus multò exercitior. Tu crebrò jejunas; & ego nullo reficior cibo. Tu sæpe vigilas; ego semper. Tu multis te laboribus fatigas; ego nunquam quiesco. Verùm re unâ, fateor, me vincis. Quidnam illud est, quærit Macarius? Mox Cacodæmon: humilitas, exclamat, & cum voce oculis sese subducit. Frustra ergo seculares difficilem suo statui perfectionem queruntur, frustra de obtinenda sanctitate desperant: nam licet jejunijs, contemplationibus, vigilijs, austeritatibus vacare, & in corpora more Regularium sævire non possint; at se ipsos vilificare, humiliter de se sentire, amare nesciri, deteriores se alijs reputare, postponere, cedere, opprobria quælibet pa-

Sentent.  
P.P.

Antoni nondum ad mensuram Coriarij Alexandrini pervenisti. Quâ voce auditâ Antonius Alexandriam extemplò cõntendit, & Coriarium diu quæsitum tandem invenit. Hic indignum se ratus tanti viri præsentia, viso illo obstupuit. Quem comiter affatus Antonius: refer, inquit, opera tua, quia propterea relictâ eremo, huc veni. Qui respondit: nescio, me aliquando boni aliquid perpetrâsse. Unde ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quod omnis hac civitas à minore usq, ad majorem ingrediatur in Regnum Dei propter justitias suas: ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam. Quod verbum antequam serò quiescam, ex cordis mei recenseo veritate. Hoc audiens B. Antonius dixit: in veritate fili

H tien-

tienti animo tolerare, quidni possint? Sed ejusmodi est hodie seculi status, ut qui velit alteri cedere rarus reperitur. Exercitium istud pene tam difficile multis videtur, quam ipsi Dæmoni, qui ardere in Inferno mavult, quam sincero humilitatis affectu tria verba pronunciare: *Deus miserere mei. Difficilius arrogantiam quam auro care-*

*Hier.ep.90. mus, aut gemmis,* ait Hieronymus. Plerique statui suo adversari putant, si abjectè de se sentiant ac loquantur; animi vilis indicium esse pedes aliorum exoculari, ire à sinistris, inter postremos accumbere in convivijs, inter primos incedere in publicis supplicationibus; in Conventibus Marianis Præfecto natalibus non æquè claro parere; hæc & similia nimium quantum dedecere eos, qui de semine magno nati sunt. At noscant velim semina magna rarè in altum excrecere. Melopepones ac cucumeres nonne humi tantummodò serpunt? Fabæ nonne fulcro egent, ut assurgant? Cùm contrà, quod miraculi instar, quò minora sunt semina, tantò sublimiùs è terra ascendant, ut in sinapi, papavere, lactucis videmus. Voluit credo Deus tantam vim vegetativam in minutis illis granulis abscondere, ut vel exinde disceremus, quanta sit vis humilitatis. O quot despicabiles rustici in illo cœlesti hortu supra suos Dominos exerescent! quantò sublimiùs assurgent humiles idiotæ; quam inflati Doctores! *Scientia enim per se inflat,* ait Apostolus, uti & nobilitas; ac proinde nobilem, doctum, & simul humilem esse quantum miraculum, quanta raritas! *Magna &*

*rara virtus est,* ait Bernardus, *ut magna licet operantem magnum te nescias, imò hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Et alibi: *qua est hæc tam sublimis humilitas, qua cedere non novit honoribus, insolescere glorià nescit? non est magnum in abjectione esse humilem; magna & rara virtus est humilitas honorata.* Sed si magna & rara, tantò magis à magnanimis & altum sapientibus appeti deberet. Propriè enim altum sapit, qui humiliter sapit, & is verè excelsus est, qui infra omnes est. Ad mentem ipsiusmet Christi loquor; qui exortà subinde contentione inter discipulos: *quis eorum videretur esse major? item ita diremit: qui major est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Quasi dixisset: qui vult magnus videri, altiora se ne quæserit. Nam quò altiùs quis ascendit, tantò minor apparet. Hinc Ezechiel Prophetæ custodes turrium Tyri appellat pygmæos: *pygmaei, inquit, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum,* non quòd verè pygmæi essent (quæ enim laus tales habere propugnatores?) sed, ut explicat Hieronymus Prado, cùm procerà eminerent staturà, ob altitudinem turrium infernè aspicientibus pumiliones visi sunt. Eapropter S. Franciscus Seraphicus Pontifici Fratres suos ad dignitates Ecclesiasticas elevare volenti, egregiè respondit: *Fratres mei idcirco Minores dicti sunt, ut majores fieri non presumant,* quasi hoc ipso jam summi essent, quia Minores. O verè nihil excelsus humilitate (magni Præfulis verba sunt) *que quasi semper superior*

Bern:serm. 13. in Cant.

Hom: 4. super per missus.

Lucæ. 22. 24.

Ezech. 27. 11.

*Ambros. in Luc. c. 7. apud Hæricum Engelgräv. p. 2. Dom. 16 Pentec.* rior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod infra se iudicat. Beatum nostrum Franciscum Borgiam Ducali coronâ sub pede positâ ita sese ad sublimia incitantem non nemo inducit: amice ascende superius. Episcopali infulâ adjectâ: amice, ascende superius. Galero purpureo appposito: amice ascende superius. Conformiter regulæ ac consilio melliflui Patris monentis: descende, ut ascendas; humilitas casum nescit, scit ascensum. Nec Maria unquam, eximij Theologi iudicio, super omnes cœlicolas ascendisset; nisi mentis humilitate prius sub omnibus descendisset; eò quod vis ad ascensum sit humilitas. Imò audeo dicere, si qua unde unde justæ superbix dari posset materia, dandam ex sui contemptu, & despicientia. Notavit acutè Ambrosius, cur Christus Patri tunc suum commendaret spiritum, quando extremè humiliatus fuit, & ait: videte magnum mysterium. Quale illud? Nunc commendat in manus Patris spiritum, quia totum alias jam nihil capit

Christum, præter unicum Patris amplissimum & immensum suum, quasi diceret: tantum illum auxerat, dilataverat, & extulerat ignominia crucis. Idem etiam miratur, cur monumenta eo defuncto aperta sint, docetque id eò factum, quòd in tantam magnitudinem suis è tormentis excreverit, ut vel ipsa terra intelligeret, sepulchrum unum augustissimo & amplissimo ejus cadaveri non sufficere. Et quid hoc mirum? Si unum pulveris nitrici granum incensum teste celebri Mathematico, (a) spatium (a) Snellio. occupat centies vigesies quies millies majus se ipso non incenso; si unum minimum sinapi in tantam arborem sese explicare potest, ut volucres cœli habitent in ramis ejus; tantò amplius in cœlis occupabit spatium homo, quantò minorem in terris locum occupavit. Gaudet enim summè Deus, inquit Oleaster, ex minoribus majores facere; ut si cupias major fieri, te facias minimum. Gen. c. 48.





## DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Hominis finis Deo operari, in quacunque ætate.

*Exijt conducere operarios. Mat: 20.*

**D** Rinceps Prudentiæ munus est, nihil fortuito & temerè aggredi; sed in omnibus attendere finem: id quod cum primis proprium est causæ primæ, quæ attingit à fine usq; ad finem, fortiter suaviterq; disponens omnia, subministratq; media causis secundis, ipsaq; adeo cum illis concurrat, quatenus una qualibet effectum suum producere valeat. Et ecce homo creaturarum post Angelos nobilissimus nescit (ut testatur Sapiens) finem suum; sed sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines. De avibus pronuntiavit aliquando divina veritas, quòd non laborent, neque serant, neque metant, neque congregent in horrea; sed earum finis sit tantum volare, dicente Jobo: *avis nascitur ad volatum.* At nosse cupitis, quis sit finis hominis? Audite eundem Jobum: *homo nascitur ad laborem.* Labor itaque finis hominis est, quoniam sicut mercenarij dies ejus. Itane melior avium, quàm hominum conditio? Itane miser homo in sudore vultus sui vescetur pane suo; aves interim otiosè per aëra volitando, pipilando vitam jucundam exigent? Multi profectò, quibus labor durus est, optabunt transire in volucres; atque ita habebimus novas *Prognos*, sive hirundines, novas *Philomelas*,

novas *Pierides*, novas *Cornices*, novos *Cygnos*, & alias id genus aves, quas olim in numero hominum fuisse fabulosi vates cecinere. Absit à doctis mentibus tam chimærica cogitatio! non enim ideo beatae volucres, quia non laborant, neq; serunt, neq; metunt, quin potius infelicissimæ ex eo, quòd nullius præmij post mortem sint capaces, uti est capax homo, cui pro labore suo datur denarius Regni cœlestis. Jam ergo abhinc universi tesseram Severi Imperatoris nostram faciamus, dicentes: *Laboremus.*

Et ut tantò ardentius laboremus, movere nos debet unica solum dies labori concessa. *Dies hac*, inquit Origenes, *est vita nostra*; neque id mirum; nam *mille anni ante oculos Dei tanquam dies hesternæ.* Veteribus totum diei spatium in 12. horas dividebatur, juxta illud Christi: *nonne duodecim sunt horæ diei?* Erant autem horæ inter se æquales, quamvis non semper æquè longæ pro dierum crescentium vel decrescantium diversa ratione. Aliter distribuiebant diem in 4. partes, quarum quælibet tribus constabat horis. Hora prima diei erat illa, quæ sol oritur, post tres horas tertia, tum sexta, ac demum nona. Quas horas Tertullianus insigniores vocat, eò quòd solenniòres etiam fuerint in divinis officijs, hodi-

que

Eccl. 9.

Matth. 6.

Job. 5.

ibid. c. 14.  
6.Ovid. in  
Metamor.Orig. h. 10.  
in Matth.

Ioann. 11.

Tertull. lib.  
de jejun. c.  
10.

que sint. Habet & vitæ nostræ dies suas, quibus distinguitur, horas. *Manè*, sive hora prima, pueritiam designat; hora *tertia* & *sexta*, juventutem cum adolescentia denotat, hora nona virilem adultamque ætatem præmonstrat; hora demum undecima occidentem senectutem. Singulis istarum horarum cœlestis Paterfamilias (qui alibi melius vinitor dicitur) exit ut conducatur operarios in vineam, id est in obsequium suum, & quidem è foro. Forum, egregius mundi typus, locus est, quò merces venales afferri solent, à *ferendo* sic dictus. Multos tamen videas in foro magis otiosi, quàm negotiari.

*Matth. 11.* Incipiamus à *pueris*, quorum studia & actiones forenses Salvator ipse describit, dum eos cum Judæis ita confert.

*Luc. 7.* I. *Similes sunt (Judæi) pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad invicem & dicentibus: cantavimus vobis tibijs, & non saltastis; lamentavimus & non plorastis.*

Est hoc puerorum proprium, ut primo præsertim vere, ubi sol apricus illuxerit, turmatim in publicum prodeant; hinc alij sub Jove calido sedent, alij, ut loquitur S. Augustinus, *de canitijs sibi tela texunt, & dum feriunt, sibi manus feriunt*; hi tibijs strident, illi absque notis musicis qualemqualem chorum instruunt, isti luteas casas fabricant, illi aquam testâ quærunt, alij equitant in arundine longa, alij acies ordinant, & contra se invicem jaculantur absque pulvere: quæ gratioso, ut solet, versu ita decantat Hermannus Hugo.

*Hugo pjs. desid. lib. 7. eleg. 2.* Sic, puto, dat senibus puerilis natio risum, Cum fabricat luteas, parvulatura, casas.

*Ludicra sollicitis fervet respublica curis,*

*Hic fœnum, hic paleas convehit, ille trabes.*

*Aggerit hic gravido plumas, & stramina plaustro,*

*Hujus erat testâ quærere munus aquam.*

*Et sibi tum strueta gratantur manibus urbis,*

*Magnaq, se pueri regna locasse putant.*

Interim dum hæc *puerilia* & otiosa tractant, exit Paterfamilias Deus ad forum, & conventionem factam cum illis ex denario diurno vocat & mittit eos ad vineam suam. Quales operarij! Quid hoc rerum agis sapientissime Paterfamilias? Istine laborabunt in vinea, qui nequidem ligonem levare possunt? Habes certè, quod plus detrimenti ab ijs expectes, quàm commodi. *Sinite, Mar. 10. 14* responder, *parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos: jugum meum suave est, & onus meum leve*, adeo ut etiam ab infantibus portari queat. *Bonum est viro, cum portaverit illud ab adolescentia sua. Matt. 11. 30*

P. Philippus Berleymont è Societate Jesu librum scripsit, cui titulum indidit: *Paradysus puerorum*. Deus bone! quanta non istic puerorum puellarumque recenset agmina, qui primo manè conducti sunt, ut operarentur in vinea Domini. Ex uno quinquenni Achas reliquos discite. *Fländer hic pugio visis primùm Fratibus Minoribus, multis lacrymis contendit, ipsorum ut habitu vestiretur. Quo obtento ita cœpit Ordinis Religiosi con-*

*Thren: 3. 27.*

consuetudines observare, nudipes incedere, nodosâ chordâ præcingi, pecuniæ contactum perhorrescere, ita ad reliquas pietatis leges animum adijcere, ut parentes & vicini sacrum illum amictum non fuisse ab eo pueriliter expetitum faterentur.

Erat videre in puero miram gestuum morumque dignitatem, miram oculorum gravitatem. Si quando indicolorum puerorum cuneum incidisset, confestim truncum pro suggesto conscendens Ecclesiasten agere, eosque salubriter increpare, à malo dehortari, territare

- - *Tartari narrans cibos*  
(versus sunt Angelini Gazæi)  
*Affos colubros, atq; vipersas frixas*  
*Picisq; liquida, vel veneni pocula*  
*Pueris parata discolis - -*

*Pia hilar.*

*1. Cor: 6. 10.*

Si Patrem multo madentem vino notavit, tum vultu tristi, obortisque lacrymis: nonne, inquit, nuper è sacris pulpitis occini audisti; quòd *ebriosi Regnum Dei non possidebunt?* Si Mater liberaliore luxu conspicua templum subiret, hic Achas Crucifixum indignitans: viden' o Mater hunc in rivis sanguinis sui natantem, clavisque confossum pro te; & tu non depones has vanitatis compedes, quibus illigaris? Cum morti, necdum expleto septennio, appropinquaret, Sacerdoti confessus, Sacramentum Dominici corporis postulavit. Verùm Sacerdote, ob generalis Concilij vetitum, ne in ætate tali puero conferatur, id facere detrectante, puer mirâ oris gratiâ, extensis in cælum manibus dixit: tu nôsti Domine Jesu Christe, quòd meum

summum desiderium sit te habere; petivi te; fecique quod debui, & spero confidentiùs, quòd tui præsentia non frustrabor. His dictis inter Parentum & circumfidentium lacrymas spiritum Deo impollutum reddidit. Audiant hæc viri, & erubescant. O quàm multum ejusmodi operarijs delectatur DEVS, ut non dubitet dicere, *talium propriè esse Regnum Cælorum.* Felices animæ, quæ primo statim manè DEO vos mancipastis! o flosculi illibati! o rosæ candidæ, quas nulla peccati pruina decoxit, nulla afflavit lues! Jam vos non ampliùs in foro globulis; sed cum primis illis Innocentibus.

*Aram sub ipsam simplices,*  
*Palmâ & coronis luditis.*

Optabat tam beatam sortem supra modum P. Ignatius Martinez è Societate Jesu, qui Calendis Januarij ad frequentem concionem verba faciens, dolere se vehementer professus est, quòd ab utero Matris Deo dicari, atque ab anno ætatis septimo Societatem Jesu ingredi non potuerit. Desiderare autem se vehementer in gratiarum actionem vocationis suæ, liceret sibi deinceps vitam reliquam flexis genibus ac brachijs in cælum extensis transigere, Deo laudem cum Angelis ac Beatorum choris jugiter concinere, ne quid exinde temporis deperiret. Iisdem desiderijs flagrabat Petrus Ribadeneira, qui quoties in laudem suæ vocationis excurrerat: "quantopere, ajebat, divi-  
næ bonitati obstrictus sum, quòd me à  
mundi abstractum periculis in sanctam  
domum & vineam suam vocaverit,  
idq; maturè, anno ætatis decimo quar-  
to,

*Molanus*  
*in annal. S.*  
*Belgij, 11.*  
*Junij.*

*Marc. 10.*

*Lyræus de*  
*imit. Christi*  
*si patienti*  
*l. 1. c. 9.*

to, prius quam innocentiae terminos  
excessissem. Hoc unum ad cumulum  
meae felicitatis requirebatur, ut ab ipso  
statim vitae exordio in hunc Ordinem  
ingererem; quod si accidisset, felicio-  
rem me crederem omnibus totius Vni-  
versi creaturis.

II. Adole-  
scētia.

Et jam tertia in auribus meis sonuit  
hora, plenum brevi signatura meri-  
diem. In meridie enim olim termi-  
nabatur; cum dicat Marcus de Christo:  
*Mar. 15. 25* *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.*

Alij interim Evangelistae dicunt  
fuisse horam sextam, videlicet illius  
principium. Video vos propē omnes  
in meridie vitae; video in foro otian-  
tes. Quid enim familiarius Juve-  
nibus quam forum? Horrent illi  
quā maximē solitudinem, horrent  
feria, horrent labores: hinc conve-  
niunt unā in publicum, stationes insti-  
tuunt, sermones miscent ludicos,  
transeuntes observant, tum sese unā ad  
aliquod ludi genus, vel ad pocula pro-  
vocant, fallendi temporis gratiā, quod  
illis nusquam longius videtur, ac ubi  
sunt soli. Et ecce, dum & illi sic pe-  
tulciunt, exit rursus Paterfamilias ad  
forum, ijsque visis per inspirationem  
internam inelamat: *Ite & vos in vine-  
am meam.* Adhucne lubet in foro  
stare otiosus? Necdum abjectis barbi-  
tis fidibusque canoris ligones arripitis?

Sed animadverto hīc Vinitorem alium  
(de cuius vinea prodeunt *uva fellis, &*  
*botri amarissimi*) animadverto, inquam,  
occinere, aut potius corvorum more  
occrocitare, quod aliquando occroci-  
tabat S. Vincentio Ferrerio. Hic ju-  
venis, adeoque horā tertiā, S. Domini-

*Dev. 32.*  
*32.*  
*Surius 8.*  
*Apr.*

ci Ordinem ingressus, dum coram ico-  
ne SS. Virginis pro dono perseverantiae  
ardenter supplicat, conspicit repente  
ad latus iconis venerandā specie se-  
nem, & longi volumine barbitij spe-  
ctabilem archimandritam. Cacodæ-  
mon erat larvatus mentito Religiosi  
viri schemate: qui ubi vitrum duplex  
gibboso fortē imposuit naso, & demul-  
tam longē lateque in omnem partem  
explicuit barbam, tussique & excrea-  
tione prolusit, hęc dixit: velim noscas  
me Vincenti; unus sum ex veteribus  
illis Patribus Aegypti Eremiculis. Sed,  
ne fallaris, vitam hanc cum canis pri-  
mum amplexatus sum; nam floridæ  
juventuti primos annos donavi: po-  
stea, ubi vanissimarum satur fui volu-  
ptatum, & ipsa me senectus æstum a-  
dolescentiæ dedocuit, optimo consilio  
ultimos annos Deo dedi, atque in hor-  
rido deserto omnia prioris vitæ delicta  
obliteravi. Sequere ergo præeuntem,  
& annis tuis, dum in flore sunt, conce-  
de aliquid: noli tibi ipsi carnifex fieri,  
teque enecare ante tempus. Servate  
senio, & futuris; poteris ultimo senio  
omnia delere, & coelos compendio  
lucrari. Longæ patientiæ Deus est,  
&, ut in Psalmo dicitur: *miserationes* *Psal. 141.*  
*ejus super omnia opera ejus.*

Advertit facile Vincentius ex cantu  
corvum, ergo eum in malam crucem,  
notas sibi domos, avolare jussit, & in-  
arrepto proposito stetit, memor haud  
dubiē scripti Anselmiani: *qui differt* *Ansel. ep. 1.*  
*in futuram, & forsitan non futuram ata-*  
*tem suam vitam corrigere, certum bonum*  
*dimittit pro dubio.*

Vincentij omnes estote AA. dum  
flo-

*Hugo de clauf. ani- ma l. 3. c. 10.* florent anni, dum vividus est color, Deo laborate, in illa atate (ut cum Hugone loquar) quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juvenilis atas longioris vite spatium repromittit: quando viget ratio, vigent corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior. Occrocitet, ut vult, suum senium Tartareus fenecio; tu quisquis es

*Lucan. 11. Phars.* Rumpere moras, semper nocuit differre paratis

inquit Poëta. Quæ sententia si unquam valet, tum vel maxime in negotio salutis: rari namque sunt hîc Fabij, qui sibi cunctando restituant rem. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies, monet sapiens:

*Prov. 27. Eccli 58.* non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim venit ira Dei. Narrat Cæsarius rem lepidam,

*Cæsarius l. 5. mirac. c. 17.* sed simul tragicam de Juvene, qui ex eo quod audierit cuculum vigesies bis cuculantem, in pessima forma conclusit, victurum se adhuc 22. annis. Itaque decrevit apud se viginti annos dare voluptati, duos postremos Deo. Sed fefellit eum sua consequentia. Nam biennio nedum elapso funus fuit. Rem, ut est carmine scripta à Christiano Poëta, recitabo.

*Nies. Al- phab. Dia- boli.* Turpis ab excelsa ructabat cuculus orno,

Dulcisonas inter cantor ineptus aves.

Bis decies fractum jam riserat aura sonorem,

Addiderat pausas vox repetita duas.

*Audyt hæc Juvenis. Quid do virtutibus, inquit,*

*Et florem tanto tempore perdo meum?*

*Augurium accepto potius: me cuculus annos*

*Viginti cantat vivere posse duos.*

*Ergo vale virtus viginti scilicet annis,*

*Quos genio vivam, delicisq; vale.*

*Qui restant tibi dono duos, quod sufficit. Eheu!*

*Quam fati Juvenis prodigus ipse sui est!*

*Credit avi, & geminum nondum compleverat annum,*

*Cum jam calva levis, jam brevis umbra fuit.*

*Vigintiq; ubi sunt, cecinit quos cuculus annos?*

*Ne dignus famulo est iste propheta suo.*

Multi etiamnum Juvenes cuculo Phlegethonteo credunt, nescio quàm longum avum sibi promittentes, vitæque emendationem in annos seniles differentes, cum eos ex improvise mors opprimit, & in optimo ætatis flore præcidit. „ Novi adolescentem no- „ bilem, inquit Recupitus noster, qui „ lascivis amoribus implicatus dictita- „ bat, satis sibi fore ad salutem, si ante „ mortem unam horam vel alteram ad „ pœnitendum haberet. Enimverò tunc „ actum a se perfectæ contritionis elici- „ endum, quò salvus fieret. Infelix cum „ quadam nocte ad peccandum accede- „ ret, repentino lapsu contractâ cervice „ non unâ aut alterâ, sed 9. aut 10. horis „ super-

„ Recup:  
„ opusc.  
„ de sig:  
„ prædest.  
„ c. 4.

„ supervixit, sine voce, sine sensu ; ac nullo poenitèria edito signo miserè perijt.

Tim. 1.

Sed obijciat aliquis illud Apostoli : *fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et illud Luc. 9. *Filius hominis non venit animas perdere ; sed salvare.* Expertus est id

Chryf. l. de repar. laps.

latro in cruce, de quo ita Chryfostomus : *latro ille, qui pendeat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum Paradysi mereretur ; sed tantum ei spatij suffecit, donec unum posset proferre sermonem : ita ut intra unum momentum temporis totius vite sceleribus absolutus pracedere ad Paradysum & Apostolos mereretur.* Sed ut ut eam latroni gratiam fecerit, Deus, num idcirco præjudiciũ alijs inde sumendum ? dandũ enim tunc erat aliquid diei, quo Christus patiebatur. Hinc S. Augustinus : *non invenitur, inquit, in sacra scriptura nisi unus ( scilicet latro ) qui in fine vite verè poenituerit : ille, ut nullus desperet ; solus, ut nullus presumat.*

III. Virilis ætas.

Lubet tamen, ne manca sit dictio nostra, reliquas etiam diei horas explicare, quamvis eæ in horologio vestro necdum sonuerint, & fortè nec sonabunt. Interim ingens denuo mihi sese in foro turba obijcit staturâ procerâ, robustis lacertis, severis vultibus, promissis barbis, neglecto cultu, laborem ultrò prensans, modò sit qui conducatur. At enim ubi primùm *Nonam* inaudijt diligens Paterfamilias, e vestigio adest, visisque tam præclaris operarijs, de denario lubens paciscitur, modò eos vel ad tres horas vineæ suæ habeat cultores. Facile quippe tantillo spatio reliquorum labores æquare, imò supera-

re possunt. " Potest enim fieri, inquit noster Barradius, ut aliquis unâ horâ tantum laboret, præ mentis ardore & diligentia, tantumque mereatur, quantum alius tota die laborat, & promeretur, qui minore ardore ac diligentia operatur. Sic Paulus, juxta Cornelianum supputum, trigésimo quarto ætatis anno ad Vineam ( quam perditum ibat ) vocatus est ; & tamen audet ipse de se dicere : *abundantiùs illis omnibus laboravi*, scilicet, qui ante me venerunt.

„ Barrad. tom: 3. l. 5. c. 16.

„ Cornel. à lap. in pro- æm. in ep. Pauli c. 6. 1. Cor. 15. 10.

Afer Augustinus 33. annos egerat, cum per januam Baptismi in Ecclesiam introivit, & ecce Princeps Ecclesiæ Doctorum hodie audit. Augustino in multis similis Ignatius Lojola pari ferme ætate Deo operari coepit ; & quos pro ejus gloria non exhaustit labores ! Tanti Patris non degener Filius Franciscus Borgia post diuturnum matrimonium, Socijs, adeoque operarijs, Jesu sese adjunxit, & quantum non egit ! ut etiam idcirco omnibus præfici, & post mortem titulo *Beati* ( longè illustriore, ac fuerit *Ducis* ) meruerit illustrari. Non ita pensat Deus, quanto quis tempore illi laboret ; sed quàm ferventer laboret. Multi citò ad vineam veniunt, qui tamen ( ut notavit S. Bernardus ) postmodum sub onere deficiunt & fatiscunt, *virgâ stimuloque indigentes.*

Bern. serm. 6. de ascēs.

IV. Senectus. Virg. Ecl. 1.

Sed ad vesperam dies vergit, *Majoresq; cadunt altis de montibus umbra.*

Unica duntaxat restat hora ; quiescendum est.

Nihilominus temporis avarissimus Paterfamilias, ne vel minimâ diei prætere-

I

*Eccli. 14.* tereatur *particulâ*, necdum desistit  
*14.* operas inquirere, necdum vineam co-  
*Isai. 5. 4.* lere, ut jure gloriari aufit: *quid debui*  
*ultra facere vinea mea, & non feci?* Vbi  
 laborantes aliquamdiu inspectâset,  
 postremùm redit ad forum; si fortè e-  
 tiamnum istic nonnullos deprehendat,  
 quos mittat in laboris complemen-  
 tum. Et en pauculi aliquot apparent,  
 ac ferè mendicabula, quibus

*Juven sat.* - - *minimus gelido jam corpore sanguis*  
*10.* exsucca membra, pedū bases sustinen-  
 dæ corporis moli impares, ideoque  
 fulcro egentes, manus tremulæ, facies  
 arata rugis, caligantes oculi, vertex de-  
 pilis, os exosse, vox fracta, tussis con-  
 tinua, imoque ex pectore ducta, æger  
 anhelitus & animam agrè resorbens.

*Marlian<sup>9</sup>*  
*in topo-*  
*graph. Ro-*  
*ma l. 7. c. 3.* Quid à talibus operæ fructusque expe-  
 ctandum? Romani certè, cùm post in-  
 censam à Gallis Urbem cibariorum  
 inopiâ premerentur, decreverant, ut  
 ejusmodi è ponte sublicio (cujus ve-  
 stigia adhuc in medio alveo Tyberis  
 ad Aventini montis radices cernuntur)  
 in Tyberim tamquam Patriæ inutiles  
 deijcerentur. Hinc sexagenarij *depon-*  
*tanei* dicti; & *senes* quasi *semineces*. At  
 non sic misericors Deus: in ministeri-  
 um admittit, etiam quos Mundus reij-  
 cit, modò unum alterumve terræ pu-

gillum effodere queant. Sic admisit  
 ignoti nominis Præpositum Magdebur-  
 gensem. (de quo Cantipratanus) Hic  
 cùm alias licentiosius vixisset, tandem  
 ætate utcunque jam provecus, cùm  
 gravissima febris insperatò corripere-  
 tur, extemplò Priorem Fratrum Præ-  
 dicatorum accersit, ab eoque multis  
 lacrymis & precibus exorat, ut in Or-  
 dinem sacrum recipiatur. Defertur  
 in cænobium, receptus religioso ami-  
 ctu induitur, sacramentis ritè muni-  
 tur, & ante lucem luci eripitur. Mox  
 ab ejus obitu una aliqua Sanctimonia-  
 lis, vidit in somnis quendam Patrem-  
 familias in loco edito residere; ad  
 quem cùm multi Fratres dicti Ordinis  
 quasi post laborem pro denario diurno  
 accedere viderentur, extremò ignotus  
 homo (erat hic ipse Præpositus) ma-  
 num protendit, ut denarium tanquam  
 frater cum reliquis accipiat. Quem  
 Paterfamilias diligenter intuitus: de-  
 narium, inquit, accipies; sed non mo-  
 dò, multis prius remedijs expurgan-  
 dus. Eat nunc aliquis & murmuret,  
 quasi inæqualiter mercedem dividat;  
 profectò cum rubore statim audiet:  
*an oculus tuus nequam, quia ego bonus?*  
*Volo & huic novissimo dare sicut & tibi.*

*Ponitur in lucro qua datur hora mihi.*



## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

In quam incidit Festum S. Matthia Apostoli.

## DE IUSU cum hominibus.

Cecidit. Luc: 8. Act: 2.



Escio, qui fiat, AA. quòd seria gravisque aliàs natura tantam rebus ludendi cupiditatem, seu potius necessitatem indiderit; ut statim atque esse cœperint, ludant, & jocentur. Sic bestiarum catuli, ubi primùm reclusis ocellorum valvulis in rerum natura sese conspexerint, quas non gesticationes, & gerras, quas non circulationes, & lepiditates exercēt! Herba ipsa plantaque recentes quantum non luxuriant! Infantum, & puerorum quæ occupatio alia, præterquam

*mus. Ego perdidit viginti millia nummum; sed cum effuse in lusu liberalis fuisset, ut soleo plerumq.*

Paschalius Justus hanc ludendi pro-  
nitatem maximam attribuit homini-  
bus naturâ calidis, quales in America  
censet Peruanos; in Europa Hispanos,  
de quibus, nescio an satis sincero affe-  
ctu hæc scribit: *Hispanias lustranti mi- Pasch: Iust:*  
*hi sæpe contigit, ut cum multis locis nihil l. l. de alea.*  
*eorum quæ ad victum faciunt, invenire*  
*possem; tamen nunquam castellum aut vi-*  
*cum ullum adeo abjectum & obscurum,*  
*transire potui, in quo chartula non veni-*  
*rent. Quod quidam in Aula Regis non*  
*parvi nominis mercator callide advertens*  
*à Carolo Imperatore contendit, nemo ut in*  
*Hispanijs integro decennio præter se tabu-*  
*las distrabere posset; quod cum beneficij*  
*gratiæq. causâ obtinisset, locupletissimus*  
*ex eo factus est. At non in Hispanijs*  
*tantum, sed ubique locorum luditur;*  
*imò Deus ipse totus in lusu est, nec du-*  
*bitat fateri, se omni tempore ludere in*  
*orbe terrarum. Sic lusit hodie in se-*  
*mente perquam diverso & dispare ja-*  
*ctu: lusit & in Matthia vel potius de*  
*Matthia, dum eum felicissimæ sortis*  
*casu sibi in Apostolum lucratus est, ut*  
*rectè proinde cecinerit Poëta, qui ce-*  
*cinit:*

*Ludit in humanis divina potètia rebus.*  
*Vos ejus ludendi modum attendite.*

I 2

Tria

Hor. at. 2.  
ser. sat. 3.

*Ludere par impar equitare in arun-*  
*dine longa?*

Sed non cum prætexta & ephebis ista  
deponitur consuetudo. Etiam in adul-  
tis, & senibus sæpe ad insaniam luden-  
di procedit habitus; adeo ut repertus  
sit nonnemo, (a) qui cum Venetias  
vela faciens non haberet cum quo aleas  
alternaret, ne prorsus à lusu vacaret,  
argenteos atque aureos numos perinde  
atque lapillos è navis prora in subje-  
ctum pelagus jactabat, quot quisque  
saltus in summa unda faceret, annu-  
merans. Nero in singulos alexæ jactus  
400. HS. id est decem millia Philip-  
peorum prodigebat. Et Augustus in  
quadam ad Tiberium epistola sic glo-  
riatur: *quinquatrijs satis jucunde egi-*

(a) *Jacobus*  
*de S. Andr:*  
*nob. Patav.*



I.  
Lusus a-  
moris.

Tria potissimum ad ludendum partim invitare, partim cogere solent: familiaritas, quæstus, & Mors. Vnde lusus alius censetur familiaris; alius quæstuosus, alius fatalis. Omnesne istos nobiscum ludit Deus? Ludit sane. Et primò omnium lusus familiaritatis. At quonam genere ludi? num *disco* qualiter fabulosus Deus Apollo amasio suo Hyacintho collusisse fingitur? Sed fatale quidpiam in disco est, cujus jactus misero puero mors fuit. An fortè alea? nam & hanc in amoris lulum aliquando adhibitam legimus à Parysati Perfarum Regina Artaxerxis Ochi Matre, quæ cum filio ludens datâ operâ jactu unico mille Darios perdidit, ut suum in illum amorem testaretur. Verùm quid alea lusu turpius? ut etiam in viris Principibus alapâ subinde meruerit castigari. Narrat enim rerum Polonicarum Scriptor Cromerus, Casimirum Sendomiriensium Ducem, dum cum Joanne Conarrio Equite Polono aleas jactans sinistrè jecisset, ab eodem Joanne insignem alapam retulisse. Quem tamen ille non modò facinore absolvit, verùm etiam gratias egit, quòd se icu illo admonisset, ne quid Principe indignum deinceps in se admitteret. Deus in amoris lusu tantopere odit aleas, ut ne quidem nomen suum earum causâ patiatur invocari. Nam cum fortè Budæ aleatores gemini; alter in nomine Dei, alter in nomine Diaboli unâ colluderent, prior ille crumenâ funditùs exhaustâ insignem è suis malè religiosis jactibus reportavit jacturam,

Plut. in  
Artax.

Crom. l. 6.  
de reb: Pol:

M. Fritsch:  
in Meteor.

Hodie inter nobiles chartarum, vel maximè invaluit usus, quas Germani Piccetas (a) appellant. In his nonnullæ sunt rubicunda Corda (b) referentes, eâ ludendi lege, ut unicum cor, vulgò *Es*, rapiat ipsum Regem cordium. (c.) Hic propriè lusus amoris est, quia cordialis. Ad hunc cum aliàs, tum his maximè ludorum diebus à Deo gratiosè invitamini: nec est quod ignorantiam quis obtendat, tam ingeniosos enim omnes puto vos esse, ut sciatis jacere cor pro corde. *Fili*, (sic alloquitur Deus unumquemque vestrum) *prabe mihi cor tuum*. Quasi diceret: lude mecum lulum cordium; mecum, qui jam pridem me pro te excordavi, meumque tibi cor ultro objeci. Noli tam fallax & insincerus esse lusor, ut contra leges lusus non reddas colorem colori, signum signo, quod posceris. Noli ah! noli alium diligere præter me, qui cum dilexisset te, in finem dilexi te. Noli nescio quos alios sectari collusores, qui cor quidem à te petunt; sed ut occidant & devorent. *Fili prabe mihi uni cor tuum*. Pulchrè super hoc D. Bernardus. *Cor nostrum*, inquit, *nihil dignius producere potest, quam ut ei se restituat, à quo factum est, & hoc à nobis Dominus expetit, dicens: fili da mihi cor tuum. Tunc siquidem cor hominis Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur super eum, & nihil vult penitus possidere præter eum, sicq; colligato sibi animo eum diligit, ut sine ipso amarus sit omnis amor. Nec aliud dixerim cor dono dare, quam ipsum captivare in omne obsequium ejus, & ita volun-*

(a) Piccetas  
Carten.

(b) Heras

(c) Heras  
könig.

V. Engel-  
grav. p. 1.  
Emble. 46.

Prov. 23. 21

Bern. in ep.

*luntati ejus ex toto supponere, ut nihil aliud velit, quam quod noverit eum velle.*

Salust in  
Cati.

liquidem, ut nonnemo ait, idem velle atq, idem nolle ea demum perfecta amicitia est. Ludebat subinde hunc amoris & cordium lusum Deus cum S. Henrico Sufone. Hic enim dum flagrantissimo æternæ Sapientiæ arderet desiderio, illa se ipsi in specie elegantis puelli, interdum etiam puellæ videndam exhibuit, comiter ac dulcissimè, non tamen sine divina quadam majestate, arridens, atque ad ludendum invitans: *prebe fili cor tuum mihi.* Ludebat cum

Strius in  
ejus vita  
16. Jan.

S. Lutgarde, carissima sibi filia, quæ cum gratiam curationum cœlitus accepisset, hominibus undique ad se confluentibus tandem petijt eam commutari cum scientia & interpretatione Psalmorum. Quo ut spiritum inte-  
pescere sensit, dixit iterum Domino: quorsum attinet me idiotam & rudem Monialem scripturæ arcana nosse? Cui Dominus; quid igitur vis? *volo,* inquit, *cor tuum.* At ille: *quin ego potius cor tuum.* Et facta est ab eo die quædam permutatio cordium, ut Dominus cordis ab ejus corde raptus sit, & ad Lutgardem transiverit. Ludebat cum S. Catharina Senensi, dum ei per aliquot dies cor rapuit, suumque substituit.

Multi etiamnum cordibus ludunt; sed quorum lusum non tam amoris est, quam amaroris; nō tam familiaritatis, quam hostilitatis. Cur ita? quia falsarius, quia fraudibus & dolis plenus; quia pro Rege cordium Reginam habet, quam alij in lusu rectius *meretricem* appellant. Qui cum alio præterquam cum Deo suum commutat

cor, is verissimè dicere potest: cor & omnia perdidit.

Ita cor suum perdidit Vir quidam Nobilis in Gallia, (Reginaldo de Conclij nomen) qui vesano amore uxoris cujusdam Domini de Faël adeo correptus fuit, ut eum nec ultramarinis bellis, nec plurium annorum absentia superârît; donec letali vulnere saucius, textum è crinibus feminæ mnemosynon, quod hætenus in casside gestabat, ei cum corde suo, ubi expirâisset, petarmigerum, unà cum adjunctis literis, remitti jussit, ut quod ejus, absens licet, oblivisci nunquam poterat, nunc præsens ab eadem servaretur. Mortuo Domino abiit servus cum corde, in Franciam, & opportunitatem quaerens clam marito conjugem conveniendi, ab eodem interceptus, & veram adventus causam aperire coactus, scriniolum cum literis tradit & recedit. Quid agat maritus? Corde adulteri in minutal conciso, aromatis saccharoque insperso, pulmentum uxori in coenam apparari jubet. Illa novi edulij sapore delectata edere, cibumque laudare ac propinato sæpius Mallico frequentius irrigare. Tum à marito, an quod edisset, sat sciret, interrogata, cor Reginaldi se edisse intelligit, simulque scriniolum, quo clausum fuerat, cum literis accipit; quibus admodum percussa de mensa in terram collabitur: ita est, inquiens, cibum illum dilexi vehementer, & cordi meo carum habui. Obijt ille? Non decet me mortuo supervivere. Et subitò in imum conclave, marito necquicquam se opponente abripitur, antè nō egres-

Claud.  
Faschetti?

tura

*Pluta. l. de* *sera numi:* *vind.* *spe*ctaculum. Apollodorus quidam apud Plutarchum somniaverat cutem sibi à Scythis detrahi, tum se elixari, succclamante sibi corde ex lebete: *ego tibi horum sum causa malorum.* At mulieri huic miseræ citra somnium Amasij cor elixum de scutella idem clamare poterat.

II. Verùm ut à lusu amoris ad lulum. *Lusus que-* *stuosus.* quæstuosum transeam, solvendum statim occurrit dubium; num etiam Deus ob quæstum ludat? Si apud Juris consultos ludus aliud nihil est, quàm contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit, non video AA. cur Deum à quæstuoso lusu eximam. Ludit omnino ille non tantùm lulum familiaritatis cum Justis; verùm & quæstuosum cum peccatoribus, ac injustis: quos ut loquitur D. Gregorius Nazianzenus, *pro divitijs habet.* Et idcirco pretiosissima quæque ijs lucrandis apponit, videlicet proprium *sanguinem.* Vereor AA. ne quandoque perdat, & idcirco (liceat phrasi Hebraica uti) ascendat.

*2. Reg. 22. 9* *fumus de naribus ejus,* ita ut chartas & appositum pretium projiciat in faciem collusorum. Pronum enim valde est ob quæstum ludentibus irasci; ubi eos spes lucri fefellerit. Et ecce quod verubar evenit. Vir in Hispania (refert P. Eusebius Nierenberg) quàm sanguine nobilis, tam vitij infamis gravi ægritudine correptus ac de vita periclitans tanta obstinatione in sceleribus

perstitit, ut omnium recta monentium consilia rejiceret. Forte tum eam urbem advenerat B. Franciscus Borgia, qui cognito miseri periculo, pro zelo suo illum juvare cupiens ante Christi crucifixi iconem in genua provolvitur, ardentem obsecrans, ut qui Orbi universo sanguine suo saluti fuisset, infelici illi ac pertinaci animæ nõ deesset. Francisco hæc precato ex cruce Salvator: adi, inquit, confestim ægrum, eumque hortare, ut se expiet; & ego mox illi ut Medicus & infirmorum curator adero. Abit Franciscus spei bonæ plenus, & tanto adjutore gaudens ad ægri domum se confert, quò Salvator jam antecesserat Medici ac prope famuli specie, illi solatia & obsequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbanè Borgia; verùm ubi de confessione peccatorum cœpit agere, verba perdidit. Recedit interim Dominus relicto ad ultiores conatus apud ægrum Francisco, qui & ipse, cum operam luderet, recessit; & denuo coram Christo crucifixo prostratus, per sacra illius vulnera obtestatur, misero adsit. Cui Dominus: conveni iteratò pertinacem illum, meque tecum defer, si fortè me conspecto cruci pro se fixo convertatur, & vivat. Redijt Borgia, & submotis arbitris, ut liberior esset æger, verbis ad pietatem omnem compositis, submissis in terram genibus, Christum crucifixum illi representat; per passionem dolores, lacrymas, sacra Domini Jesu stigmata, & plagas orans, animæ suæ misereatur; æternitatem consideret. Ad omnia impius obsurdescit. Addit &

vocem

voçem suam Dominus JESVS, & quidem vocem sanguinis, quem ex omnibus vulneribus copiosum effundebat. Per hunc iterum iterumque obtestatur Franciscus; sed nihil proficit. Tum indignabundus Dominus revulsâ à cruce manu sacro-sanctum suum Sanguinem in faciem projicit obstinati, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno Judicij die coram Orbe universo neglectam Dei misericordiam illi exprobrabit.

Wael. in  
Corona SS.  
Vulnerum

Aliud simile exemplum subjungere libuit ex P. Guilielmo de Wael Societ. JESV. Scribit ille P. Arnoldum Cathium Româ in Belgium reducem narrasse scriptoque testatum reliquisse, habere se ex fide digna relatione, duos aliquos Juvenes in Italia Societati nomen dedisse, quorum alter in vocatione perstitit; alter seculum ejusque mores repetijt. Morbo is tandem lethali corripitur. Cùm fortè urbe egresso Sacerdoti nostro (& erat idem ille, qui agro vocationis fuerat socius) acclamat muliercula, ut in domum suam descendat, priusquam animam exhalet filius ejus. Advolat Pater; hominem reperit febris gravissimâ correptum, agnoscit vocationis socium, optat ut sit & felicitatis aeternæ, eumque solatur, ac hortatur vice non una, sacrâ Confessione animum expiet. Sed frustra. Tandem ad ægri lectulum moram longiorem trahens, ut illum ad sanio rem mentem reduceret, & in somnum incidens, videt Christum hiantibus vulneribus advenientem, ægrumque commonentem, ut per sacram exomologesin animæ suæ saluti consulat. Aver-

tit miser vultum, atque aures obturat Salvatori: qui indignabundus (quasi secum malè luderetur) plenâ manu sanguinem suum in reprobi faciem conijcit, eâ comminatione, ut quem in animæ ejus salutem fuderat, hic ei in æternam damnationem cederet. Abijt Dominus; expergiscitur Pater, & miserum totum cruentum ac vitâ functum reperit.

Nonne verè cum geminis his lusit Deus? Nonne omnimodis eos lucrari voluit? Nonne extrema tentavit? Nonne sanguinem in lulum apposuit? Sed ut libenter serio sincereque ludit, sic illudi non sustinet. Terribilis est illi furia, dum homo non vult seipsum hoc in lulu perdere: nam clarè protestatus est aliquando: *qui invenit (hoc est sibi reservat) animam suam, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, & mei gratiâ, inveniet eam.* Ita invenit S. P. N. Ignatius, quem cùm Deus inter colludendum globo tetigisset, quasi victus statim in victoris concessit potestatem, datâ etiam hujusmodi syngraphâ: *En, ô Rex Supreme, ac Domine universorum, tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meaq; omnia tua subijcio voluntati. \* Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, voluntatem omnem, adeoque totam animam meam.*

Hic jam fortè stomachum pijs auribus movero, si Deum mortis quoque causâ lusisse aliquando dixero. Nimis enim infame hoc ludi genus est, & ijs solis proprium, qui ad laqueum & furcam condemnantur, qualiter sapereos

Matth. 10.  
39.

S. Igna. li-  
bell. Exerc:  
hebd. 2.

\* hebd. 4.

III.  
Lusus  
Mortis.

reos milites sub patibulo ludere videmus. Et quis vestrum dubitat Deum pependisse? Nil proinde absolum videatur, si de patibulo luserit. Cum quo? utique cum homine.

Ergone ambos reos esse oportuit?

*V. Domin.* *4. Quadr.* *Mysterium accipite. Peccavit Adam, in vadem ac sponforem pro illo sese obtulit Dei Filius. Alterutri itaq; moriendum erat; quia aliter quam morte delictum expiari non potuit. Sors tandem mortis decretoria cecidit in Dei Filium; hinc actus in crucem & ut veteri hymno canitur: *suspensus est patibulo.* Aulicissimi insigne genus censeatur, si persona inferior inter ludendum superiori victoriam cedat: est enim nescio quæ in lucro etiam parvo voluptas, & parta in lusu victoria melle dulcius sapit. Contra optimus DEVS in hoc fatali lusu mancipio suo primas & palmam victoriæ detulit, dataq; ut ita loquar, operâ perdidit, quippe liberum erat illi mori. At nos abjectissimi homines nihilominus nobis mortem denuo ludimus, idque toties, quoties lethaliter delinquimus: ludimus sub ipso æternitatis nobis impendentis patibulo, dicam, an vestibulo, id quod in erudito veterum symbolo celebris nostri seculi scriptor (a) annotavit. Veteres, inquit, pingere volentes æternitatem, pingebant antrum formidabile; hoc complexu suo cingebat serpens, & in revolutione ista caudam sibi admordebat. Ad antri dextram stabat juvenis amæni & floridi vultus, arcum dexterâ & duplices sa-*

gittas, lævâ citharam gerens. Huic in ipso antri aditu senex sedebat oppositus, & attentum in tabellam vultum defigens, scribebat, si quid vel cœlestis globi motus, vel adstans juvenis diceret scribendum. Ad lævam hujus spelæi Matrôna visebatur, exercitato vultu & cano capite. Ad ostium specûs quatuor gradus, alius alio altior; primus ferreus, secundus æneus, argenteus tertius, quartus aureus. In his ludentes & vagabundi pueruli oberrabant, lapsus & periculorum securi. Hæc pictura erat: picturæ porro sensus iste. Antrum Æternitatis incomprehensibilitatem significat; vipera in orbem replicata, tempus; Juvenis Deum, in cujus manu cœlum, terra, inferi: terra & Tartarus tela numinis excipit; Cœli citharam duntaxat & gaudia novit; senex ille fatum, seu, quod Deus ab æterno effatus; femina naturam; distinctas ætates & secula, gradus distincti. Puelli per gradus discursantes, res creatas designant, maxime verò hominem in rebus suæ salutis ludibundum, & in ipso Æternitatis ingressu jocantem. O quot his Bacchi feriis de æternitate sua ludent! quot, quantique non unum, sed mille patibula sceleratâ sortitione trahent in lucrum! quot rotis digna patrabunt crimina! quid dico rotis? rogis inextinguibilibus, in quos omnium sceleratorum Alpha tamquam semina pessimum, forte suâ primus cecidit.

(a) *Drexe.*  
*de æternit.*  
*Consid. 1.*  
*S. 1.*

## DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Bacchanalia tempus Passionis.

*Tradetur & flagellabitur.* Luc. 18.

Eraclitum aliquem ἔτε-  
ρόκλιτον sapere viderer,  
si quid tragicū, & à com-  
muni omnium lætitia

discrepans in hodiernæ dictionis assu-  
merem argumentum. Si enim, ut  
divinus fatetur sapiens, *Musica in luctu*  
*importuna narratio*, quomodo non lu-  
ctus in Musica? Et si risus ac choreæ  
suum quoque tempus habent, quando  
aliàs *tempus ridendi*, & *tempus saltandi*  
opportunius erit, quàm hisce Bacchi  
ferijs, ubi mundus totus, sepositis tan-  
tis per ferijs, ad joca & sales, ad ludos  
& spectacula, ad epulas & convivia ef-  
funditur, illudque Poëtæ sibi occinit:

Horat. l. 1. *Nunc est bibendum, nunc pede libero*  
Carm. *Pulsanda tellus - -*

Sap. 2. 6. Et: *venite fruamur bonis dum sunt* dum-  
que licet; *comedamus & bibamus*; post  
triduum enim lugebimus, & loco car-  
minis epici funebre audiemus epicæ-  
dion: *memento homo quia pulvis es, & in*  
Gen. 3. 19. *pulverem reverteris*. Sed, ut bene alius  
notavit vates,

Ovid. l. 7. *- - usq; adeo nulla est sincera voluptas*  
Metam. *Sollicitumq; aliquid lætis intervenit.*

plerumque ex nimio gaudio tristitia pe-  
tuntur omina, & multus ac immode-  
ratus risus semper materia fuit lacry-  
marum. Ominatur & S. Mater Ec-  
clesia nescio quid mali ex hac intempe-  
rantiore suorum lætitia; imò malum

omnium gravissimum & summè lügen-  
dum prævidet, nempe novas filio DEI  
plagas, nova vulnera, nova tormenta,  
novam mortem. Revocat enim in  
hodierno Evangelio triste illud ipsius  
met Christi vaticinium: *ecce ascendi-*  
*mus Hierosolymam, & consummabuntur*  
*omnia, que scripta sunt per Prophetas de*  
*Filio hominis. Tradetur enim, & illu-*  
*detur, & flagellabitur, & conspuetur, &*  
*postquam flagellaverint, occident eum.*  
Quod si non intelligitis (sicut nihil bo-  
rum intellexerunt Apostoli) lubens ex-  
plicabo, sensumque aperiam.

Qui Christi Domini vitam peni-  
tiūs contemplati sunt, doceat eum  
non illis tantum viginti quatuor horis,  
quas in hoc mundo supremas habuit,  
passum; sed totis omnino (quos viven-  
do exegit) triginta tribus annis, cum  
tribus mensibus; totis duodecies mil-  
le centum quadraginta tribus diebus;  
totis ducentis nonagesies ac semel  
mille horis, quadringentis triginta dua-  
bus; nullo prorsus minuto, quorum  
intra illud tempus 17. milliones, 485.  
millia, & 920. effluerunt, sine dolore  
& cruciatu transacto: id quod ante a-  
lios observavit magnus Dominicæ Pas-  
sionis cultor Robertus Bellarminus, *Bellarmin. de*  
cùm alicubi ita scribit: *crucem suam, gemit: co-*  
*Christus semper ante oculos sic habuit, ut* *lib. l. 2. c. 3.*  
*verè dici possit toto vite sua tempore in ea* *Ludolph:*  
*pependisse.* Et Ludolphus de Saxonia: *p. 2. c. 62.*

K

non.

non est, inquit, existimandum, quod Passionis suae poena in ejus sola captione & traditione fuerit inchoata; sed potius ab instanti sua conceptionis usq; ad mortem ejus duravit, & in Parasceves die solummodo consummata est, ut ipse sat aperte hodie insinuat, dum ait: *consummabuntur omnia quae scripta sunt de Filio hominis.* Eandem veritatem eximio cuidam amico suo singulari viso elucidavit. Sentiebat hic, dum Virginis psalterium pie percurreret, se à Christo totaliter absorptum, & quasi in ipsum penitus mutatum; sed & in capite suo coronam spineam, in manibus verò ac pedibus sacra stigmata experiebatur; tum ex ore Christi sequentia verba clare atque distinctè excepit. "Tu, alijq; complures te majores dicere soletis: ecce Dominus Jesus Christus tantum, per medium diem sustinuit passionem, & cum Deus esset, facile id factu erat. Quin graviora longè sustinere potuisset, si voluisset, nec tamen fecit; nos verò servi ejus multis gravissimè tribulamur à mundo, carne, Diabolo, nec sumus Deus aut ferrei: cur ergo tantumli tanta, tamque diuturna patimur, cum Christus exiguo spatio passionem compleverit? Veni ergo, inquebat Christus, & vide quae tibi ostenduntur. Et ecce subito erant in regio palatio incubiculo regali. Hic erat Virgo ineffabili decore, modestiaque praefulgens, quae coram Archangelo Gabriele haec verba proferebat: *ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Eodè instanti suis ille oculis, tunc sole clarioribus, intima corporis virginei penetralia perspiciens, puellum in eis vi-

Hadrianus  
Lyraus de  
imit: IESV  
patient. l. 2.  
cap. 1.

dit minimae quantitatis instar aviculæ parvulae, sed cunctis membris absolutum. Monente Jesu; inspicie diligenter, videbat in qualibet puelli parte totum inesse mundum, atque iterum in qualibet mundi parte intra puellum. *Ierosolymam*, ubi passus est; eique tunc à Christo revelatum fuit, quod à primordio vitae continuè sic passus fuerit, quemadmodum sub extremum vitae. Sed jamne tandem, sceleratâ urbe per Romanos Cæsares dirutâ, tua ô Christe tormenta quieverunt? jamne suspensio & disruptio Judæ non est amplius, qui te tradat? jamne debellatis & excisis Judæis non superest ultra qui te crucifigat? jam flagrorum & plagarum satis? Satiatus utique his videri poteras, cum moriens clamasti: *consummatum est.* At ecce, ut facile repullulant mala germina, rursus in qualibet mundi parte novæ videntur *Ierosolymæ*; imò mundus totus diebus istis transformatur in *Ierosolymam*; rursus ac de novo licet dicere: *consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de filio hominis.*

Et primò quidem à multis tradetur. Non hic unum mercatorem pessimum Judam expectate; nam quam ille exercuit mercaturam, hanc exercent omnes qui accipiunt aliquid corporalium rerum, ut tradant & ceciant ab anima sua. *Salvatorem* inquit Adamantius. Et omnes (ejusdem verba sunt) qui pro temporalibus rebus justitiam deserunt, Deum qui est justitia vendunt. O quot justitiam suam, quam aliàs toto anno diligenter coluerunt, hoc triduo deserunt, eamque non dico triginta argenteis, sed vi-

Origen. 11.  
35. in Matt.

*Hebr. 12. 6.* li lenticula cum Esau profano commu-  
tant. Venerat hic aliquando de agro  
lassus, & famelicus, vidensque quod  
frater suus coxisset pulmentum, ait ad

*Gen. 25. 29.* eum: *da mihi de coctione hac rufa, quia  
oppiò lassus sum. Cui dixit Jacob: lubens  
præbeo, tu modò vende mihi primogeni-  
ta tua. Ille respondit, sen præ fame morior;*  
& si moriendum est, *quid mihi prode-  
runt primogenita? habe illa tibi. Ait*

*Jacob: jura ergo mihi. juravit ei E-  
sau. & vendidit primogenita. Et sic ac-  
cepto pane & lentis edulio comedit, & bi-  
bit, & abyit, parvipendens quòd primoge-  
nita vendidisset.* Abulensis, Cajetanus,  
Pererius & alij hîc docent, Esau nimiâ  
gulâ & aviditate edendi peccasse; neq;  
enim, ajunt, dubium est in tam divite  
Isaaci dono, panem, carnes, aliosque  
cibos, quibus vesceretur, habere po-  
tuisse: sed fragrantia, color, odor, &  
cupiditas lentis, quam coxerat Jacob,  
ita illum inescaverat, ut moriturum se  
clamaret, nisi protinus illâ potiretur;  
unde Hebraeus textus aviditatem istam  
clariùs ita exprimit: *obtege me, obrue  
me, imple me, de rufo, rufo isto.* Ejusmo-  
di gulones & gnathones passim modò  
per domos reperias. Plurimi enim Bac-  
chanalia se non existimant celebrâ-  
se, nisi cibo & potu in tantum obruant,  
impleant, obtegant, infarciant sese, ut  
tantum non crepent: qui, ut loquitur

*Eccle. 10. 19.* Ecclesiastes, *in risum faciunt panem &  
vinum ut epulentur:* vel ut alius habet  
textus: *apparant convivium cibis magni-  
ficis propter voluptatem,* propter luxum  
& luxuriam, quam propriè gulam  
Theologi appellant. Et hoc est pri-

*Col. 1. 15.* mogenita, vel potiùs primogenitum o-

*mnis creatura* (sic Christum Paulus ap-  
pellat) vendere ac deserere, hoc est,  
quod idem Paulus copiosis lacrymis  
deplorat, cum alicubi lamentatur:  
*multi ambulant, quos saepe dicebam vobis  
(nunc autem & flens dico) inimicos Chri-  
sti, quorum Deus venter est.* Quasi dice-  
ret, ut non nemo explicat, qui ventrem  
Deo præponunt; illud enim cuique  
Deus, quod maximè colit.

At quos ego nunc flagrorum perci-  
pio crepitus? quæ verbera & plagæ in  
meis resonant auribus? Num in domo  
Pilati sum? ô utinam vana me lude-  
rent somnia! verum enim verò cum  
tot hodie in qualibet mundi parte pro-  
stent Jerosolymæ, quomodo non etiam  
plura Pilati prostent pratoria? Refert  
F. Bonifacius Guardianus Montis Sion,  
cum ad locum flagellationis Christi,  
ubi ille multis modis illusus fuerat,  
ægre tandè admissus fuisset, se, & quot-  
quot unâ aderant, distinctè audivisse,  
quasi ictus flagellantium, & custodem  
interrogatum, an hoc sæpius continge-  
ret, respondisse; sexaginta annos, quos  
ibi habitasset, die noctuque indefinen-  
ter auditos. Potest modò, si unquam,  
innocentissimus Jesus queri: *congrega-  
ta sunt super me flagella.* Et: *supra dor-  
sum meum fabricaverunt peccatores, pro-  
longaverunt iniquitatem suam.* Non  
enim, uti apud Pilatum, sex millia dun-  
taxat, sexcentos sexaginta sex; sed mul-  
tos ictuum accipit milliones, idque non  
à Gentibus, sed à populo suo dilecto,  
& amicis proprijs, qui posteaquam se-  
derunt *manducare & bibere,* posteaquâ  
escis & mero utcunque incaluerunt,  
ad choreas & impudicos ludos, ad ne-

*Phil. 3. 18.*

*Cornelius a  
Lap.*

*Nierenber-  
g. hist. nat. de  
mirab. ter-  
ra S.*

*Psal. 34. 15.  
Psal. 128. 3.*

*Exod. 32. 6.*



cio quas levitates & scurrilitates sur-  
gunt. Spectavit aliquando tam cru-  
delem Ianienam in Christi cruciatus  
mirè oculata B. Magdalena de Pazzis,  
quæ cum hoc ipso tempore, quo seculi  
vanitatibus dediti homines per urbem  
discurrunt, divinis precibus attentius  
insisteret, animo sensim à corporeis  
sensibus abrepto, vidit Christum Spon-  
sum in eadem prorsus forma, quâ à Pi-  
lato Judæis ostensus fuit, cum dicto :  
*ecce homo.* Spectavit & alia mulier  
Mexicana, quæ inter Bacchanalium so-  
lemniam ingenti mœrore oppressa, ob-  
totamq; enormes DEI offensas, in ob-  
scurum cubiculum sese abdiderat,  
lacrymis indultura : & ecce in hoc re-  
cessu repente se ei Christus Dominus  
videndum præbuit, innumeris cruen-  
tatis plagis dicens : *animadvertite, quam  
asperè me hic populus tractet.* Specta-  
vit nobilis puella Hispana ( Annæ à S.  
Bartholomæo in Religione nomen )  
quæ cum à Matre, sororibus, ac nobili  
proco ad tripudium invitata abducere-  
tur, elevatis in cœlum oculis vidit su-  
pra caput adstantem sibi Dominum JE-  
SUM, vulneratum, sanguine pluentem,  
ac dicentem sibi : *filia vide, quam malè  
me afficiat sociarum tuarum levitas, in-  
quam te insinuas.* Quid dicam de in-  
numeris blasphemijs, juramentis ac  
imprecationibus quæ à lusoribus im-  
pijs plenis buccis evomuntur ? Ferreas  
catenas rectè dixero, quibus corpus vir-  
gineum omnium gravissimè conscin-  
ditur : plerumque enim docetur tri-  
plici flagellorum genere Dominum  
flagellatum : *virgis spineis, loris nodosis,  
& catenis ferreis unguibus adunciis ter-*  
*minatis.* Sed Augustinum audite : *Aug. tract.  
10. in Ioann.*  
*flagellatus est Dominus flagellis Iudæorū :  
flagellatur blasphemijs falsorum & impio-  
rum Christianorum ; nec flagellatur  
tantum, sed velut pugionibus miseran-  
dum compungitur. Exemplum acci-  
pite. Villanasi in Helvetia tres cives  
moribus perditis aleis ludebant : inter  
quos unus, cum ei sæpe alea infeliciter  
caderet, blasphemijs execrandis in vul-  
neratum Salvatorem invecus, mina-  
tur ; n̄ iactus fortunatiores dederit, se  
in cœlum usque ipsum pugione, quem  
stringebat, petiturum : quo tandem,  
cum alea non volveretur feliciter, in-  
auras projecto, continuo de cœlo gut-  
tæ quinque sanguinæ in aleatoriam  
tabulam deciderunt, non secus atque  
si Salvator linguâ blasphemâ, quasi pu-  
gione percussus tuisset. Nec multum  
absimile quid Lovanij accidit, ubi sub-  
inde Christus ante cauponam, in qua  
perditissimi adolescentes ad ludum tes-  
ferarum sedentes blasphemijs & jura-  
mentis concertabant, repertus est totus  
cruentus & in sanguine proprio na-  
tans. At num Triurbem nostram taliū  
tragædiarum immunem putabimus ?  
O quam vereor, ne & hic hodie, cras,  
aut perendie optimus JESVS vel invisus  
ante nonnullas domos jaceat à planta  
pedis usq; ad capitis verticem, saucius &  
non tam voce, quam hiantibus vulne-  
ribus clamans : *ô vos omnes qui transitis  
per viam attendite & videte, si est dolor si-  
cut dolor meus. Quem si rogare liceret :  
quid sum plaga ista, & Christe, in tuo cor-  
pore ? responderet : his plagatus sum  
in domo eorum qui diligebant me.* His  
me affecit iste vel ille Juvenis, meâ  
Ma-*

*Annua So-  
ciet: Pro-  
vinc. Pa-  
scuariens.  
1585.*

*Barry. an-  
no S. p. 1. c.  
12.*

*Hieron.*

*Muret in  
Helvet.*

*Thren. 1. 12*

*Zach. 13. 6.*

Matris Sodalis, qui domum istam pessimo sine intravit, in eaque innocentiam suam turpiter violavit, prodegit, exiit. *O popule meus quid feci tibi, aut in quo contristavi te?* Sanior fuit Sodalium Brixienfium mens, de quibus annua nostrae, qui ut flagra & plagas ejusmodi à Christi dorso quoquomodo averterent, cum alij personati urbem totam percurrunt, ipsi numero sexaginta vicatim per urbem ritu supplicum incedere, & pars eorum in propria dorfa sævire, pars manibus defunctorum calvas præportare, pars Christi patientis instrumenta ostentare. Et repressit enim verò hoc spectaculum multorum licentiam, evenitque ut sic procedentibus agmen lymphaticum occurreret hominum viginti quinque. Stupere primum ad novum concursum; alia Orgia mirari; & quid multa? thyrsos & larvas, præter unum, omnes deponere. Admiranda certè sunt ista, tamen non omnibus imitanda. Illud quàm plurimis Sodalitatibus commune, ut in ædem sacram his diebus non aliter ac in die Parasceves sui castigandi causâ procedant; & evenit subinde in hoc genere quid miraculo simile. Cum enim Neapoli Sodalis quidam supra modum cædendo processisset, atque valetudinem nonnihil læsisset, ut à victu parando diebus aliquot impediretur; ut primum valuit, piscatum egressus est, & secum tacitus: *ô Virgo, inquit, jactum adjuva, ut rei familiaris damnum tuâ & tui Filij causâ, acceptum compensem.* Jecit rete, tantamque piscium copiam contraxit, quantam istic locorum nunquam an-

tea coegerat. Nemo unquam cum suo damno Christo patienti compassus est. Quid quòd magis compassione modo indigeat, quàm die Parasceves, siquidem ex mente Augustini graviora patitur supplicia, quàm tum passus fuerit? Vnicum enim lethale crimen longè plus eum affligit omnibus Judaicis tormentis. Audiamus querentem: *Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci; ego terrenis artubus infudi spiritum; ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum: tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi, quàm Deum, maluisti? Cum expulsus de Paradyso mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus & pannis involutus jacui, infantia contumelias humanasque dolores pertuli, iridentium palmas & sputa suscepi, flagellis casus, verberibus coronatus, cruci affixus expiravi. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingrate, redemptionis tua munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacra veram, luxuria sordibus polluisti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus mortem tuam occisurus ascendi.* Hæc est illa crux, cujus meminit Apostolus, dum contra relapsos in peccata ita lamentatur: *prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi met ipsos Filium Dei.* Crux priore illa Jerosolymæa vel idcirco gravior, quia non tam lignea, quàm plumbea; peccata enim ex quibus illa fabricatur, instar plumbi gravia esse didicit Ægidius Mon-

Aug. serm.  
267. de sep.

Heb. 6. 5.

Lechn. So-  
dal. Parth.

Montanus Societatis JESU, qui propter aliquam levem inobedientiam, (quam confessione sapius eluerat.) vehementer sollicitus, morti vicinus vidit nocte intempesta cubiculum, in quo jacebat, magno impleri lumine; visus & ipse sibi est cubiculi tecto patefacto, ita ut cœlum pateret, sustolli in altum, quasi plumbea circumdatus veste, quâ sensim veluti colliquescente & collabente plumbo, quod Ægidius altius attollebatur, hoc fiebat levior. Cumque eVectus tandem usque ad augustissimum Dei solium esset, nec auderet oculos ad ejus conspectum erigere, conscientiam illius peccati, justum à DEO bono esse animo, seque intueri, jam condonatam noxam, cujus puderet. Si unum peccatum veniale hunc Religiosum ita gravavit; quomodo non gravabunt bonum JESUM tot millia; imò millions peccatorum mortalium hoc præsertim tempore à Christianis committi solitorum! Vnde Beatissima Virgo, quæ & ipsa denuo cum Filio patitur, S. Brigittæ ita aliquando quæstatur: *legitur: nunc conqueror, quod filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in Mundo, amarior crucifigitur, quam tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit; tamen proprijs vitis crucifigunt eum. Sicut enim aliquis homo, si imagini alicujus inimici sui contumeliam & laesionem faceret, licet imago non sentiret illatam; tamen propter voluntatem malam ledendi, laesor quasi pro opere argueretur & dijudicaretur: sic eorum vitia, qui spiritualiter crucifigunt filium meum, graviora sunt ei & abominabiliora, quam il-*

*hist. Societ.  
p. 2. l. 5. n. 65*

*l. 1. revelat:  
c. 37:*

*lorum, qui crucifixerunt eum in corpore. Et cum exposuisset, quibus eum modis crucifigant, subdit: verè dico tibi, (& hoc amicis meis dicere poteris) quod tales sunt ante filium meum injustiores judicantibus eum, immitiores crucifixoribus ejus, imprudentiores venditoribus ejus, & major pœna debetur istis, quam illis. Pilatus bene scivit filium meum non peccasse, nec dignum aliqua morte; tamen quia timuit amissionem temporalis potestatis, & seditionem Iudeorū judicavit quasi invitus filium meum ad mortem. Ideo gravius isti judicabuntur, & deteriores sunt. Pilato in conspectu filij mei; quia Pilatus judicavit eum propter petitionem & voluntatem aliorum, cum timore quodam: isti autem judicant eum propter voluntatem propriam absq; timore, quando inhonorant eum per peccatum, a quo, si vellent, possent abstinere. Deteriores sunt Judæi; quia Judas tradito Domino scivit graviter se contra eum peccasse, & properavit dies suos ad infernum, credens se indignum vivere. Isti autem bene sciunt peccatum suum, & tamen perseverant in eo, nullam pro eo in corde compunctionem habentes. Deteriores sunt etiam crucifixoribus ejus, qui si scivissent, quod fuisset Rex gloria, nunquam crucifixissent eum. Isti autem vident opera ejus quotidie, & magna mirabilia, utuntur beneficijs ejus & audiunt, quomodo ei servire debent, & ad eum venire. Hæc Mater dolorosa. Vos afflictæ id saltem date solatij, ut de vobis triduo isto perinde atque de*

*Joanne audire possit: Mu-  
lier, ecce filij  
tui.*

DOMI-

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Quadragesima tempus certaminis.

Ut tentaretur. Matt: 4.



Exacto hyemis asperime rigore, suum quoque militaria hyberna sentiunt terminum. Rursus Martiale sonuit classicum, rursus vocem dedere tympana, tempus adest, quo solent Reges ad bella procedere.

2. Reg. 11.

*Arma, arma, arma, viri.*

Et en procedunt hodie adversum se duo potentissimi Reges, Cœlorum alter, alter Erebi; hic aspectu truci, flammantibus oculis, ardente vultu, fumantibus naribus, scintillantibus capillis: ille totus mitis, s̄vavis, & amabilis, ore roseo, genis à jejunio quidem nonnihil pallentibus, sed meras gratias spirantibus, fronte eburneâ, cæsarie ad humeros venustè defluâ: quid hîc aliud expectandum, quàm bella horrida bella? Ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Hoc est, ut explicat noster Barradius, " ingressus est tanquam Dux fortissimus certaminis locum ducente fortissimo spiritu, ut cum Tartareo Duce congrederetur. Receptui maturè cane ferocissime tenebrio, magna tibi imminet clades: nescis cum quo congrederis; fortiozem te armatum non agnoscis, qui universa tua arma & vasa in quibus confidebas auferet, & spolia tua disperdet. Sed cur desertum certamini deligitur? Nonne gloriosius erat in urbe

Luc. 11.

Matth. 12.

vel oppido, in hominum frequentia congregari? Christo quidem nihil id pensi foret; at timidissimus Dæmon, tum maxime aliquos aggreditur, cum solos viderit atq; ab alijs segregatos, ut inquit Chrysostomus. Expertum se id fatetur Abbas Theodosius apud Sophronium, ubi de se ipso hæc narrat: priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in ecstasi aspexi quendam virum, cujus species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam: veni, ait, quia pugnare & luctari te convenit. Et induxit me in theatrum plenum viris, ex una parte candido amictu; ex alia verò nigro vestitus. Cumq; iniecisset me in theatrum, aspicio virum magnitudinis miræ athiopem, cujus caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me Iuvenis, qui mihi apparuerat: cum hoc luctari te oportet. Ego, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pavere cœpi, orabam ductorem meum dicens: quis hominum mortali conditione, & infirmitate circumdatus cum hoc luctari posset? Non ipsum universum genus hominum, si in unum confluat, huic resistere prævaleret. Ait autem ad me juvenis ille præclarus: prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate & fiducia. Mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor ero, tibiq; victorie coronam imponam. Ut ergo ad certamen sum ingressus, luctariq; invicem

hom. 13. in Matth.

Piat. spirit: c. 66.

cœpi

cepimus, continuo præclarus ille Index nostri certaminis adfuit, mihiq; coronam dedit. Atq; plebs illa obscura, æthiopumq; multitudo ingens ejulantes evanuerunt: pars verò reliqua candidatorum gratias illi & laudes referebant, qui me juverat, ac præclarâ victoriâ donaverat. Ecclesia nos hoc quadragesimali tempore vult omnes Theodosios & luctatores esse, ducitque nos in solitudinem, de qua loquitur Deus apud Oseam: *ducam eam (animam) in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Volo dicere: vult nos tantisper à negotijs secularibus, à strepitu fori, à delicijs carnalibus abstrahere, ut soli Deo, rebusque divinis tantò magis vacemus, operibus pietatis & poenitentiae ardentius insistamus; atq; ita ad bellum præparari nos oportet,

Osee 2. 14.

*juxta illud Sapientis monitum: fili accedens ad servitutem Dei sta in justitia, & præpara animam tuam ad tentationem.* Verùm quisque hic suus sibi Dux & Imperator esse debet; sibi enim pugnat, sibi uni certat, sibi vincit, sibi triumphat. Ergo boni Ducis ideam, tum è veteri emblemate, tum ex ipsiusmet Ecclesie regulis accipite.

Eccli. 2. 1.

Veteres absolutissimum belli militiæque Ducem vivis quasi coloribus formare volentes, pingebant Virginem habitu militari, armatam pectus Gorgone, hastile præacutum dexterâ, ægidem sinistrâ prætendentem; mucroni hastæ gallus insidebat, medium circumplecibat serpens, grus obtegebat imum. In hoc emblemate quatuor potissimæ virtutes militares exprimantur, in grue taciturnitas, vigilantia in gallo, prudentia & gravitas in serpente, in

virgine continentia. Omnes has in hymno nunc quotidiano exprimit Ecclesia, cum ita canendo officij universos commonet:

*Utamur ergo parcius  
Verbis, cibis & potibus,  
Somno, jocis, & arctius  
Perstemus in custodia.*

I.

Et ut à Grue incipiam, non immeritò Grus sylvæ illa inter militiæ censetur symbola. bolum silentij.

De gruibus enim naturæ scrutator Plinius, alijsque tradunt, quòd excubiæ more prorsus militari nocte dividant, capite subter alam condito dormiant, alternis pedibus insistentes. At ubi primum quale quale classicum insonuit, in aëra sese mora nulla sublevant, & certo, eoque pulchro maximeque militari ordine, ad figuram trianguli, seu literæ Y. trans mare, vel aquilis horrentem Caucasum feruntur, singulæ in ore lapillum ferentes, ne in minimum erumpant sibilum, itaque inimicas sibi aquilas eludant, Ista quidem grues. At enim quis non eadem requirat in Duce? Nonne hunc cum primis taciturnum, secretique tenacem esse oportet, ne consilia bellica hostibus evulget, insidias pandat, stratagemata detegat, munitionem prodat, aut certè hostes in insidijs alicubi latentes, garritu & clamore in sui cognitionem faciat devenire? Hinc plerumque fit, ut qui loca ab insidijs suspecta transeunt, in summo incedant silentio, ne vel minimum excitent strepitum, quo prodi possint. In turcarum castris (scribit Cuspinianus) noctu tam pertinax servatur silentium, ut patiantur capti-

vos.

vos dilabi, ne tumultus excitetur. Quid quòd Solymano Turcarum item Imperatore cum 30. millibus Rhodum ingresso, ne unum quidem verbum est ex alicujus ore auditum, adeo ut milites per urbem incedentes Monachi quos vocant *Observantes* esse viderentur.

Similiter nobis hac Quadragesima agendum AA solitudinem, locum periculosum ingredimur, grues proinde simus, & à garritu, hoc est à multiloquio nos abstinemus: *in multiloquio enim, ut docet Sapiens, non deerit peccatum*, quod vel maximè hoc tempore vitare debemus. Per multiloquium Clemens Alexandrinus intelligit verba inepta, otiosa & nugosa, uti & Bernardus, qui ita differit: *quam*

*vera sententia, fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum! ut enim præteream cetera, si propterea est otiosum verbum, quòd nullam rationabilem causam habeat; quam rationem de eo reddere poterimus, quòd est præter rationem? Nemo nostrum, fratres, parvi aestimet tempus, quòd in verbis consumitur otiosis. Siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irrevocabile; nec advertit insipiens, quid amittat. Liber confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ò donec pertransseat tempus! donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget. Donec transseat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, aspirare ad promis-*

*sam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.*

Hactenus Bernardus. Nec prætereundum putavi D. Ambrosium, qui in castigando Gerontio Diacono suo docuit, quantus otiosorum sermonum esset odor & hostis. Narrabat aliquando in cætu aliorum Gerontius (ut festivo erat ingenio) quiddam anicularum fabellis consimile; se nimirum noctu Dæmonem asininis auribus apparentem, comprehendisse, caput illi rasisse, & misisse in pistrinum. Quæ eo lepore commemorabat, ut magnos in audientibus risus excitaret. Res delata est ad Ambrosium, cui vehementer juvenilis in loquendo & nugando ea temeritas displicuit; itaque advocatum Gerontium acriter primùm coarguit, *ut indigna ministro Dei locutum*, tum præscripto tempore domi manere jussit, donec pœnitentiâ, quam ei injunxit, expiaretur. Voluit gravissimus Præ-

Soz. om. l. 3. c. 6.

Crescoll. an. thol. dec. 2. Sect. 12

Castian. de gastrim. c. 31.

L

est

Iovius in e-  
jus vita.

Prov. 10. 19.

Clæ. Alex.  
l. 2. pedag.  
c. 6.

Berna. ser.  
de triplici  
custod.

est omnem vobis sermonis usum interdiceret; non ego vos veros & formales Eremitas esse cupio, qualis erat Abbas Agatho, qui lapillo assidue ori indito tacere didicisse fertur, idque tres continuos annos sanctum habuisse, ne etiam cum fari vellet, posset. Longè alios suggero lapillos, ex P. Vincentio Carrafa septimo Societatis Jesu Generali, nimirum sacratissimam Christi Passionem, ac ejus vulnera, quæ ipse in aureo suo libello, cui titulum dedit *Fasciculus Myrrha*, quinque illis limpidissimis lapidibus comparat, quos sibi David de torrente elegerat contra *carneam turrim* Goliathum pugnaturus. Credite hos lapides Tartareus Gigas vel maximè pertimescit; illis proinde hoc tempore armamini, illos imperam non tam oris, quàm cordis mitite, & vincetis. Sicut enim Christo (uti cuidam Religioso id petenti revelavit) nihil tam ad placitum, & si liceat loqui, ad salivam accidit; ita Dæmoni nullus validior, & magis letalis ictus est, ac frequens Dominicæ Passionis memoria.

II. A grue ad aliam symboli effigiem transeamus serpentem. Serpens, ut vulgò notum, significat Prudentiam: hinc illud Christi Apostolis datum dogma: *estote prudentes sicut serpentes*. Porro non minimum Prudentiæ attributum est, amare seria, nugas, ludicra, & stulta detestari, ideoque stultitiæ è diametro opponitur. Non abs re igitur Ecclesia jocos & gerras nobis in præsentiarum inhibet; monens: *ut amur parcius jociis*. Nam sicuti in bello tum minimè jocari licet, ubi res serio & armis geritur, ubi æneæ reboant, fistulæ, plumbeæ circa caput glandes obvolitant, collisi perstrepunt enses, undique in oculos incurrunt funera, læorum personant gemitus, sanguinei defluunt ex corporibus torrentes: ita multò minùs jocari licebit, ubi non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in celestibus. Si tales (inquit hic S. Chrysostomus) instructæ sunt acies, si incorporales Principatus, si mundi Domini, si spirituales nequitie adversum nos sunt, quomodo, dic quaeso, deliciaris? quomodo in risu & joca effunderis? Huc facit illa Christi interminatio: *va vobis qui ridetis nunc*. Nunc quando tempus est flendi, nunc quando ego pro vobis patior, pro vobis pugno & dimico, quando ad sanguinis sudorem inimico vestro, ut vos de manu ejus eripiam, resisto, quando vestri causâ vulnera millena accipio, vestri causâ morior. *Va vobis qui ridetis nunc*. Captivi illius exemplum velim in mentem redeat. Hic Tyranno alicui mancipatus, cum aliàs minimè tyrannicè ab eo haberetur, non destitit tamen vultu dejecto, fronte tristi incedere, suspiria ex imo corde trahere, madere oculis, palmis pectora tundere, ciborum lautitiam averfari, joca respuere. Miratus ista tyrannus, causâ tristitiæ quærit, & qua de causa, servis cæteris hilaria agentibus, unus ipse non collataretur. Cui ille: cum alijs gaudeo; sed tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuè in corde meo passionis & vulnerum ejus

Marull. l.  
4. c. 6.

Vincent:  
Carrafa in  
fasciculo  
myrrha.

1. Reg. 17.  
40.

Specul. e-  
xempl. di-  
stinct. 9. e-  
xempl. 185.

Matth. 10.  
16.

Ephes. 6. 11.

Luc. 6. 21.

Spec. exi.

jus signata porto. Hoc ubi tyrannus inaudijt, multa mox bile exardescens, & stomachabundus, experiat, inquit, quæ dixisti. Nec mora, accito carnifice jubet ejus cor discisso peccatoris thorace evelli, mediumque discitari. Et ecce rem miram! pro sigillo pars una cordis, & pro impressione altera Christi crucifixi imaginem continens conspicitur. O si tali signaculo corda nostra signaremus, quam bene contra Tartareum Ducem signati essemus. Si enim in fronte signum, hoc tantopere timet, ut viso eo fugiat; quomodo non fugiet, ubi illud in corde conspexerit?

III. **Callus vigilantia.** Et ecce gallum mihi audire videor gallinaceum suo memet (ut egregie vocalis est) solenni cantu ad se evocantem. Hunc vel ideo inter militiæ symbola annumeravit vetustas doctissima, quod quoties alto sopore mergi contingit homines feræve, unus ipse pervigil ac infomnis noctes totas velut meditatundus transigat, & unde unde venientia solus antevertat pericula gallinarum. Neque hoc tantum; sed & mortalium commodis à magistræ natura servire doctus ita voculam partitur ac attemperat, ut æqualibus noctem dividat intervallis, primumque ejus conticinium, ejus dimidium, & extremum scitissime distinguat. Vigil itaque gallus est, vigilem decet esse militem Christianum. *Viamur ergo parcius somno.* Docet nonnemo Christum quadraginta illis diebus, quos in deserto tranlegit, non solum omni cibo & potu, verum etiam somno abstinuisse. Confirmatque sententiam exinde, quod

Evangelista dicat, eum non modo jejunasse quadraginta diebus, sed & totidem noctibus; nemo autem, dum dormit, censetur jejunare; cum somnus potius instar alimenti sit. Hinc Poëta glirem ita loquentem inducit:

*Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo  
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.*

*Martial:  
l. 13.*

At utinam nos animalia ruminantia imitari possemus, quæ nunquam dormire dicuntur. *Vigilare enim decet hominem*, ait Comicus, &, Platone teste, *nemo dormiens re ullà dignus est.* Tale animal ruminans fuit Magnus ille Antonius, qui totas noctes divina ruminando & meditando infomnes trahebat, eodem corporis situ ab occasu Solis usque ad ejusdem ortum in oratione perseverans. Quia verò non omnium hæc felicitas est, at saltem ita vigilemus, ut Solem surgentem & orientem præveniamus *ad benedictionem*: *aurora enim sicuti Musis, ita non minus orationi amica.* Alexander Macedo, dum in castris agebat, ne somno nimium gravaretur, aneam corcham capiti supponere solebat, brachio extralectam exerto, pilam in manu tenens argenteam, ut cum nervorum vigorem sopor laxaret, lapsæ pilæ tinnitu expergeret. Probè enim intelligebat, ceu bonus belli Dux, perdicionis militum certiozem non esse occasionem, quam somnū. Hic Thrasybuli Atheniensis exercitum, hic Trojam, hic nostram minorem Prægam annis abhinc decem perdidit. Et perdidisset omnino ipsos-

*Plaut.  
Plat. de  
legib.*

*Sap. 16. 28.*

*Curtius.*

L 2 met



met Christi milites Apostolos, nisi ipse  
Christus tam solerter pro ijs pervigi-  
lasset. Eduxerat illos in locum con-  
fictus *trans torrentem Cedron, ubi erat  
hortus.* Congregabantur interea Ju-  
dæi, disponebantur centuriæ, & cohor-  
tes ad eum capiendum, parabantur,  
vincula, funes, catenæ, pedicæ, gladij,  
fustes, ligna velut contra latronem ex-  
pediebantur, aderat Proditor unus è  
consilio ejus intimo. Quid agat bo-  
nus Dux & Imperator? Ab exigua co-  
horte suorum, & non nisi geminis ar-  
mata gladijs tâtisper secedens, ex mon-  
te Oliveti ceu aliqua specula hostes  
prospectat, horis aliquot pervigilat,  
preces ferventes ad Patrem fundit. In-  
terim ignavi ejus milites in tantis peri-  
culis stertunt: *invenit eos dormientes.* O  
focordiam! *Simon itane dormis, qui tam  
audacter ad pugnam te offerebas: te-  
cum paratus sum & in carcerem, & in  
mortem ire? dormitis & reliqui? sic  
non potuistis unâ horâ vigilare mecum?*  
an Judam non videtis cum fortissima  
manu appropinquare? Ah quæso *vigi-  
late & orate ut non intretis in tentationem!*  
Intrârunt tamen nihilominus; siqui-  
dem *omnes relicto Duce suo fugerunt,*  
unus insuper turpissimè eum negavit;  
*erant enim nimis oculi eorum gravati.*  
Tentat, mihi credite, tentat Dæmon  
vel maximè somnolentos, tanquam ad  
sibi resistendum infirmiores ac imbe-  
cilliores. Nam quid ita hominem  
enervat, debilitat, infirmit ac sopor?  
ut propterea à Poëtis iners, ignavus,  
languidus, frigidus, gravis, vacuus sanè  
congruis epithetis appelletur: eum  
contrâ vigilia sensus vividos, & ala-

Ioann. 19.

Matth. 26.

res efficiat, unde à *vigendo* nomen  
trahit.

Ultima tandem symboli alioqui  
caput mihi sese objicit Virgo. Hæc  
utpote Veneri (quæ sine Cerere & Bac-  
cho friget) contraria, primâ statim  
fronte Ducem bellicum continentia  
ac temperantia commonet; sine qua  
nemo in gloriosum militem facile e-  
vasit. Gloriam æternam belli habet  
Scipio Africanus; sed quia continens.  
Hic enim videns in castris multam li-  
centiam, lasciviam, & luxum, omnes  
divinos, lenones & lenas ejecit, quin-  
& vasa omnia amoveri iussit, exceptâ  
ollâ, veru, & poculo ligneo. Belli  
Germanici fulmen audit Tillius; sed  
cui sobrietatis & pudicitia laudem ne  
hostes quidem ipsi detrahunt. Anni-  
bal dum temperans mansit, quibus non  
cladibus Romanos afflixit! at ubi Cam-  
panis affluere cœpit delicijs, omne si-  
mul ejus robur penitus diffluxit.

*Utamur ergo parcis cibus & poti-  
bus.* Jejunium enim militem adver-  
sus hostem roborat; pingues & obesi  
plerumque parùm timentur. Pul-  
chrè S. Chromatius quærit; quare Ju-  
dith pergens ad obruncandum Holo-  
fernem perrexit tam culta? & re-  
spondet, quia si macilentam vidissent  
Assyrij pertimuisent; ideo ut secu-  
ritatem illis præstaret, *jejunium texit,*  
*& ab hoste triumphum victoriae reporta-  
vit.* *Terretur Holofernes stygius,*  
*pallore jejunijs,* inquit Ambrosius, *debi-  
litatur inedia, infirmitate prostermitur.*

Quid quod jejunium milites omni-  
nò invulnerabiles reddat, & quidem  
longè certius, quàm Achillem aqua  
sty-

IV.  
Virgo  
Contine-  
tia.

Chemnii.  
l. 3.

Ambros.  
ser. 25.

*Ambr. lib. de jejun. & Elia c. 7.* stygia? Declarat hoc modò citatus Doctor in Daniele, inter rabidorum leonum rictus prorfus illæso: in adamantis rigorem, inquit, abstinentie soliditate membra durata non patuerunt vulneri: sic eum constrinxerant jejunia, ut in ejus corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Similiter ferè Magnus Bahilius. Daniel demissus in lacum etiam leones jejunare docuit, neq. enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quasi ex lapide aut ferro concretus esset; adeo quemadmodum tincturâ ferrum indurefcit, ita jejunium p. viri corpus duraverat. Idem declarat in Samsonem: quid, inquit, fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nonne jejunium, cum quo in Matris ventre conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrit, jejunium virum ac heroem effecit. Jejunium anima optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum, athleticis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, in bellis fortitudinem affert, potentes confirmat atq. roborat. Vnde Ecclesia de quolibet Confessorum suorum canit:

*Hic confitendo jugiter  
Calcavit artes Dæmonum,  
Sævumq. Averni Principem.  
Quomodo calcavit?  
Jejuna membra deferens.*

O veræ fortitudinis matrem jejunium! ô securissimum contra Dæmonis vulnera amuletum! sine quo nec ipse Dei Filius satis securus fuisset. Divus enim Epiphanius existimat Dæmonem postquam vidisset Christum post resurrectionem iterum cibos sumere, novam ei crucem parâsse, quasi denuò dubitaret ipsum esse Dei Filium. Videns illum, inquit, tertia die à mortuis resurrexisse, repente veluti acuta cuspide telog, trajectus in terram concidit. Ceterum rursus eum ac antè comedere & bibere cernens, aliam denuò crucem illi destinabat.

*Orat. de  
ascens. D.*

Ne de nobis AA. triumphum agere,  
sibi que applaudere possit;

*Utamur ergo parcius  
Verbis, cibis & potibus,  
Somno, joci, & arctius  
Perstemus in custodia.*



DOMI-

## DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Dæmon Geographus; Christus Astrologus.

*Duxit illos in montem. Matt:17.*

legantissima mundi moles, uti sex continuis diebus ingeniosas divini artificis manus; sic multo magis tarda tot seculis hominum fatigavit ingenia. In hoc omne studium curaque versatur, scire quid sit mundus; in hunc finem longæ peregrinationes, navigationes, & itinera suscipiuntur, exteræ Provinciæ; nationes, urbes adeuntur, sæpe magno vitæ periculo, ærisque dispendio: homo ferè non putatur, qui extra patrios lares pedem non poluerit. Sed quia *non omnibus datur adire Corinthum*, nec omnibus ita turget crumena, ut eam mundi peritiam mercari possint, excogitavit humana industria nescio quas versatiles sphaeras, globos, tabulas, & mappas, in quibus totum Orbis situm velut in aliqua idea licet intueri, & quod alij longis itineribus quærunt, uno ferè lucrari aspectu. Sic refert

*Drexel: de  
calo, lib. 1.  
c. 7. §. 2.*

Drexelius, quendam albæ mentis hominem ad Geographum accessisse, petijisseque, per orbem sese compendio duceret, doceretque varias regiones in charta nosse;

*Nec minus è tabula picto discere mundos.*

Mox ille hominem ad ingentem tabulam svaviter trahens, ostendit sermocin-

nante manu hic Asiam, novam illic Americam, istic Africam, ibi Europam; similiter flumina, maria, provincias, regnaque plurima commonstravit. Jamque satis, ut putabat, à Geographo instructus, mundi que peritus, Astronomiæ Doctorem quoque adit, rogatque cœlestium orbium compositionem sibi explanet, quis eorum numerus, quis ordo, quis motus, qui eccentrici, & concentrici, qui plani, qui solidi sint orbes. Astrologus cœpit versare sphaeram, & ostendere quæ circulorum volumina, quæ axium sint vertigines, qui coluri, qui tropici, quid æquator, quid zodiacus. Sphaeræ medio cingebatur terra vix nucem æquans; ita simul etiam cœli, terræque distantiam explicavit. Hic Auditor admirandus: quid hoc rerum est obsecro? Prior ille Geographiæ Professor in extensa tela terræ globum esse maximum monstravit: tu verò doctissime Domine terram vix exiguae nuci magnitudine parem exhibes. Cui credam? Astitit amicorum aliquis, qui in aurem insufurrans: ne mireris, inquit; nam ille Geographus, iste Astrologus est, diversa tractant studia, rem suam uterque curat. Animadverto omnibus scientiam hanc in amoribus esse, ideoque tam Geographum, quam Astrologum vobis hodie proponam. Vestrum erit

erit discernere cui magis credatis, illi-  
ne, qui parvam terram, & coelum ma-  
gnum exhibet; an illi, qui terram ma-  
gnam & coelum parvum.

Necdum arbitror memoriâ excidit,  
quod ante octiduum cum filio Dei ge-  
stum audivimus, qualiter eum Diabo-  
lus assumpserit *in montem excelsum val-  
de*, & ostenderit ei omnia Regna mun-  
di dicens: *hec omnia tibi dabo, si cadens  
adoraveris me.* Ecce Geographum.  
Hodie verò ipsemet Dei filius tres ca-  
rissimos discipulos *in montem item ex-  
celsum* assumit, & ostendit eis gloriam  
coeli. Ecce Astrologum.

Hic jam statim dolum aliquem in-  
versutissimo Cacodæmone suspicari  
incipio; nec assequor quomodo ex u-  
no monte omnia mundi regna mon-  
strare potuerit. Euthymius putat  
non ipsa regna, civitates & populos  
Christo ostensa; sed partes terræ in qui-  
bus unumquodque Regnum, vel uni-  
uscujusque Regni civitas posita erat:  
ut putà si ascendas super excelsum lo-  
cum, digito extenso dicam tibi: *ecce  
ibi est Roma, aut ibi Alexandria.* Non  
sic ostendo tibi, *ut ipsas videas civitates,  
sed partes terræ, in quibus posita sunt.*  
Haymo ab ipso Deo Regna mundi Dia-  
bolo, & per hunc Christo proposita o-  
pinatur. *Diabolus, inquit, non tanta  
fuit potestatis, ut Domino Regna univer-  
sa posset ostendere; sed ita est tenendum,  
quod ipse Dominus totam mundi machi-  
nam potentiâ suâ Diabolo videndam præ-  
buit, sicuti B. Benedicto ostensam legi-  
mus apud D. Gregorium, omnis enim  
mundus, velut sub uno Solis radio collectus  
ante oculos ejus adductus est.* S. Cypria-

nus censet id factum non sensibili; sed  
imaginaria & phantastica visione. To-  
letus per species à Dæmone collectas.  
Nonnulli Recentiores apud Corneli-  
um per multa specula sibi invicem ob-  
jecta. Ex Theophrasto probabilissi-  
mè Jansenius docet, Dæmonem instar  
pictoris omnium regnorum imagines  
in aère à se variè condensato, per vari-  
as radiorum Solis refractiones, uti fit  
in iride, repræsentasse & quasi pinxis-  
se, fecisseque ut per eas omnia, quæ in  
regnis erant gloriosa & splendida, ap-  
parent & obijcerentur oculis Chri-  
sti. Ea picturæ venustas est, ut res in-  
se viles & sordidas colorum beneficio  
visu jucundas, magnasque efficiat.  
Quid detestabilius serpente? & tamen  
ubi in tabula gratiosâ squamarum lu-  
ce micuerit, cujus non oculos recreat?  
Asserit hoc ipsum doctis notum ada-  
gium: *qua natura deformia sunt, plus  
habent artis, & voluptatis in tabula.* Pi-  
ctam Dæmon Geographus & quasi in  
mappa Christo exhibet terram, volens  
ei addere per picturam, quod non ha-  
buit per naturam. Terra enim in se  
in primis adeo sordida & fœda est, ut  
non nisi merissima videatur corruptio;  
quidquid enim in ea generatur, ex cor-  
ruptione generatur. Est adeo parva, ut à  
Seneca punctum appelletur: *hoc, inquit,  
est punctum, quod inter tot gentes ferro &  
igni dividitur.* Et Plinius ait: *mundi  
punctus (neq, enim est aliud terra in Uni-  
verso) hac est materia glorie nostræ, hac se-  
des, hic honores gerimus, hic exercemus im-  
peria, hic opes cupimus, hic tumultuat ut  
humanum genus, hic instauramus bella,  
mutuisq, cœdibus laxiorē facimus terrā.*

Cyprian.  
tract. de je-  
jun. & cent.  
Christi.  
Tolet. in c.  
4. Luc.

Erasm. l.  
8. apoph.

l. 2. nat. hist.  
c. 68.

Gen.

Greg. l. 2.  
dial. c. 35.

Plut. in  
Lacon.

Conspexerat nonnemo tabulam  
quæ Atheniensium cum Lacedæmonijs  
pugnam ad vivum referebat. Ibi vi-  
dens qualiter Athenienses Lacedæmo-  
nijs instarent, eosque caderent & tru-  
cidarent, exclamavit: *fortes Athenien-  
ses.* Lacon id audiens; subiecit: *in ta-  
bula.* Sic multi mundi hujus gloriam  
conspicati, videntes Cæsarum diade-  
mata, Regum purpuras, mitras Ponti-  
ficum, tiaras Ducum, trabeas Principū,  
epomides Doctorum, balthea militum,  
senatorum togas, torques divitum, a-  
nulos sponforum, urbium magnificen-  
tiam, palatiorum majestatem, mensa-  
rum lautitias, & his similia, continuo  
acclamant: Beata terra! beatus ho-  
mo! beatus populus *cui hæc sum.* Sed  
addo ego: *in tabula.* Omnia tantum-  
modo picta sunt, & ad brevem aspe-  
ctum, ut illa Theonis tabula Juvenem  
armatum referens. Torvi furias spi-  
rabant oculi, manuum altera umbo-  
nem obtendebat, altera vibrabat fer-  
rum, incessus in hostem incitatus; u-  
num belli signum deerat. Ergo tubi-  
cen pone cortinam statuitur, & ubi  
primum

- - tuba terribilem sonitum procul  
are canoro  
Incepit - -

Virg. 9.  
Æn.

tum velo diducto miles patet. Comœ-  
dis ac Tragœdis id solenne est, ut cum  
per imagines ad vivum quidpiã repræ-  
sentare volunt, id faciant quàm ocyssi-  
mè, & quasi in momento; quia sicut  
primo intuitu veri speciem exhibent,  
ita si paulo diutius eas spectari sinant,  
fictionem detegunt. Non ignoravit

hanc artem Dæmon Comicus petiti-  
simus, ideo, ut loquitur Lucas, *ostendit*  
Christo *omnia Regna orbis terra in mo-  
mento temporis*, metuens, ne si diutur-  
niorem tabulæ indulgeret aspectum,  
tota illa terrena gloria, ut erat, appa-  
reret figmentum. Et verò illusum se  
hic agnovit Paulus (tunc adhuc Saulus) *Act. 9.*  
cùm nescio quam se habere putaret,  
gloriam ex eo, quod accepisset *epistolas*  
à Principibus Sacerdotum *in Damaf-  
cum ad Synagogas*, ut quotquot inve-  
nisset Christianos, *vinctos perduceret in*  
*Jerusalem.* Jamque adeo ita inflaba-  
tur, & præ superbia turgescerebat, ut  
præter minas & cædes *in Discipulos Do-  
mini* spiraret nihil. Et ecce ubi pri-  
mum imagines vel potius imaginatio-  
nes illius *lux de cælo* illuminavit, *aper-  
tis oculis nihil videbat.* Quò abiit, ô  
Saul, tua potestas? ubi sunt, quos à  
Principibus Sacerdotum sperabas ho-  
nores? Ah! imaginarij tantum & in  
tabula picti erant. *Hoc dico, fratres,*  
*Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo,*  
*tanquam non utantur.* Præterit enim  
*figura hujus mundi.* Deceptus etiam  
hæc figura fuit Alcibiades, dum se ob  
agrorum, quos possidebat, multitudi-  
nem omnino beatum reputabat. Sed  
phantasiam ejus correxit Socrates:  
quippe ad mappam seu tabulam geo-  
graphicam adductū rogavit primum,  
ut Articam istic regionem quæreret;  
quam ubi invenisset, jussit ut suos in ea  
agros ostenderet. Cùm istic pictos non  
esse diceret: *cur igitur*, inquit Socra-  
tes, *horum possessione te effers, que nulla*  
*pars sunt terra?* O verè nulla pars!  
punctum enim, qualis est terra, partes  
non

Luc. 4. 5.

Act. 9.

1. Cor. 7. 31.

*Psal. 75. 6.* non habet. Hinc bene dixit David : *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*, quasi diceret : quantumcunque se divites & opulentos putent, jactent nescio quos thesauros, numerent villas, pagos, arces, castella quàm plurima, nihil tamen habent; vanâ luduntur imagine somni. *Præterit figura hujus mundi.*

Ergo fallaci Geographo relicto ad Astrologum transeamus. Astrologis magis proprium est astrorum speculandorum causâ alta scandere : hinc in laudatioribus ædificijs visuntur subinde speculæ, quas vocant Mathematicas, super domûs fastigia eminentes, & totam superbè despectantes fabricam. Quò enim altiùs quis ascendit, eò majorem cœli partem videt, uti contrâ minorem, quò profundius se demittit : hinc illud ænigma :

*Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,  
Tres pateat cœli spatium non ampliùs  
ulnas, (a)*

(a) in fossa  
vel puteo.

*Diod. l. 3.  
cap. 5.*

De Atlante cœlifero scribit Diodorus, quòd frequenter in montis sibi cognominis cacumen ad scrutandos astrorum cursus scandere sit solitus. Porrò dum una aliqua nocte Hesperum filium præ reliquis insignem & charum assumit, hunc ex improvise à ventis abreptum, nec ampliùs visum esse. Casum tam tristem miserata plebs honores illi æternos decrevit, astrumque cœleste lucidissimum ejus nomine appellavit. Ascendit hodie, (ut suprâ memini) Christus verus Atlas, Vniversique totius

fulcrum, portans omnia non tam humeris, quàm verbo virtutis suæ, ascendit, inquam, montem Thabor, montem imprimis excelsum, & si Josepho credimus, triginta stadia, hoc est quatuor ferè milliaria Italica altitudine æquantem; assumit non unum, sed tres carissimos *Hesperos* (scio enim hoc nomine alicubi dilectos appellari) idque non alia de causa, quàm ut illos sphaeram cœlestem doceat, terramque dedoceat. Ante omnia verò astrorum Principem eis exhibet Solē (nam *resplenduit facies ejus sicut Sol*) ut terræ parvitatem vel ex hoc solo discat æstimare, qui juxta Ptolomæum centies sexagies sexies, juxta Recentiores verò Mathematicos centies quadragies bis major est illâ. Quòd si unus Sol tam notabili quantitate terram excedit, quantum non excedet ipsum firmamentum, cujus minima portio, hoc est stella infimæ magnitudinis, decies & octies terrestrem superat circum. Quid porrò Cœlum Empyreum? Celebris scripturarum Interpretes docet, illud non millies, nec centies millies; sed plusquam decies centies millies terræ totius globum continere. Et quidam alius supputat: si in fine Mundi ab ejus ortu forent mille quadringenti viginti novem milliones millionum hominum, singuli 15. milliaria Germanica in ipso Cœlo æquâ distributione, inter se sortirentur, restarentque adhuc aliquot milliones milliariū. \* Quis sam non exclamet cum Propheta: *ô Israël quam magna est domus Dei, & ingens locas possessionis ejus!* Quis non protestetur cum Ignatio: *quam sordet mihi terra dum cœlum aspicio!* quis audeat di-

*Hebr. 1. 3.*

*Joseph. l. 4.  
de bello Iud.  
c. 2.*

*Plant.*

*Corn. à lap.  
in Apoc. c.  
21. & in  
Gen. c. 1.*

\* 677588.  
27700.

M

cere:

- cere: *bonum est nos hic esse?* Tam stolidus equidem repertus est vir domo genteque nobilis (nomini parcimus, inquit Drexelius) qui in convivio jam vino calefcens, ac lingua volubili & in scurrilitates soluta ausus attestari: si mihi Deus facultates meas ac voluptates ea lege transcriberet, uti in annos mille meo arbitratu liceret ijs frui, ego mehercle suum Deo cœlum non inviderem, cantarem liberè: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*” O scrofpascum! imò ô porcum! exclamat author. ” Impius ille homo Nilum suum aspexit, non cœlum. Anaxagoras Philosophus rogatus aliquando; cur viveret, respondit: ut cœlum aspiciam; tolle cœlum & nullus ero. Quam vocem à Philosophis licet summa admiratione exceptam risu profecquitur Lactantius, putans nescientem, quid diceret, in hæc verba prorupisse. Vidit hodie Petrus in monte Thabor, cœli particulam, vidit in vultu Christi solem, gustavit gloriæ frustillum, & continuo hic sistendum putat, continuo exclamat: *bonum est nos hic esse, faciamus hic tabernacula.* Sed addit Lucas: *nesciens quid diceret.* Verè nesciebat quid diceret, quia ex tam beata visione totus sui quodammodo fuerat oblitus. *Quomodo enim* (sic eum interrogat Bernardus) *bonum est nos hic esse?* de ascensio: *Imò verò molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitia plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur: ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur anima, ubi spiritus affliguntur sub sole, ubi tantum vanitas & afflictio spiritus est.* Debebat ergo dicere: si tam pulchrum, tam amplum, tam spatiosum & magnificum, est cœlum; bonum est nos ibi esse; ibi non tam oculi, quam corda nostra sint fixa, ubi vera sunt gaudia. Egregius Mundi-Mastyx Didacus Stella solebat dicere: ” si tibi, ô homo, Deus cœli pulchritudinem non ultra mediæ horæ spatium communicaret, mille mundos huic similes deberes spernere. Et meritò sanè: nam sicut ignis noster elementaris (quod communiter dicitur) respectu infernalis pictus est; ita si quæ in hoc mundo dantur gaudia, respectu cœlestium picta sunt. Pingunt quidem Astrologi etiam in sphaera cœlesti nescio quæ monstra; pingunt Tauros & Centauros, pingunt Vrsas & lupos, Leones & Dracones, Serpentes & Scorpiones, Ophjuchos, Hydras, Medusas, Asellos, Capros, Arietes, Equos, Canes: sed hæc merissima esse figmenta, merissima Poëtarum deliria quis nesciat? Similiter complures Christiani cœlum horrificis monstris undique obseptū sibi imaginantur, putant illud aditu nescio quàm difficile; sed, ut bene recentior nonnemo Ecclesiastes observavit, ” quidquid cœlorū via habet arduum, id ex nostra imaginatione magis nascitur, quàm ex ejus difficultate. Certè quotquot hætenus illud intraverunt, non per aliam iverunt viam, quàm per la-

Stella de contemptu mundi l. 3. c. 100.

Iaco. Nyss. ser. 4. De 4. Quadr.

DOMI-

## DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

## Peccator domus Diaboli.

*Revertar in domum meam.* Luc. II.

Uanquã sub prima mundi nati cunabula non minimum Saturniæ, adeoq; aureæ, felicitatis putabatur argumentum nullis domorum claudi sepimentis; nam cum

-- Saturno ad Tartara misso

Sub Iove mundus erat --

Tum primum subière domos --

hodie tamen nulla major censetur felicitas, quàm splendida ædium mole, ductisque in cœlum turribus posse includi. Deum credo humana æmulantur ingenia, qui cum longissimum & principio carens ævum sine omni domo, sine omni tugurio exegisset, tandem augustissimum sibi struxit palatium, dum in principio creavit cœlum & terram. Et illud quidem tantâ magnificentiâ, ut in materiam aliud adhibuerit nihil, quàm aurum, jaspides, sapphiros, sardonichas, chrysolithos, topazios, sardios, chalcedonios, chrysopteros, hyacinthos, amethystos, smaragdos, beryllos, & portarum magnitudinem æquantem margaritas. *Errat structura muri ejus* (inquit Domini ocellus) *ex lapide jaspide, lapide pretioso ornata, & singula porta erant ex singulis margaritis.*

Nimirum non decebat aliter tantam habitare majestatem, cui nihil dignè subservire potest, quod non sit pretiosissimū, rarissimum, pulcherrimum.

Cœli speciem in terris adæquare volentes nonnulli divinitatis affectatores ædes totas aureas & gemmeas humano majore luxu sibi fabricari fecere. Sic Homerus Alcinoi Phœacum Regis domum totam auro argento, electro, & ebore fulgentem describit.

Hom. l. 7.  
Odyss.

Sic Genialium dierum scriptor Indorum Toparcharum Regias argenteis imaginibus distinctas, & aureis columnis fultas commendat. Sic idem Arabum, & Sabæorum tecta smaragdo viridantia deprædicat. Ut nihil dicam de Cyri à Memnone fabricatâ domo illigatis auro lapidibus; nihil de Neronis palatio, uno è septenis mundi miraculis; nihil de turri Babel, Phariâ, & alijs id genus superbis molibus, quas carmine suo videtur notâsse Poëta qui cecinit:

Cœlum ipsum petimus stultitiâ --

Fabulantur Poëtæ Titanas, quod jure Cœli sibi undecunque debito exuti essent, conatu incredibile ter conatos imponere Pelio Ossam, quatenus vel sic ad superos eniterentur: à potentiore tamen Jove fulminatos & ad ima dejectos horribilium monstrorum in terram propaginem intulisse. Immanis ille Titan, & quovis Encelado procerior Damon, quæ non tentavit hactenus, ut ad Cœli avitas domos (unde

Alex. ab  
Alex. l. 5.  
c. 24.

Horat. l. 1.  
Carm. Od.

Virg. 1.  
Georg.

Ovid. 1.  
Met.

Gen. 1. 1.

Apoc. 21.



Luc. 10.

fulguris instar decidit) reciperetur, paratus non per montium præruptantùm, sed per columnas cultris novaculisque hispidas ab ipsomet Orci profundo illuc eluctari. Verùm enim verò ubi se irrevocabili banno (liceat in causã rebellionis juridicè loqui) percussum animadvertit, aliud in terris quærir cœlum, ubi hospitari possit, scilicet hominem; id quod præsentiprosequar dictione.

Philo l. de Cherub.

Ea dignitas hominis est, ut Doctor Judæus non dubitet dicere: *etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius, repente fieret, moxq; per opificum ardet in porticus, vestibula, aulas, areas, adesq; sacras impenderetur; ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri. Dignum tamen ei domicilium anima est, modò sit idonea.* Habet quidem DEVS in domo sua cœlesti mansiones plurimas, ut ipse Christus asserit: *in domo Patris mei mansiones multa sunt*; tamen, pro magnorum more Principum, voluit etiam in terris sibi esse domos, ut si interdum post meridiem orbem perambulare vellet, auræ recentis captandæ animique relaxandi gratiã, haberet quò jure posset divertere. Homo enim justus ita propriè Dei habitaculum est, ut ex sensu Theologorum, si per impossibile Deus in cœlo non esset, in anima justii esset. Proinde meritò justus à S. Bernardo appellatur *Cœlum*, quia ubi Deus ibi cœlum. Non ignorat id Spiritus Tartareus, qui ex eo quòd nullam Cœli Empyreii spem reliquam habeat, omnimodis satagit, qualiter hoc terrestre cœlum occupet, Dei que Domum suam faciat. Hic hospitari ejus sum-

Ioan. 14. 2.

ma beatitudo, summa jucunditas, summa requies; unde, quoties extra hominem degit, in statu violento est, & ut loquitur hodiernus Evangelista: *ambulat per loca arida, & inaquosa, querens requiem; & non inveniens dicit: revertar in domum meam.* Per loca arida Gregorius interpretatur justorum corda, loca, inquit, *arentia & inaquosa sunt corda justorum, qua per discipline fortitudinem ab omni carnalis concupiscentia humore siccantur.* In talibus exulat, & requiem non invenit Diabolus, quia, utpote totus siccus, ardens, & adustus ibi maximè esse amat, ubi cellaria bene plena, ubi penus, & coquina pinguis, ubi

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Virg. 7. Æneid.

ubi grandibus certatur culullis; ubi spumant pateræ, feruent lebetes, ubi tepent balnea. Sic ille Orci hospes petit ab Abrahamo vel unicum guttã, quã possit ardorem suum levare: *mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meã*; nec impetrat. Super quo patheticè ita ferè discurret prædicator Venetus. "Si omnes Beati genu flexi, etiam cum B. Virgine, coram Christo non cessarent cum lacrymis per mille annos obsecrare, ut rivulum aliquem super eum, hominem effundat; certum est, Christum id minimè facturum. Rogent denuo per totidem annos; saltem emitte amphoram aquæ super hunc miserum; neque hoc faciam respondebit. Saltem effunde calicem; neque calicem. Tandem dicant, intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret

Luc. 16. 24.

Lauredan: „ Silo. de „ divite, &amp; „ LAZARO.

geret linguam ejus; neque hoc perfvadetur facere. Tam aridus naturâ suâ Orcus est, ut nec unius guttulæ sit patiens; ex quo rectè infero, corda justorum Dæmoni infernum esse, veluti humoris expertia & arida.

Sed enim gratissimum illi è contrario Cœlum adornant, in quorum corde semper prostat labrum, & vannus aquâ plena ad lavandum. Nec miremini quòd Dæmon amet balnea, quia totus immundus, totus fordidus, totus niger est: & hinc sæpe in piscinis & lacubus conspectus. In ditione Cracoviensi, refert Cromerus, lacum quandam per amplum Tartarei Spiritus infederant; quòd cum piscandi gratiâ incolæ vicini cum vexillis, crucibus & Presbyteris subinde convenissent, primo tractu, adnitentibus Piscatoribus, tres pisciculos duntaxat, altero nil nisi rete convolutum, tertio deniq; monstrum horrendum caprino capite, oculisque flammantibus extraxere. Hoc viso territis ac diffugientibus cunctis, qui aderant, spectrum illud sub aquas denuo immerisit sese, ac toto lacu discursans terribilem edidit strepitum.

Ænigmata loqui videor; at, si ita vultis, loquar clariùs. Quisquis in libidinem quasi aqua effusus est, quisquis carnis mollitiæ liquefcit ac diffluit, quisquis Venerem meditatur, is deliciosissimum Cacodæmoni in corde suo instruit balneum. Tale instruxit puella ignoti nominis apud D. Prosperum, quam ita describit: *quadam juvencula Araba natione, ancilla Des habitum gestans, cum in balneo lavans simulacrum Veneris impudicè respiceret, ei se ipsam*

consimilans, domicilium se Diabolo prae-buit. Statim ille meatu gutturis ipsius occupans, nullum cibum, nullumq; potum traiciens, per septuaginta ferme dies jejunium sibi ex possesso vase exhibuit. Jejunare non curat Diabolus, modò vas, modò labrum, ubi lavetur, obtineat; hic totus domi suæ est, totus jucundatur & deliciatur, hoc illi loco delicatissimi cibi. Sicut enim Christus Dominus cibum suum dicebat esse, facere voluntatem Patris sui, ita Dæmon è contrario dicit: meus cibus est, ut homo non faciat voluntatem Dei sui; ut lasciviat, libidini vacet, se ipsum polluat, &c.

Cassissimus Raphaël instruens aliquando Tobiam dicebat: *audi me, & ostendam tibi quibus prevalere potest Daemonium. Hi qui Deum à se, & à domo mentis suæ excludunt, & sua libidini ita vacant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Daemonium super eos.* Quid ais ó bone Raphaël? ergone superbi, invidi, furiosi, gulosi, avari, homicidæ extrartaream potestatem erunt? Sunt equidem & isti Dæmonis, sed illi per excellentiam. Propter libidinem, inquit Episcopus Adiacensis, Saræ sponsi perierunt; propter libidinem septem Dæmonia Mariam Magdalenam occuparunt; propter libidinem S. Paulus Corinthium incestuosum Satanae tradidit: & apud D. Ambrosium Symphoriani urbis præfecti filius, quòd S. Agnetem manu contingeret, cecidit in faciem suam, & profocatus à Diabolo expiravit. Passim vulgus virum quempiam aquaticum (a) confingit, qui homines lavandi gratiâ aquas intrantes interdum pra-

Ioan. 4. 34.

Tob. 6. 16.

Fab. Justinian. in Tobia c. 6.

Ambr. ser. 90.

(a) Waserman.

Crom. l. 9. hist. Polon. anno 1278.

Gen. 49. 4.

L. de dimid. temp. c. 6.

(a) *Venerē  
fabulantur  
Poe: a nata  
ex spuma  
maris.  
in Spec. e.  
xemp.*

præfocet; quod commentum licet ferè ad pueros ab aquis deterrendos inventum putem; tamen in luxuriosis propriè verificari deprehendo; illos enim suffocari nil mirum; cum Venus (ut nōrunt docti) nil nisi spuma & aqua sit. (a) Præfocari similiter debuerat unus aliquis juvenis luxuriosus; qui, ut vetus memorat Scriptor, intentione malà intrabat lucum, ubi lenæ, & lupa latebant. Intransi occurrit Satani minitabundus: vade, inquit, vade quò te trahit tua concupiscentia, ego certè brevi meum in te jus usurpabo. Vbi interiora luci penetrasset, apparuit Christus habitu eremicolæ, filij nomine perditum compellans, requirensque quò tenderet. At ille proterva dicacitate. Tune, inquit, hominis larva meus Pater? Ego, ego, repōnit Dominus, Pater tuus; & statim ducta veste ostendit ei, ceu quondam Discipulis, manus & latus copioso cruore stillantiā; exclamat Juvenis cū Thoma: Dominus meus, & Deus meus. Post hæc ait illi Salvator, i nunc & peccata tua sine mora per confessionem expia, is enim, qui tibi ante lucum occurrit, Dæmon Tartareus est, teque expectat, ut frangat gulam. Qui cū exisset de luco cum proposito efficaci confitendi, jam Diabolo prorsus ignotus, liberè quarit; quem tu hic opperiris? Respondet Dæmon: certè tu ille non es. Prior quidem juvenis, qui paulò antè lucum intrarat, totus noster erat, mihiq̄ data fuit potestas in eum; tu verò toto Orco diversus es.

Sed jam contraria contrarijs opponamus. Humore oblectatur Dæmon,

mon; fumo & arefactis pellitur. Detexit hoc antidotum idem supra citatus è cœlo Medicus, dum de immani illo pisce, qui Tobiam devorare parabat, cor & jecur eximi atque asservari jussit, rogatusque vim eorum, respondit: *cordis particulam si super carbones* Tob. 6. 8. *ponas, fumus ejus extricat omne genus Demoniū sive a viro, sive a muliere.* Quod & factum; nam ubi Tobias Saræ matrimonio junctus est, primà statim jugali nocte protulit de cassidili suo *partem jecoris, posuitq̄, eam super carbones vivos: & tunc Dæmonium continuò inde fugit, quod apprehendens Angelus: religavit in deserto superioris Egypti, ne posthac rediret.*

Disceptent hîc ut volunt interpretes; naturaline an supernaturali virtute hæc gesta sint, fueritne fumus iste præcisè signum expulsionis Dæmonis, an physicè in eam concurrerit: ego cū Serrario nostro duas illius significaciones noto. Prima est significatio Passionis Domini. Ita docet S. Prosper. *Mysticum, inquit, actionis hoc est, quòd ex interioribus piscis Dæmon fugatus est, Hoc agit Piscis magnus ex passione sua Christus.* Et postea. *ΙΧΘΥΣ Latine piscem de Christo majores nostri interpretati sunt ex Sibyllinis versibus id colligentes, quòd est Ιησους Χριστος Θεου Ηος Σωτηρ Ιησους Christus Dei Filius Salvator; piscis in sua passione decoctus, è cujus interioribus remedijs quotidie illuminamur & pascimur.*

Petrus Boystuans scribit se interfuisse anatomie quorundam, quos constabat præ amore defecisse: erant ipsis viscera retracta, cor omnino alteratum,

Tob. 6. 8.

Tob. 8. 2.

Serrar. in  
Tob. c. 8. q. 2.Prosper. l.  
de promiss.  
& predic.  
p. 2. c. 30.Boystu l. 3.  
theatri.

raturum, jecur fuliginosum, pulmones adusti. Crediderim, ait, eorum animos coctos, & tostos: unde? ab aliquo igne dubio procul. Is autem alius non fuit præter amorem; amor enim, ut Græcus canit Poëta, *vel Lyparæo sepe Vulcano flammam ardentiorum excitat.* Clamat Christus in passione omnia sua interiora combusta, & arefacta: *arnit*

Theocrit.  
Idyll. 2.

Psal. 21. 16.

Ioan. 13.

*tanquam testa virtus mea.* Quis eum assavit? utique carbones vivi amoris, quo cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Mox ergo ut nidorem ejus sensit Dæmon, continuo quasi mortuus cecidit, uti aliquando coram S. Edmundo, à quo cum jacens adjuraretur per asperionem sanguinis & passionem Christi, diceret, per quid illi plurimum nocere posset; respondit: per illud quod nominasti.

Altera fumi illius significatio est pœnitentia. Per hanc optimè domus interna exiccatur, cor salubriter conteritur, interiora in cinerem & fenum rediguntur, ideoque primo statim pœnitentia die cineres capiti aspergimus, quia pœnitentia nunquam est sine cinere. Hinc etiam David pœnitens *cinerem tanquam panem manducabat.*

Pœnitentia sunt illi carbones quibus in hymno Sabbatino suos aduri postulat Ecclesia:

*Lumbos jecurq; morbidum,  
Flammis adure congruis.*

Adurite itaque adurite nunc, si sapitis, interiora vestra, suffumigate domum vestram tam salubri suffimento, exiccate quidquid humoris intus est; & nolite ultra, per salutem animæ vestræ,

Eph. 4. 27.

*nolite locum dare Diabolo.* Domus S. Euseb. Nierenberg de mirac. terra S. c. 25. Anna, in qua B. Virgo concepta est, nullum libidinosum, imò nec ullum uxoratum tolerat. Domus S. Thomæ Apostoli nullum infidelem; nam quicumque ejusmodi inhabitare eas tentarunt, atroci obitu è vivis erepti leguntur. In domum vestram per S. Communionem toties intrat Spiritus puritatis; ah! quomodo pati potestis ut tam sanctum habitaculum immundissimus Spiritus conspurcet! *Neq; in domo viri privati ferret quis porcum luto volutatum,* ait Chrysoſtomus. Et feremus ac patiemur tot ab Orco porcos in conclave cœlestis Regis admitti? Non mirarer, si Deus in tam pollutam domum statim ignes, & flammam è cœlo jaceret; ut Hispanum quendam fecisse narrat Gvicciardinus. Dux Borbonij, inquit, à Rege Galliarum transierat ad Imperatorem Carolum V. unde quasi rebellis suo Principi odiosus erat etiam ipsis Hispanis. Postulavit Imperator à quodam Hispano Nobili ex suis, ut Duci suum commodaret palatium. Cui ille: commodabo, inquit, quia majestas tua id petit; sed statim ac infamis ille inde exierit, ignem in ipsum injiciam utpote contaminatum ab habitatione scelesti. Romani flagitiosorum domos solebant evertere. Sic Cassij & M. Manlij Capitolini domus ob affectati Regni crimen everte leguntur; similiter M. Flacci, qui cum C. Graccho seditionem molitus fuerat. Domus verò Marcelli cujusdam nequam, qui in lupanaribus & lustris vitam egerat, propter atrocitiam sordesc; vitæ in macellum cessit. Quam

Chrysoſto:  
quòd ubi i-  
ra, &c.

Gvicciard:  
l. 16.

V. Alex. ab  
Alex. l. 3.  
c. 23.

Quam multorum hodie domus ardere & everti deberent, si semper ejusmodi in Deo zelus esset! Quam saepe Sodomæ & Gommorrhæ luderetur tragædia! Et lusa quidem est aliquando ( licet specie nonnihil diversâ ) in civitate Metensi, quæ speciali permisso Dei ab Hunnis, propter incolarum scelera, tota in cineres adeo redacta est, ut nullus in ea locus inustus remaneret, præter Oratorium S. Stephani Levitæ & Protomartyris; de quo ita Gregorius Turonensis: *ajunt, inquit, prius quam hi hostes venissent, virum fidelem in somnis vidisse, cum SS. Apostolis Petro & Paulo quasi conferentem Beatum Stephanum Levitam de hoc incendio ac dicentem: oro Domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Metensem urbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est, in quo parvitiis meæ pignora continentur; sed potius sentiant populi aliquid me posse cum Domino. Quod si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi civitas tradatur incendio, saltem vel hoc Oratorium non cremetur. Cui illi ajunt: vade in pace dilectissime Frater: Oratorium tuum tantum carebit incendio; pro*

*Greg. Turon. lib. 2. hist. Franc. c. 6.*

*urbe verò non obtinebimus, quia Domini-  
ca sanctionis super eam sententia jam  
processit, invaluit enim peccatum populi,  
& clamor malitiæ eorum ascendit coram  
Deo, ideo civitas hæc cremabitur. Sed  
non si omnem è coelo ignem super u-  
nam Diaboli domum, hoc est super  
hominem peccato mortali pollutum,  
demittat Deus, satis condignum intu-  
lerit supplicium; æternum eam ardere  
oportet, ut pro merito suo uratur,  
quanquam ne sic condignè secundum  
Theologos. O utinam hæc frequen-  
tius cogitarem, & specularerem,  
quàm mundam animæ nostræ domum  
servare studeremus! Religiosus aliquis,  
apud Ludovicum Granatensem, ut  
sententiæ cujusdam præstantiam & u-  
tilitatem commendaret, solebat dice-  
re; velle se integrum librum conficere,  
in cujus paginis omnibus aliud scribe-  
ret nihil, quàm illam sententiam: at  
longè meliùs fieret, ait Vir laureâ di-  
gnus \* si ex universis libris eraderen-  
tur omnia, quæ in eis scripta sunt & *Laureâ  
filio. rer.  
tit. peccat.*  
hæc una ubique inscriberetur gnome: *tit. peccat.*  
*Culpa mortalis tanta est, ut mereatur  
æternam combustionem.**



DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

DEVS panibus; Mundus suos carnibus pascit.

Accipit IESVS panes. Ioann:6.



Uam verum sit illud Philo-  
sophorum: *qui dat esse, dat consequentia ad esse*, satis abundeque pro-

bat amplissimæ rerum Vniuersita-  
tis unanimes autoritas. Videmus enim creaturarum cuique à liberali Pa-  
rente natura ita liberaliter provisum,  
ut quo conservetur, minimè laboret.

Math. 6. *Lilia non laborant, neq; nent, & tamen Salomone ipso augustius vestiuntur.*

Luc. 12. *Corvis non est cellarium, neq; horreum; & tamen lautè epulantur. Passeres non seminant, & granis vescuntur; pecora cocos & focos non habent, & mensas inveniunt. Solus homo viduum suum multo sudore mercatur,*

Gen. 3. 19. *cui uni dictum: in sudore vultus tui vesceris pane: non illi per ventos assa columba, ut hirundini musca venit, non mensæ cibus instructæ obviant, quales Brachman aliquis Jarchas Regi suo obviare docuit: (a) si vivere vult, terram colat necesse est, excultæ sementem injiciat, natas inde fruges metat, demessas tritura, post trituram mola, ac demum furno, ignique subijciat.*

(a) Philost. *Apollon. l. 3. c. 8.* *Tantæ molis est vescum conficere panem. Est panis, ut loquitur Sapiens, initium vitæ hominis; vel, ut Tigurina vertit, summa vitæ humana. Alij ex Græco α'ρχη Principatus, primas tenēs.*

Eccli 29. 31 *Moyse baculum vocat; (postquam con-*

*fregero baculum panis vestri) quia illi tanquã baculo vita hominis innicitur.*

Hinc innato quodam appetitu vel ab ipsis infantibus expetitur. Hieronymus enim cum Origene experientiã compertum testantur infantem necdũ à propriã nutrice fari doctum primam vocem Hebræam *לחם lochem*, quod est panis (an casu, an aliunde auditam, hic non quæro) pronunciaffe.

Nonnulli per panem, ipsam vitam, intelligunt, dum impium illud Judæorum de Christo anigma: *mittamus lignum in panem ejus*, sic explicant: *duro & acerbo crucis ligno illius vitam opprimamus.* Ipse quoque Dominus panem vitam, sese nuncupat; *ego*, inquit *sum panis vita.* Nihil ergo miremini in hodiernum tam prodigiosum convivium carnes adhibitas non esse, utpote Autori vitæ summè exosas, quia mortis sunt symbolum; quod præsentis dictione illustrabo, ubi ostendero Deum panibus, mundum verò carnibus vivas suos pascere.

Posteaquam Divinus Plastes formatis è limo Protoparentibus inspirasset spiraculum vitæ, primam statim curam in providendo illis victu posuit, dicens: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna que habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.*

Hierem. 11. 19.  
Cresoll. anthol. c. 12. Sect: 7.  
Ioann. 6.

Gen. 1. 29.

N

EX

Ex quo Interpretes communiter colligunt, homines usque ad diluuium solo pane, herbisque victitasse, & idcirco vitam ad nongentos & amplius annos prorogasse. Sic canit Boëtius.

*l. 2. de cōsol.  
Metro 5.*

*Felix nimium prior etas  
Contenta fidelibus arvis.*

Et Poëta Ethnicus.

*Ovid. l. 15.  
Met.*

*At vetus illa etas non polluit ora  
cruore;*

*Tunc & aves ruita movère per aëra  
pennas,*

*Et lepus impavidus medijs errabat  
in agris.*

*Gen. 9. 3.*

Post diluuium verò licet concesserit Deus Noë, ejusque posteris esum carni, tamen non ut carnes manducari voluit, sed ut olera, siquidem adjecit: *quasi olera virentia, tradidi vobis omnia.* Super quæ verba ita D. Ambrosius: *utantur, qui utuntur carne tanquam ole-ribus, non ad distensionem nec ad arvinam corporis, quam epula facere consueverunt.* Et ceu periculum aliquod in carnibus lateret, prius eas sibi offerri, ac immolari voluit, ut securè, inquit Chryso-stomus, ijs homo uti posset, utpote quæ jam Deo oblata, litata, & sanctificata essent. Multos legimus à Deo miraculosè pastos, rarè tamen alio cibo, quàm pane. Manna, quo Deus pavit Judæos in deserto, habebat saporem *quasi panis oleati*, inquit Scriptura. Et quamvis ad murmur eorum subinde carnes pluerit, tamen *dum illa adhuc essent in ore, ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plagâ magnâ nimis.* Eliam Thesbitem ad mortem lassum coelitus missus panis subeineri-

*Num. 11. 8.*

cius ad quadraginta dies confortavit. Paulum primum Eremitam jubente, Deo sexaginta annis dimidio panis fragmento corvus sustentavit. Centenis S. Dominici Fratribus Angeli candidissimos panes ad mensam ministrarunt. Lubet factum audire. Cùm Romæ, ut refert Surius, apud S. Sixtum centum Fratres cum S. Dominico sub Evangelica degerent paupertate, die quodam domestica vacante, penu duo ex illis ad corrogandam vicatim alimoniam ablegantur. Cùmque à mane usque ad tertiam obeundo nihil corrogassent, jam domum revertentibus occurrit muliercula, quæ panem ultrò obtrusit, dicens: nolim omnino vacui redeatis. Pane accepto è vestigio pauper adest, & ipse stipem à Fratribus obnixè efflagitans. Cùmque hi necessitatem propriam, prætenderent, & ille nihilominus instaret, hoc quod habebant, unum suæ famis obsonium, elargiuntur. Redeuntibus factus obvius Dominicus & per revelationem facti jam gnarus; nihilne, inquit, affertis Filij? Illi rem ut evenerat, exponunt. Tum vir Sanctus hilari vultu: rectè omnino actum est; Angelus is fuit, & Dominus pascet servos suos. Eamus oratum. Egressus ab Ecclesia jussit Fratres ad prandium adesse. Cùmque nonnulli hæsitarent, quòd scirent deesse alimoniam, tandem omnibus signo dato congregatis, Vir Sanctus mensam benedicit. Assidetur; lectori pro more legendi negotium datur, Dominicus interim junctis manibus in oratione persistit. Et ecce duo formosissimi adolescentes triclinium ingressi

*Surius in  
ejus vita 4.  
Aug.*

gressu panes candidissimos singulis singulos ab infimis exordiēdo apponunt, quo facto statim se conspectui omnium subducunt. Convivæ nunquam se tam lautè pransos testati sunt. Quid quòd nec ipsi cœlites lautius epulantur, quàm in pane, ut ex ipsis Christi verbis collegit quidam ejus commensalis dum de cœlestibus epulis differenti epiphonematically sic acclamavit: *beatus qui manducabit panem in Regno Dei.* Istanc cœli cupediæ? ubi aves Phasiacæ? ubi earum cerebella? ubi linguæ phœnicopterum? ubi attagen? ubi perdix? ubi capus? Si solo apud superos vivitur pane; melius est nobis in terra sedere super ollas carniū; *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Sed enim quidquid occlamet gula, manet verissimum axioma medicorum *diversitate ciborum nihil nocentius.* Nam, ut canit Satyricus,

- - simul assis.

*Miscueris elixa, simul conchyliat urdis,*

*Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum*

*Lenta feret pituita, &c.*

adeoque certissimum & infallibilem morbum; nulla quippe potior causa est, ut docent Physiologi, cur homines post diluviū brevioris sint vitæ, quàm quòd nimiã ciborum varietate pugnantes qualitates generent, & multum de facultatibus naturalibus immnuant. Confirmat hoc ipsum Sapiens dum ait: *in multis escis erit infirmitas,* vel, ut Syrus vertit; *præ multitudi- ne cibi fit homo valetudinarius, & qui multus est in comedendo, infirmatur.* Vnde enim

podagra? quærit Chyso- stomus; unde *pendula rigidaq; corpora? nonne ex modicis cibis?* In cœlo nullum unquam audivimus infirmatum; procul enim ab illa patria morbus, procul ægritudo, procul dolor, teste Domini oculo. Cur ita? Quia uti dictum, omnes, etiam Angeli, non aliud comedunt, quàm panem.

Per panem potest intelligi, primò ipse Deus. Hunc intellexit S. Augustinus in illud Pharisæi supra: *beatus qui manducabit panem in Regno Dei.* Quasi, inquit, *inlonginquum suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat.* Quis est panis de Regno Dei, nisi qui dicit: *ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi?* Jam si comestio alia est oris, alia sensuum, & mentis (dicere enim solemus non posse nos satiari pulchra aliqua lectio- ne, pulchro conceptu, pulchra dictio- ne, pulchra imagine, aspectu amici) ni- hil aliud erit panem in cœlo comede- re, quàm Deum videre. Hujus visio sola & unica mentes Beatorum ita fatiat, ut non esuriant, neq; sitiant amplius; quemadmodum sibi ipsi vaticinabatur David: *satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et paulò antè citatus Augustinus in illud Psalmi 102. *qui satiat.* (DEVS) *in bonis desiderium tuum,* sic eum indu- cit loquentem: *non satiabor de mortali- bus, non satiabor de temporalibus; aliquid eternum donet Deus, aliquid æternum concedat Deus.* Deo mihi tres panes. Quales amabò panes? *Verbum suum mihi det. Deum apud Deum. & se Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* Novi bonum ejus quod desiderem, novi quid mihi sufficiat, video hoc in Phi'ippo:

N 2

Osten-

Luc. 14.

Num. 21.5.

Horat. 2. serm. sat. 2.

Eccl. 37.33.

Apoc. 21. 4.

Aug. 1. de verb. Dom. secundum Lucã, ser. 33.

Apoc. 7.6.1

Psal. 16.15. Aug. in Psalm. 102.



*ostende, inquit, nobis Patrem, & sufficit nobis. Solum Patrem desiderabat; ostendit Dominus tres panes desiderandos.*

Secundò per panem cœli possunt intelligi divinæ gratiæ, & auxilia, vocationes, illustrationes, & his similia, quæ sunt ipsius Dei veluti particula & quas ipse Deus nobis in hac mortali vita degentibus in os ultrò intrudit, ut nos in vitam æternam nutriat, nutrices imitans, quæ panem dentibus commolitur & præmansum in nodum colligantes ori infantis solent imponere, ad sugendū. Apud Veteres duo maximè insignia amicitia habebantur symbola: *Panis & Sal.* Sic Macedones cum amicitia fœdus inibant, panem gladio divisum utrinque gustabant. Sic Alexander cum Rhoxanem in conjugem ducere vellet, panem sibi afferri iussit, quem ferro dissectum cum sponsa unà libavit. Sic Cyrus junior honoris causâ à mensa sua mittere solebat amicis demorsos panes, ut iisdem vescerentur. Et etiamnum hodie Moschorum Dux eo maximè suam erga aliquem benevolentiam atque gratiam testatur, si illi in convivio de sua mensa panem & salem mittat. Quo honore se (cum primùm Maximiliani Imperatoris, ac rursum Ferdinandi ejus nepotis legatione fungeretur) à Basilio affectum scribit Sigismundus Baro, atque hac formula ad mensam invitatum: *Sigismunde, comedas sal & panem nostrum nobiscum.* Potestne Deus majorem erga nos testari benevolentiam, ac dum nobis cœleste aliquod lumen, piam aliquam inspirationem, consolationem, rerum spiritualium saporem, sensibi-

lem devotionem, in orando gustum, in communicando dulcedinem, in exercitio virtutum suavitatem, vocationem ad statum perfectiorem immittit? Hoc est verè panem de mensa sua mittere, hoc est cœlestium deliciarum frustilla porrigere. Et quamvis apud Ethnicos ignominia nota fuerit frustillis panis impeti, ut Claudio Imperatori accidisse scribit Sabellicus, qui insigni quadam annonæ caritate dum in publicum prodiret, à populo clamore, & convitijs exceptus fragminibusque panis ita impetitus fuit, ut fugienti similis per posticum sese in palatium recipere debuerit; quamvis, inquam, apud Barbaros Ethnicos hæc ignominiosa; à Deo certè sic impeti non summi honoris & amoris signum esse non potest; sunt enim hi *jactus* quales *amantium*, dum sese invicem fustulis, saccharo, fructuum ciborumque fragmentis inter prandendum gratiosè impetunt.

Attamen nihil ista ad multorum palatum, qui cum Judæis suspirant ollas Ægypti, & identidem occlamant: *quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Carnes Ægyptiacas intelligo mundi voluptates, quæ quidem initio sapidæ & gratæ videntur; sed facillè iterum per nares exeunt, & vertuntur in nauseam uti contigit populo carnivoro, cui dictum est: *dabit vobis Dominus carnes, donec exeant per nares vestras, & vertantur in nauseam.* Sic eas citò nauseavit, qui dicebat in corde suo: *vadam, & affluam delicijs, & fruor bonis.* Vix enim bene gustaverat, statim ingenuè confitetur: *vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Pulchrè magnus Gregorius: *hoc dista-*

*Curt. l. 8.*

*Xenoph. in anab. 2.*

*Sigism. in comment. Moscho.*

*Sabell. l. 1. cap. 7.*

*Num. 11. 5.*

*Num. 11. 20.*

*Eccle. 1.*

Greg. hom. 30, in Evāg.

distare fratres charissimi inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoq; à comedente amplius esurimur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. Habet hoc præ omnibus escis mirabile panis, quod licet quotidie comestus nunquā desipiat, nunquam fastidiatur: secus est in carnibus, quæ uti facillimè corrumpuntur, ita si modicum fætere incipiunt, à stomacho & palato fastidiuntur. Sic B. Jacoponus, ut orexin, quam erga bubulam habebat, comesceret, frustū ejus comparavit, ac in cubiculo servavit, donec putresceret, horrendumque fœteret, quam deinde olfaciebat, & bassabatur.

Ipse nonnullos novi, qui ex solo cadaueris aspectu & olfactu per dies aliquot carnes gustare non poterant. Bene ergo dixit Rabbiorum nonnemo: qui carnem multiplicat, vermes multiplicat. Caro enim quid aliud, quàm esca vermium, utpote res mortua & cadaverosa? Sed non minùs pronuntiare licebit: qui voluptates, qui delicias multiplicat, vermes & putredinem multiplicat, (deliciae enim, ait Nazianzenus Orat: 38. non sunt aliud, quàm pretiosum sterces) nec vermes tantum, sed ipsam mortem, & quod morte pejus, infernum.

Joā. Cureus in annal.

Siles. 1342.

Nullum facillè legimus esu panis mortuum, carnibus quàm plurimos.

Boleslaus Brigenis Dux cum ferijs Pachelibus unā mensā tredecim gallinæcos absumpisset, mox obiit. Severus Imperator Eboraci in Britannia cum membrorum omnium, & maximè pedum dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum plurimæ carnis sumpsit, quem cum digerere non posset, cruditate periit. Domitius Afer Fabij Quintilij Præceptor, Neronis Principatu, cibi & carniū redundantia in cœna expiravit. Childericum Saxonem, cum aliquando ad ambas usque aures cibo se ingurgitasset, mortuum in lecto repertum Gregorius Turonensis autor est. Quid Epulo Evangelicus? Nonne epulabatur quotidie splendide? & post hæc sepultus est in inferno. Fuerat nempe ex numero eorum de quibus dicitur: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Cum Laurentio Medicis in fatali lecto decumbenti cibi afferrentur, & eos porrigens rogaret: ut sapiunt cibi isti? respondit ille: ut solent morienti. O quàm verè quilibet mundi conviva idem dicere potest! si enim rogetur in fine vitæ: ut ipsi sapiant convivia, nocturnæ grassationes, choreæ, symposia, oscula, amplexus, & similia; utique dicet: ut solent morienti. Tum videbit se meras mortes ex olla mundi comedisse, ut illi, qui clamabant: mors in olla. Et sicut Jonathas lamentabatur: gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. Ita hic lamentabitur: gustans gustavi paululum carnis, & ecce æternum morior.

Sabell. l. 2.

Ennea. 7.

Luc. 16. 19.

Job. 21. 13.

Aug. Politian.

4. Reg. 4.

1. Reg. 14. 43.

DOMI-

## DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

ALLOCVTIO II.

Cantus *Miserere*, *Coelitibus Latere*.*Latere Hierusalem*. Introit: *Missæ*.*Psalm. 136.*

Ucusq; in continuo luctu versati cum captivis illis suspendimus organa nostra, hucusque lyras & barbita silere iussimus, ipsosque templi parietes, ac aras lugere docuimus, dum eis pullum, lugubremque vestitum superinduimus: at verò nescio quæ insolita hodie in nobis exurgat jucunditas; nescio quæ tanta gaudiorum sese obijciat materia, ut etiam præsentis diei à *lætitia* nomen indere placuerit, & in vicem *Miserere* *Kyrie Paschale* passim sonuerit. An fortè quia medium Quadragesimæ nuper confecimus æquor, & jam paulatim ad portum appellere, festaque Paschalia veluti per tubum oticum eminus prospectare incipimus? Hoc equidem solatium est eorum, quibus salubris juniorum rigor nimium videtur rigidus, quibus salpa stomachum gravat, quibus haleces sitim nimiam creant, & ut cum melleo Doctore loquar, quorum *pisces complexionem penitus repugnant*. Sed ò nimis carnale solatium, quia in carniem esu fundatum! Ad Ægyptiacas ollas ejusmodi ablegarem, nisi aliquid debilitati humanæ carniem alioqui per se cupidæ dandum putarem. Ego sanè dum præsentis naturam temporis accuratius exploro, animadverto

illud vel maximè lacrymis & fletibus dedicandum esse; nunc enim in proximo est *dies Domini*; jam modò funes & flagra in corpus ejus parari, jam ligna & fustes tanquam in latronem expediri, jam dextræ acui in alapas, linguæ in fannas, jam spinæ in ferta plecti, jam ferrum in clavos cudi, jam trabes in crucem ascari incipiunt, denique *propè est Dominus, ut veniat dies ejus*; dies de *Isai. 14. 1.* qua cecinit Propheta: *dies Domini ista tenebra & non lux*. Cui itaque latari, cui in risus & gaudia solvi lubebit, quando ipse Mundi ocellus Sol resolvitur in lacrymas, quando mærens expallescit Luna, rupes dolore scinduntur, quando terra ipsa aliàs immobilis commiseratione movetur. Ad nœnias itaque vos provoco AA. ab intempestiva lætitia ad congruam tristitiam reduco. Et ne aliquid novi inducere videar, ad usitatum, & quotidie cantari solitum *Miserere* (non obstante Dominica *Latere*) invito.

Musurgæ periti diu potissimum, cantus genera adinvenere, quorum alterum *molle*, alterum *durum* appellant. Cantum mollem vocant, qui mollitie soni auribus lenocinatur; durum verò, qui quandam cum arte asperitatem conjunctam habet, & hic plerumque multis notatur crucialis ✱. Si *Miserere*

hodi.

I.  
Pœnitentiæ  
est Cantus  
durus.

hodierni, ad quod vos invitavi, ante omnia qualitatem nosse cupitis, ajo illud constare cantu duro, & quidem ita duro, ut nulla omnino nota suâ careat cruculâ.



Mise re re

Allegoricè vobis loqui videor, sensum tamen planum accipite. Dicere nil aliud volebam, quàm pœnitentiam nostram, (cui his potissimùm postremis jejuniis diebus studere, eamque verbis & factis occinere debemus) ejusmodi esse oportere, quæ verè dura sit, nullumque *b. molle*, id est nullum aliquod blandæ voluptatulæ admittat commercium. Est enim hæc germanæ pœnitentiæ natura, ut nequaquam Sybaritarum plumas, aut Smyndiridis rosas suum admittat in lectum; sed in roborea cruce, truncoque quopiam fagino aut affere nudo amet cubare. Declaravit hoc perbellè è pœnitentiù choro cantor non postremus ille Abbas, qui Eremiti candidatos, priusquam pulla super indueret veste, in celsi montis verticem educere in more habebat, inde non ut tartareus ille Impostor Regna eis nescio quæ phanatica, sed meras merissimas cruces animo objectabat, monens, persuasum haberent, tot sibi in asceterio portandas cruces, quocumque quaquaversum patens oculis tellus apta foret germinare. Si alacres ad tantum pondus ferendum animos ostentabant, in Capellam suam recipiebat; sin minùs, tanquam futuros chori turbatores quantocyus exturbabat. Et

sanè quàm dura fuerit priscorum anachoretarum vita, fidem superare putarem, ni tot testimonijs, scriptisque voluminibus rem satis haberem testatam. Cibus illis quotidianus fuit panis durus, aut duræ radices; petra hospitium; grabatus lapis; amictus duri cortices, & vimina, qualis Paulo: verbo omnia illis erant dura & aspera; quod & hodie apud nostrates Religiosos conspiciere est, de quibus ita religiosissimus vir scribit: *multum laborant, pauperissime comedunt, grosse vestiuntur, &c.* Hoc est AA. durum illud *Miserere*; in sacco & cilicio optimè canitur, tunc ne pectoris, ictu flagrorum hic optimè tactus datur; decussatæ in crucem, manus, prostratum solo corpus, ducti ex imo pectore gemitus, gratissimam, hic Deo & Angelis faciunt harmoniam. Habet enim hoc *durus cantus* gratiæ, ut licet duritiem præferat, tamen illam *cruculis* suis ita temperat, ut non tantum aures non offendat, sed summe oblectet. Oblectatur pœnitentiâ nostrâ imprimis Deus, oblectantur Angeli, quibus lacrymæ nostræ sunt vinum, gemitus ambrosia. Audite Dominum ipsum dicentem: *majus erit gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Quid ita? nonne & justis suaviter modulatur, cum *concentu virtutum* (quibus ipsi pleni agunt) *nihil sit suavius?* Nihilominus: *majus erit gaudium super uno peccatore.* Quidquid sit, ait Origenes: *latantur Angeli ad quorum festivitatem accedunt conversi.* Quasi dixisset: semper Dominicam *Letare* celebrant, quoties peccatorem aliquem.

Thō. Kép:  
lib: 1. de  
imit. Chri-  
sti c. 25.

Luc. 15.

Cicero.

Mise-

Poenitētia *Miserere* canentem inaudiunt. A ve-  
 est *cantus* ro non abluero, si Poenitentiam can-  
*Tarantula*, tum *Tarantula* dixero. Bestiolæ genus  
 est in Apulia ex genere aranearum, tam  
 potentis & simul mirandi veneni, ut  
 si quispiam illo affectus fuerit, aliter  
 sanari non possit, nisi per cantum. Rem-  
 à se observatam ita describit Scriptor  
 genialis: cum per Apuliæ campos fer-  
 ventissimos, ubi hoc malum peculiare  
 existit, sub cane iter faceremus, undi-  
 que oppida & vici tympanis, fistulis &  
 tibijs circumsonabant. Cujus rei cau-  
 sam quærentibus nobis, relatum est,  
 Tarantulæ morbo affectos undique  
 per oppida curari. Cumque ejus rei  
 gratiâ in pagum quendam divertere-  
 mus, invenimus adolescentem morbo  
 ejusmodi affectum, qui velut repenti-  
 no furore ictus & mente abalienatus  
 corporis motu & manuum pedumque  
 gestibus ad tympanum psallebat non  
 inconcinnè, utque vehementius mo-  
 dos acciperet, quasi illo pulsu demul-  
 ceri animus & leniri dolor videretur,  
 sensim & placidè aures tympano ad-  
 movere; mox caput, manus & pedes  
 crebro motu concutere, & demum in  
 saltum se attollere videbamus. Quæ-  
 res, cum ludo & risu prorsus digna visa  
 foret, interim is, qui tympanum pul-  
 sabat, sonitu parumper intermisso,  
 pausam fecit. Atque illum morbo af-  
 fectum, ubi præsentio illa quievit, ve-  
 lut attonitum stupenti que similem re-  
 pente animo linqui & omni sensu de-  
 stitui cernimus. Rursus resumpto tym-  
 pano, ubi primum modulos audivit,  
 pristinas illum vires resumere, & a-  
 crius in choreas insurgere spectaba-

mus. Creditum est, quod à vero non  
 abhorret, vim illam veneni virulento  
 morfu & sanie conceptam harmoniâ  
 & vocum concentu per totum corpus  
 diffundi, atque inde fato nescio quo di-  
 labi & exinaniri. Hæc ille.

Quæ virulentior Tarantula, quæ pe-  
 stilentior bestiola, quàm peccatum,  
 cujus morsus hominibus adeo letifer  
 est, ut nulla radix, nulla in toto mun-  
 do herba illi mederi possit. Unicum  
 medium est cantus *Miserere*; verè can-  
 tus *Tarantula*, quem præ reliquis opti-  
 mè cecinit David, posteaquam letalem  
 ab hac bestia ictum accepisset. Opplo-  
 rat solummodò: *peccavi. Miserere*  
*mei Deus*; & ecce sanitatem extemplo  
 recipit; statim audit à Propheta abso-  
 lutionis formam: *Dominus quoque*  
*transulit peccatum tuum.* Quisquis  
 itaque vestrum pari affectus est morfu,  
 ne quæso in suo diu perseveret valne-  
 re; sed quam primum in similes erum-  
 pat cantus, dicat & ipse: *peccavi; ab-*  
*doleo!*

II. Altera cantus istius qualitas est,  
 quod nullâ triplâ, nullis (liceat in re,  
 musica musico verbo uti) *collaturis*,  
 nullis caudatis, & bicaudatis constare  
 debeat notis; hæc enim lætis, quàm  
 mæstis textibus meliùs conveniunt.  
 Scire vultis quis nobis mæstos hic sup-  
 ponat & subministret textus? Primò  
 ipse JESVS patiens ejusque dolores,  
 quos Sancta Mater Ecclesia, hisce po-  
 tissimum Quadragesimæ postremis die-  
 bus à nobis recoli cupit. Nunc enim  
 identidem ingeminat: *hoc sentite in va-*  
*bis quod est in Christo IESU.* Et: *Chri-*  
*ste in carne passus est vos eadem cogitatione*  
*arma-*

2. Reg. 12. 13

II. Est cantus  
sine triplâ  
& caudatis  
notis.

Philip. 2. 5.

1. Petr. 4. 13.

armamini. Et verò quis adeo saxei peccatoris erit, cui diebus istis lubeat ridere, quando saxa ipsa plorant? cui lubebit tripudiare & saltare, quando tota rerum *Univerſitas* in luctu est? Et quid plura? flet, lacrymatur ipse *Jesvs* noſter, clamat præ vehementia dolorum; *Eli*: clamat; *ſitio*: & ego adhuc ludam deludamque lacrymas ejus? Ita se ipsum increpabat mellifluus Doctor. *Ludebam ego, inquit, foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me mortis ſententia ferebatur. Audyt hoc unigenitus ejus; & ecce prodit ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus eſſet ſervulus ejus. Adhucne ludam, & deludam lacrymas ejus?* O utinam plures *Bernardi* eſſemus! utinam unusquisque noſtrum tam ſalubris ſui admonitor eſſet! Utinam plures ſibi ipsis ita occineret: Dominus meus *Jesvs* mei cauſa patitur, mei cauſa lacrymas & ſanguinem fundit; & ego adhuc circuibò civitatem, curram per vicos & plateas, quarens non quem, ſed quam peſſimè diligit anima mea? O utinam in plurium auribus ſapiùs ſonaret illud horridum, multiſque notum carmen: *Vdo Vdo ceſſa a ludo!* Ceſſa à ludo vel jam ſaltem infelix homo, quando Deum tuum pro te viſdes ita illuſum. Religioſiſſimus Vir *Ludovicus* à *Granata*, cum vità eſſet integer, ſolebat tamen ex affectu *Chriſti* paſſi frequenter flagris in ſe acerbè animadvertere, & ſuum tergum innocenti purpurâ pingere, ut non cubiculum modò, ſed & via ipſa, propter quam degebat, validis icibus reſonaret. Ergo dum aliquando nocte concu-

bia in hoc voluntario ſupplicio diſtinetur, fortè illac tranſibant *Juvenes* duo *Veneri* devotam noctem male perdituri, quos auditus flagellorum crepitus tacitos advertit. Subſiſtunt, auremq; propiùs admovent; nec mora; ſubito animos ſalutaris pudor voluptati perſtagitia obſequi, ſe maximorum criminum reos, cum interim viri innocentes in ſe adeo deſævirent. Adnotatà igitur diligenter fenestrà, ex qua ſonitus acciderat ſibi ſalutaris, pedem referunt, certi primà ſtatim luce apud eum hominem peccatorum conſcientiam deponere, animosque arcana expiare conſeſſione: nec ſegniter executi ſunt, quod deſtinaverant. Nam ubi diluxit, datis fratrum *Evocatori* cellæ indicijs accerſiri jubent, qui eam incoleret, exceptique perhumaniter à *Granatenſi*, cujus ductu mox vitæ longè alias rationes inierunt. Potuit unius Religioſi hominis ſpontanea flagellatio tantam habere efficaciam, ut perditos juvenes retraheret à crimine; quid virtutis non debent habere innocentiffimi *Jesvs* acerbiſſima flagra, quæ virgineum illius corpus ita conſciderunt, ut à planta pedis uſq; ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas? Cur & nos non opploramus: caſtiſſima & innocentiffima *Jesvs* caro pro me ita caſtigatur, ita flagellatur, ita conſcinditur; & ego carnem meam fovebo, ego cuticulæ meæ blandiar, ego voluptati operam dabo? adhucne ludam & deludam flagella ejus ipſe mille flagellis & plagis digniſſimus. Sed heu me! doloris ipſe mihi magis *textus* & materia ſum. Audio enim ipſummet patientem *Jesvm* comminantem: *ſi in viri-*

*Iſai. 1. 6.*

O

*vir-*

*Lnc. 23.* *viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*  
*Barrad.* " Si iustitia DEI infinita pro peccatis  
*hoc loco.* ,, hominum hæc fieri permittit in filio  
 ,, charissimo: in servo nequam pro pec-  
 ,, catis proprijs ab ipsomet commissis  
 ,, quid faciet? Vbi me abscondam à facie  
 ira & indignationis ejus ut me non allidat?  
 Quo fugiam? Quò me vertam?  
 Quæ usque adeo tuta latebra, quæ protegat me,  
 donec pertranseat furor ejus?  
 Ah montes cadite super me, & colles  
*Rom. 8. 32.* operite me; quia si proprio filio non pepercit,  
 quomodo parceret mihi? Ego sum qui peccavi,  
 & malum feci;

*Virg. 9.* - - mea fraus omnis; nihil iste, nec  
*Ancid.* ausus  
 - - Nec potuit - -

*Isa. 35. 6.* sed posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Veritatem hanc ex pio S. Vincentij apologo lubet magis ediscere.

Adolescentes quatuor, inquit ille, unà convenerant, & conspiraverant, ut in una aliqua civitate furta & rapinas exercerent. Et ecce dum Vrbi appropinquare incipiunt, levatis oculis vident juvenem elegantissimum, & ut vestitus indicabat, generis nobilitate insignem è furca pendulum. Obstupescunt attoniti, gradumque sistunt. Tum è sene, qui ponè adstabat, sciscitantur; quid sibi tam miserabile vellet spectaculum. Ad hæc senecio: hic, inquit, quem intuemini adolescens, filius est Gubernatoris Vrbs hujus, filius unicus & carissimus Patri suo. Tum stupere magis Juvenes, & cur, inquit, per Deum immortalem, aut à quo ad tam

infame supplicium damnatus est? à proprio Patre, subijcit alter. Quam ob causam? Furtum fecerat famulus in domo Patris, ob idque reatum mortis incurrerat: pro famulo vadem sese obtulit hic filius, servus interim terga fugæ dedit. Pater qui iustitiæ amantissimus est, nullumque omnino crimen impunitum relinquit, apprehendit vadem, eumque hic uti videtis appendi iussit. His dictis exterriti prædones continuò animis ceciderunt, seque invicem à proposito dehortari cœperunt dicentes: terribilis est Prætor iste, non expedit nobis in hac civitate furta committere, quia si proprio filio non pepercit, quomodo parceret nobis?

Quid sub Apologi velo lateat, non dubito vos assequi. Illud breviter dico, Adamum furem illum fuisse, qui commissio in Paradyso furto à Deo fugit. Interim Vnigena æterni Patris, qui vadem & sponsorem pro famulo egit, arripitur à Patre, & carnificum potestati traditur. Quid iterum iterumque oplorare aliud licebit, quàm: si proprio filio non pepercit, quomodo parceret nobis? O venite, venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, dum planctus nostri auribus ejus grati sunt; intonemus & insonemus sæpius; peccavi, ne æternum, & nunquam finale vœ cogamur ejulare. Cantemus in hac vita (quæ mera Quadragesima est) cantemus sæpius *Miserere*, ut in Paschate, hoc est in Resurrectione, lati canamus *Alleluja*.

DOMI-

# DOMINICA PASSIONIS.

## In morte lætitia.

*Exultavit ut videret diem meum. Ioann: 8.*



**A**metſi nihil in ore hominum ſonat frequentius, quàm: **BONA DIES:** tamen ſi faſtos & diaria, quiſque ſua conſulat; non ſemel, credo, notatum iſtic atramento reperiet illud Jobi: *pereat mala dies.* Si enim grandævus Patriarcha tot prolibus, familijs & opibus, ut putabatur, felix, rogatus ab Ægypti Domino: *quot ſunt dies annorum vite tue?* reſpondere non dubitavit: *dies peregrinationis mee centum triginta annorum, parvi & mali;* quis noſtrum audebit gloriari ſe habuiſſe multos dies bonos? Bonos equidem paſſim appellamus, quibus vel lautiùs habiti, vel inſigni aliquo honore, theſauro, beneficio, aucti ſumus: at ſi *omnis terrena poſſeſſio*, docente Auguſtino, nil niſi *ſupplicium eſt*, ut in ipſis bonis crucietur animus, cui vituit, qui tanta largitur: ſi in puncto ad inferna *deſcendunt*, qui *ducunt in ejuſmodi bonis dies ſuos*, non video certè, quomodo bonos appellem. P. Joannes Baptiſta Machiado è Societate Jeſu, illuſtris Japoniæ Martyr præ multis hîc mihi triumphare videtur, cui dum mortis recitaretur ſententia; *laudetur Deus!* exclamavit: *lubens morior. Tres in vita mea dies bonos habui, quos mille Mundis præfero. Primus eſt ille, quo Religionem Societatis I E S V inij;* ſecundus, *quo in carcerem Chriſti cauſâ conjectus ſum;*

*tertius hic eſt, quando pro illius amore vitam & ſanguinem profundere debeo. Hi tres dies mei boni ſunt.* Planè ad Jeſu mentem & genium. Nam & ipſe tres ſpecialiter caros habet dies, quos vocat ſuos. Primus eſt vocationis, quo illum æternus Pater in *clauſtrum* uteri Virginalis vocavit, ubi Religiſſimam vitam in *vera ſpiritus & rerum* omnium paupertate, \* caſtitate & obedientia perfectiſſima profiteretur. De hoc die intelligendus Prophetarum majorum Alpha, dum vaticinatur: *propè eſt ut veniat dies ejus.* Et Eccleſia in Reſponſorijs per Adventum: *propè eſt, ut veniat dies Domini.*

Alter captivitatis & Paſſionis de quo Zacharias: *dies illa nota Domino.* At *num alios non novit dies?* quærit Cyril- lus; & mox reſpondet; *multæ ſunt dies, ſed illa dies Paſſionis Domini, quam fecit Dominus, & illa dies nota Domino.* Quasi diceret: nulla quidem omnino nominari poteſt, quam neſciat & ignoret; ſed illa, quâ paſſus ac mortuus eſt, amplioris honoris & gloriæ occaſio fuit, ut propterea eam tanquam ſuam agnoſcat, ejuſque recordatione delectetur.

Tertia eſt noviffimi adventûs, quando in perſona & majeſtate Judicis ad terras denuo deſcendit, ut reddat unicuique ſecundùm opera ſua ſive bonum, ſive malum: quod non tantùm

O 2 in

Job. 3. 3.

Gen. 47. 8.

Augu. ſer. 15. de temp.

Menolog. Societ. 22. Maij.

\* S. Ignat. libel. Exer. Hebd. 2.

ſai. 14.

Zach. 13. 7.



in universali illo hominum conventu, sed & particulatim in uniuscujusque obitu & puncto mortis factitat. Hæc est illa dies omnibus improvisa, de qua *1. Thes. 5. 2.* Apostolus: *dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Hanc Amos adeo horribilem fore prædicat, ut ausit dicere: *ve desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebra & non lux.* Quomodo ergo Abrahamo intantis desiderijs, quomodo exultationis materia esse potuit? nec enim minus ad secundum, quam ad primum Christi adventum exultasse credendus est. Nimirum dies Domini ista *tenebra & non lux* improbis duntaxat & iniquis; contra justis & innocentibus *lux & non tenebra*; quod modò in historia, an apologo, velut in aliquo speculo exhibebo.

*Biderman. in Acroamat.* Copiosa quædam florensque civitas, cum opum & fortunarum abunde haberet, tum optimi Principis gloriâ potentiaque inprimis triumphabat. Forte evenit, ut die quo ludos solennes indixerat, repente evanesceret; diuque per omnes angulos & latebras nequicquam requisitus septem omnino annos, non sine ingenti civium luctu, nulli nisi hosti suo (à quo clam abductus fuerat) notus delituit. Ad quartum ab urbe lapidem prædium & villa prostabat, quam arcis in modum vallo fossaque cinctam vir nobilis domicilium habebat. Ea perpluere locis pluribus subinde cœperat; inde negotium cœmentario datum regulas inspiciundi: qui accepto negotio, dum diebus plusculis tectum omne sedulo perrepat, pedetentim ad turris fastigium,

defertur, quæ in villæ recessu, ut altior ceteris eminebat, sic pluvijs opportunior plus operæ postulabat. Nam tegulæ ibi multæ vitium fecerant, quas iste dum alias ex alijs loco dimovet, magnam ejus tecti partem ita renudat, ut *admissis radijs* tectum subjecti carceris barathrum repente patuerit. Simul & cœmentarius insperato loci hiatu attonitus hominem videt ergastuli pædore deformem, macieque longâ & illuvie squalidum; simul homo novæ *lucis exortu* (quæ septem annis caruerat) exhilaratus, hominem audit inter tegulas ignotum carmen voce tinnula modulantem. Et quidem materia carminis captivus ipse fuit, quod linguâ vernaculâ jam aliàs passim ubique occantabatur. Hoc ergo sono luceque erectus in spem venit libertatis, si conniteretur, potiunda; atque è profundo carcere, quam potuit mæstissima voce fabrum cœmentarium compellat: post admissio colloquio, quibus orbis in oris exulet, cuinam Hero locus teter ac barbarus pareat, quam procul urbe decantata distet, ordine perquirat; septem annis eo se Tulliano per nefas attrineri, neque ubi, aut à quo hoste teneatur, scire. Persvasit facile ut faber rem omnem panderet, locique & nomen & Herum, inscius quid ageretur, indicaret. Sed enim quid opis ærumnoso præstaret, non videbat. Non quæ ipse ad vincitum descenderet; minus, quæ ipsum ad sese extraheret. Atqui ego te (excipit vincitum) nihil istorum volo ut tentes: magis illud, quod quidem nullo tuo periculo, meo autem cum incredibili bono per-

perfacile possis, id ego te per omnia humana divinaque ut facias oro. I quantum potes, urbemque curriculo pete, atque meis ibi civibus, suum in hoc carcere Principem teneri, significa. Ego te die crastina faxo magnis ut opibus, quas mereberis, abundes. Nam nequid nescias, is ipse ego sum, cujus tu cladem modo insciens deplorabas. Non sustinuit pluribus rogari faber, quem sola Principis capti miseria sine præmij promissi copia ad faciendum officium excitare potuisset. Igitur è vestigio de turri descendit, & quam occultissimè celerissimeque potest ad mania versus fugam intendit, ultrò gestiens famam occupare & primus urbem gaudijs implere. Jamque ad aliquantum spatij furtim evaserat, ratus oculorum insidias se cunctas fefellisse, cum prædij Dominus otiosè de fenestra nescio quid specularus, animadvertit operas murarias cessare, ipsumque adeo fabrum desiderari, quem oculis hinc inde requisitum videt contentissimo cursu ad urbem contendere. Continuo suspicatus, quod erat, hominem per tegulas cum captivo collocutum, abire, ut rei diu coelatae indicium efferrat, cum telo, quod obvium rapuerat in equum se conijcit, & subditis calcariis fugientem insequitur. Plus dimidium viae murarius jam confecerat, cum à tergo se ruens furensque ostendit eques, qui licet ita vicinus nondum fuerit, ut nocere posset, minari tamen & procul terrere incipiebat. Eò adniti impensius faber, ut cursu viam antecaperet, priusque nuntium perferret, quam eques assequeretur. Verum o-

mnis ea celeritas huc denique recidit, ut in ipsis propemodum urbis portis simul & ipse anhelus fessusque procumberet, & hærens in vestigijs eques coniecto telo hominem inspectantibus portarum excubijs jugularet. Quamquam ille accepta etiam plagâ tantisper animam fugientem continuit, quoad obita legatione Principem, ubi captus servaretur, indicaret. Extemplo cives unà omnes cum aulae Proceribus effusi, cursim, quâ cuique licuit, ad ominosæ arcis latumias contendere. Effringuntur portæ, irrumpitur, & ad carcerem undique decurritur. Et ecce hominem extrahunt homini vix similem, cui omnis circum vestis computruerat, capilli turbidè per humeros effusi vultum efferaverant, manuum ac pedum ungues, qui fœdè excreverant, monstrum figurabant, ossa per aridam cutem extantia sese ultrò nudabant. Quæ omnia quamvis per se singula vel ipsi hosti lacrymas excutere poterant, tum unum præter cetera flentibus amicis admirationi fuit, cum Juveni senectam toto vertice mentoque præproperè sparsam viderent. Ut ut tamen illa omnia se habuere, certè cives Principem suum vel talem invenisse, lati, continuo deterfis sordibus demptisque vinculis carcere educunt, pransum ac tonsum purpurâ amiciunt, ac demum cum nobili comitatu quasi triumphantem in urbem aulamque revehunt.

Obstupefcitis ad hæc AA. variosque affectus in animis vestris cietis? At enim quod cum bono isto & innocente Principe, gestum est, idem ferè cum

Justis

justis omnibus & à peccato puris animabus geritur. Quid enim illis vita præfens aliud quàm teter quidam carcer, quàm pædore squalidum, ærumnisq; refertum ergastulum, in quod ab inimicissimo hoste peccato originali ipsi omnino nescientes ac ignari coniecti sunt? Quid aliud luteum corpus, quàm murus aliquis ac paries miseram animam arctissimè concludens & detinens, quò minùs dilecti Dei sui præfentiâ frui, & ad conspectum ejus possit evolare? *Hinc exaudiri gemitus, illaque identidem voces: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore, mortis hujus, hoc est de corpore moribundo, & peccandi affectibus obnoxio? Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate electorum suorum, ad letandum in letitia gentis suæ, ut laudetur cum hereditate suâ? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum est: platea tua Jerusalem sternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum letitia, & per omnes vicus tuos ab universis dicetur Alleluja? O civitas sancta, civitas speciosa! de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro; desidero enim videre te, & requiescere in te: sed non sinor carne retentus.*

*Cupio dissolvi.* Ita virguncula quædam (Sancix à Carillo nomen) cum oraculo cœlitus missò didicisset, se contrà quàm optabat, nò nisi post anni unius spatium carcere isto liberandam, nullum pene gemendi statuens modum, assiduè occlamabat: "O carcer! "ô captivitas! ô vita! quantum es mihi martyrium! ô infinitæ bonitatis

abyssè, me quando in te demergam? " O Deus! ecquando tandem diem bonæ " aternitatis intuebor! volate tempora " ra, abbreviemini menses, præcipitate " hebdomadæ, currite veloces dies, ut " hora illa acceleret, quâ vallem hanc " & locum lacrymarum deferens anima " ad cœlestia Tempe feliciter proficiscatur.

Similes gemitus ac suspiria Roberto Cardinali Bellarmino, qui dum sine arbitris erat, pellem suam manu prehensens ac vellicans cum bile ac stomacho dicere solebat: " quid agis carro putrida, ac vermium esca? cur adhuc hæres? quidni divelleris? enim me impedis quò minùs abeam ad domum meam? heu tandem aliquando abrumpere. At quis tam bonus & fidelis cæmentarius, qui liberationis sit autor, qui carcerem patefaciat, qui regulas detegat? Hoc sanè nemo melius præstat atque Mors, dum membrorum compages dissolvit, corporeum murum dejicit, & sic inclusæ animæ lucem illam optatam immittit, quam Ecclesia piè defunctis precatur, dum orat: lux aterna luceat eis Domine.

Mors si unquam, tum hîc obsequiosa, milleque præmijs digna, ut propterea etiam à Davide pretiosa vocetur: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; nisi quòd ad ipsas Urbis cœlestis portas, dum venturæ animæ nuncium afferre properat, unde unde trajecta concidat, nam mors ultra non erit in cœlo, teste carissimo JESU discipulo. Interim Cœli Proceres accepto tam jucundo nuntio certatim ad locum

Virg. 6.  
Æne.

Aug. tom.  
3. l. de spi-  
rit. & a-  
nim. c. 60.

Martin. de  
Roa lib. 2.  
v. c. 7.

Petra sau-  
cta in eju-  
vit. cap.  
40.

Psalm. 115.

Apoc. 21. 6

eum carceris currere, pædorem & squa-  
lorem omnem à filia Principis anima  
detergere, vestes splendidas super in-  
duere, consveta cœlicolarum orna-  
menta congerere, & sic vestitam ac or-  
natam cum triumpho insignisque læ-  
titiæ significatione ad hæreditarium  
palatium æternamque requiem dedu-  
cere. Sic Antonius Pauli Eremitæ  
animam inter Angelorum choros, in-  
ter Prophetarum & Apostolorum cæ-  
tus in cœlum ascendentem vidit: a-  
nimam S. Benedicti duo Monachi pal-  
lio ornatam pretiosissimo, fulgentibus  
circum lampadibus: animam suæ so-  
roris Scholasticæ ipse Benedictus: a-  
nimam Codurij Ignatius miro item  
lumine coruscantem. Patris verò Ludo-  
vici de Ponte morientis cubiculum  
totum instar cœli lucidum pia quæ-  
dam Persona observavit: super Simo-  
nis Roderici cellam, eodem quo is  
expiravit momento, lucem manife-  
stissimam à se conspectam vir gravis  
sanctè asseveravit. †. Quid quòd lux  
ista etiam in defunctorum corpora  
non rarò redundavit? Corpus S. Epi-  
phanij Ticinensis triduo maximum e-  
misisse splendorem scribit Evodius e-  
jus successor. Cadaver Edvardi Re-  
gis Angliæ insigni claritate micuisse  
testantur historiæ. Margarita Belæ  
Hungarorum Regis filia, mirificè post  
mortem è faciè refulsit S. Macrinam  
defunctam copioso jubare circumfu-  
sam, refert ejus frater Gregorius Nyf-  
fenus. Nonne omnibus his dies Domini  
lux fuit & nō tenebræ? Lux & dies me-  
ritò desiderabilis, meritò in votis, me-  
ritò in expectatione. Quicumque

enim cum J E S U in fonte verè gloriari  
potest: quis ex vobis arguet me de pec-  
cato? Quicumque baptismalem inno-  
centiam integram conservavit, qui-  
cumque *Integer vita scelerisq; purus vi-*  
xit, is certè non habet, unde in mor-  
te tristeretur, sed magis unde gaudeat,  
exultet, rideat, cantet. Ita S. Fran-  
ciscus Seraphinorum æmulus; cum  
de mortis, veriùs Natali die com-  
moneretur, exultabundus in clama-  
vit: *bene veniat soror mea Mors*; ac-  
cerstitisque cantoribus, unà cum ijs  
canticum, ut vocabat Solis, & in-  
quod peculiari affectu ferebatur, ma-  
ximo cum animi sensu ac jucundita-  
te cecinit. S. Nicolaus Tolentinas  
sex totis ante obitum mensibus, qua-  
libet nocte suavissimum Angelorum  
concentum audivit. B. Aloysius Gon-  
zaga, ubi se hinc migraturum didi-  
cit, ægrorum curatorem, ad hymnum  
Eucharisticum secum prosequendum  
invitavit. Cecinit Paulus Hoffæus  
Vir Apostolicus, nunquam aliàs can-  
tare auditus. Cecinit & simul ri-  
sit Maria Oegniacensis, de qua vita  
Scriptor qui morienti adfuit ita scri-  
bit: *præ gaudio diutissimè subridens,*  
*cantabat: quàm pulcher es Rex noster*  
*Domine! Et in eo gaudio postquam diu*  
*perstitit cantando, ridendo, ac interdum*  
*plaudendo manibus, tandem ad se rever-*  
*sa: mirabilia, inquit, dicerem si au-*  
*derem. Et rursus dulci voce can-*  
*tavit Alleluja, & tota ferè nocte illa*  
*tanquam ad epulas invitata fuit in ju-*  
*bilo & exultatione.*

Exultavit ad hunc diem Philippus  
II. Rex Catholicus, verus Abraham,  
quia

Horat. lib.  
1. Carm.

Wading in  
annal. Frã.

cap. 11. & 13  
vita.

Cepar. vita  
l. 2. c. 32.

Jacobus de  
Vitriac. l.  
2. vit. c. 13.

Guilliman.  
in vit. Phi-  
lip. l. 3. c. 9.

† histo. Soc:  
p. 4. l. 7. n.  
274.

quia Pater credentium, qui & ipse du-  
 abus quàm excederet horis risisse, læ-  
 titiamque ingentem prætulisse visus  
 est. Exultavit P. Franciscus Piccolomi-  
 neus octavus Societatis JESU Genera-  
 lis, qui cuidam Patri se agrum invifen-  
 ti dixit: *morimur, & ridemus.* Sæ-  
 peque ac tenere secum repetebat Vir-  
 gineum canticum *Magnificat*, & illum  
 potissimum versum: *& exultavit Spiri-  
 tus meus. Vidit hunc diem & gavisus est*  
 Franciscus Suarez, qui jam jam mori-  
 ens ad circumstantes conversus; non pu-  
 tabam, aiebat, tam esse suave tam dulce  
 mori. Vidit & gavisus est P. Joannes Ru-  
 mer, nostræ huic Societ. Provinciæ ali-  
 quando Præpositus, cujus suprema vox  
 fuit: *ô quàm bene mihi est!* Et quis no-  
 strum nollit sibi tum bene esse? Non-  
 ne quisque in votis habet, illud Bala-  
 mi: *moriatur anima mea morte Iusto-  
 rum?* Nemo adeo perditè vivit, qui  
 sibi non bonam optet mortem. Nuper,  
 (refert Cornelius à Lapide) vir-  
 quidam Princeps, hæreticus, aut po-  
 tius politicus, bonæ tamen indolis &  
 ingenij, rogatus quid de Catholicis &  
 Calvinistis sentiret, utrorum fides es-  
 set verior? respondit argutè: se mal-  
 le vivere cum Calvinistis, sed mori  
 cum Catholicis; quod horum mors sit  
 lætior & securior, illorū vita sit licen-  
 tior & voluptuosior. Sed frustra bo-  
 nam optat mortem, qui vitam vult ma-  
 lam; vix enim bene moritur, qui malè vi-  
 xit, ait Doctor Hipponensis, & ipsa teste  
 Scriptura *mors peccatorū pessima.* Cum  
 noster innocentissimus adolescens Jo-  
 annes Berchmans, velut alter Gerardus  
 Divi Bernardi dupliciter frater in mor-  
 te exultaret, Medicus, qui morienti af-

P. Nadesy  
 pretios. oc-  
 cup. mo-  
 rient. c. 25.

Num. 23.  
 10.

August. de  
 doct. Chri-  
 sti.

fuit, non sine lacrymis exclamavit: "ô  
 beati vos, qui adeo jucundè parati ac di-  
 spositi estis ad moriendam; hæc felici-  
 tas magna est, quam ubiq; reperire non  
 licet. Verè non ubiq;, ne inter ipsos  
 quidem Catholicos: sola hanc sibi ven-  
 dicavit Innocentia, quæ sicut ubiq;, et  
 tum maximè in morte triumphat. To-  
 tus licet ad lectulum moribundi con-  
 fluat Orcus, non habet quod trepidet  
 Innocentia; premat corpus, terreat Dia-  
 bolus, bona conscientia erit securæ, inquit  
 Bernardus. *Secura erit cum corpus mo-  
 rietur, securæ cum anima cor am Deo præ-  
 sentabitur.* Tunc in faciem insultare po-  
 terit Orcigenis, cum Martino Turo-  
 nensi: *quid hic adstas cruenta bestia? ni-  
 bil in me funeste reperies. Bonum certa-  
 men certavi, cursum consummavi, fidem*  
*in baptismo Deo meo datam fideliter*  
*servavi. In reliquo reposita est mihi corona*  
*Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in il-  
 la die (scilicet sua) justus Iudex; non so-  
 lum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt*  
*adventum ejus.*

At quomodo quis (liceat cum Chry-  
 sostomo quærere) adventum Domini dili-  
 git? Si nimirum de ejus presentia gaudet;  
 qui verò in ejus presentia, digna  
 gaudio facit. *Qui illius adventum diligit, om-  
 nia faciet ut ante universalem illum singula-  
 ris fiat ad eum quidam Salvatoris adventus.*  
*Quis verò iste est? audi dicentem ipsum Domi-  
 num nostrum: qui diligit me, madata mea ser-  
 vabit, & veniemus ego & Pater, & mansione  
 apud eum faciemus.* Jã ergo apud quæ Deus  
 manet, hic non potest in Domino, adeoq;  
 beatè non mori; nã beati omnes, qui in Do-  
 mino moriuntur. Et ideo non tã illis cane-  
 re cõvenit. *Dies ire, quàm: hæc dies, quã fe-  
 cit Dominus; exultemus & lætemur in ea.*

Bern. l. de  
 Conf.

2. Tim. 4. 7.

Apoc. 14.  
 13.

DOMI-

# DOMINICA PALMARVM

## !Mundi gloria festum Ramorum.

*Cædebant ramos de arboribus.* Matth: 21.



Nsoliti forma triumphī magis mel hodie ad silendum, quàm ad loquendū invitat AA.: stupore si-

quidem totus defixus hæreo, dum Salvatore nostrum eo tempore triumphare video, quo maximè latere deberet; tunc regiam profiteri personam, quando congregati sunt Principes Sacerdotum & seniores populi, ut eum dolo teneant & occidant. Sæpe alias venit Ie-

rosolyman, inquit Theophylactus, sed nunquam cum tanta majestate, quanta

Theophyl.

Bern. serm: 3. in ramis palm.

nunc. Venturas aliquando turbas, ait Bernardus, ut raperent, & eum Regem facerent, fugiens legitur declinasse: nunc verò etiam non quasi adest, ut tanquam Rex Israël suscipiatur & prædicetur ab eis, quin etiam hæc ipsa præconia eorum excitavit. Quem amabò in finem melleæ Doctor? hæc præparatio ad passionem fuit. O rem inauditam! sicine mortis præluditur? hic supplicij apparatus? hæc reorum majestas? hæc capitis damnatorum gloria? Apud Romanos mortis candidati sordidati incedebant, in veste pulla, nudo capite, neglecto capillo, vultu in terram dejecto (quod & Cicero fecisse legitur, dum depositis fascibus inter reos pro tribunali comparere debuit) at hic candidato crucis vestimenta substernuntur, virentes rami per viam jactantur, totæ spoliantur palmæ, altæ truncantur cupres-

si, frondosæ nudantur platani, pingues deartuantur olivæ, acclamatur *hosanna*; benedictus qui venit Rex. Luc. 19. 38.

Ceteri Reges in morte Reges esse desinunt: hic autem jam jam moriturus tam primùm Rex acclamari amat. Sciebat post quinque dies se inter latrones & iniquos computandum, sciebat sibi non jam *Benedictus*, sed *maledictus* occidendum, sciebat *hosanna* commutandum in *sannas*; *Io!* in *Vah!* ramos, in dumos; palmas in alapas; frondes in fustes; olivas in salivas; præconia in opprobria; applausus in pulsus; blandimenta in tormenta; cupidias in acrimonias; dulcores in amarores; mella in fella; vinum in acetū; sciebat non per aliena vestimenta sibi tum incedendum; sed se ipsum vestibus omnino nudandum; sciebat se non amplius super jumentum, sed in crucem tollendum: nec tamen, ut alias fecit, fallacem istam gloriam declinat, non fugit iterum in montem ipse solus; quinimò indignatis ad hæc Phariseis & dicentibus: *Magister increpa discipulos tuos*, respondet: *dico vobis, quia si hi tacuerint lapides clamabunt.* Existimo, Auditores, humillimum Dominum triumphū hunc vel ideo acceptasse, ut in semetipso adumbraret, mundi hujus gloriā aliud non esse, quàm præparationem ad passionem, & festum ramorum, ut hoc sermone declarabo.

P

Illu-

Illustre Angliæ fides Thomas Mo-  
 rus, cum post tot præclara in Regnum  
 Regemque merita per summam injuri-  
 am carceri mancipatus capitisque da-  
 mnatus esset, amicis ad se consolandi  
 gratiâ venientibus dicebat: "Mundus  
 hic carcer est, ex quo omnes ad causam  
 dicendam suis singuli diebus evocan-  
 tur. Omnes hic capitis rei, omnes fi-  
 lij mortis sumus; nam *statutum est o-*  
*mniibus hominibus semel mori.* Nec com-  
 pedes & vincula desunt: *funibus enim*  
*peccatorum suorum* unusquisque con-  
 stringitur, ut ait Salomon; vel, ut Se-  
 ptuaginta vertunt, *catenis peccatorum*  
*suorum implicatur.* Imò ipsum corpus  
 nobis loco compedum est teste D. Au-  
 gustino: *corpus carnis nostræ ornamen-*  
*tum fuit; peccavimus, & compedes inde*  
*accepimus.* Et D. Cyprianus, acceptâ  
 mortis sententiâ exultabundus dixit:  
*Deo gratias, qui me à vinculis hujus cor-*  
*poris dignatur absolvere.* Fingamus  
 ergo animo reum quempiam in carce-  
 re perquam honorificè haberi, sericeis  
 ligari funibus, aureis vinciri compedi-  
 bus, numellis argenteis constringi, flo-  
 ridis redimiri sortis: *fingamus splen-*  
*dido curru inter tubarum clangores,*  
*tympanorumque strepitus, frequenti*  
*satellitio, magnaque armatorum ca-*  
*terva comitante ad locum supplicij ve-*  
*hi, quid aliud de rota illa pompa fas-*  
*erit dicere, quam: hic apparatus, hæc*  
*preparatio ad passionem est?* Sic omni-  
 no nec aliter de eo judicandum, qui in  
 hoc spatioso mundi carcere inter me-  
 ras palmas & flores incedit, cui multi  
 non vestimenta tantum, sed & capita  
 sua submitunt; non pallia, sed aurum  
 & opes substernunt (quanquam, ut  
 ait Gregorius, *quid sunt terrena omnia,*  
*nisi quadam corporis vestimenta?*) cui ubi-  
 que applauditur, ubique acclamatur  
 lo! Pœan! finis enim omnium istorum  
 mors & supplicium. Pompejus ma-  
 gnus nonne vitam suam in meris tri-  
 umphis egit? quorum ille splendidissi-  
 mus, quem de victo Mithridate biduo  
 integro celebravit. Præferbantur  
 curru aurea & argentea vasa quàm  
 plurima, & in his duo millia ex ony-  
 che lapide in Mithridatis supellectile  
 reperta. Ducti ante currum Tigranes,  
 senioris Tigranis filius & uxor ejus  
 Zosime, septem ex Mithridate geniti.  
 In titulis gentes quas subjugaverat  
 repræsentatæ: Pontus, Armenia, Cap-  
 padocia, Paphlagonia, Media, Colchis,  
 Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Meso-  
 potamia, Judæa, Arabia. Piratæ quo-  
 que terra marique debellati. Tum  
 captæ arces non minùs mille. Tro-  
 phæa per multa numero omnibus pa-  
 ria pugnis, quibus aut ipse aut per le-  
 gatos palmam tulerat. Et ecce omnis  
 ista gloria mera *ad passionem preparatio*  
*fuit;* nam paulò post in Ægypto, quò  
 à clade Pharsalica sese receperat, pro-  
 ditorie obtruncatus est, dignus cujus  
 capiti ipse capitalissimus hostis Cæsar  
 illachrymaretur. Sed & hic quinques  
 licet triumphaverit, licet subinde qua-  
 draginta elephantis prælucentibus Ca-  
 pitolium ascenderit, licet inter cetera  
 pompæ ferula speciosum illum titu-  
 lum præferri jussit: VENI, VIDI,  
 VICI, tamen & *hæc preparatio ad passio-*  
*nem fuit,* quam in senatu viginti tribus  
 vulneribus confossus consummavit.  
 Nero

Nero reversus è Græcia Neapolim, ut scribit Svetonius, albis equis introijt, disiecta parte muri. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam, in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronam capite gerens Olympicam. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestaque aves ac lemnisci ac bellaria. Et hæc quidem præparatio ad passionem & supplicium fuit, in quo rei simul personam egit & carnificis. In triumphis nihil antiquitus erat solennius, quàm vincentibus ramos palmarum offerre, adeo ut ipsum nomen palma interdum pro triumpho & victoria usurpetur. Hinc illæ Ciceronis formulæ: docto Oratori palma danda. Quæ palmam utinã Dij immortales tibi Scipio reservent, &c. Causam hujus mysterij varij variam adstruunt: ego mundanæ gloriæ fallaciam hîc optimè adumbra- tam puto; nam sicut rami amœna viriditate oculos aliquamdiu recreant; quia tamen radice carent, intra breve tempus arescunt, & in focum mittuntur, ut æquè de illis dicere liceat, quoties ad solennitatem aliquam adhibentur: hæc præparatio ad combustionem est: imò & hi ipsi, quos hodie tam solenniter benedicimus, rami convertuntur in cineres. Sic se habet omnis mundi gloria; nimis citò flaccescit, citò exiccatur, citò incineratur. Vnde appositè quidam spiritu plenus Ecclesiastes:

Seb. Barr: "cùm, inquit, scepra mundus offert, to. 3. l. p., magistratus & honores, ramos offert, a. 6. ,, brevi tempore virorem servaturos". Et Tarracone alius in monumento saxeo hominem supinum cælavit, ad cu-

jus caput virens ramus, ad pedes verò marcescens appositus erat, cum hac inscriptione:

*Aspice quàm subito marcet, quod floruit ante;*

*Aspice, quàm subito, quod stetit antè, cadat.*

Cui non in mentem veniat Nabuchodonosor Chaldaeus, qui suam ipsius gloriam, quam vel dormiens spectavit, ænigmaticè jactabat: videbam, & ecce arbor in medio terra, & proceritas ejus contingens cælum, folia ejus pulcherrima. & in ramis ejus conversabantur volucres cæli. Daniel ita planius: arborem quam vidisti sublimem, cujus altitudo pertingit ad cælum & rami ejus pulcherrimi, tu es Rex, qui magnificatus es & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usq; ad cælum. Sed vix unus annus transijt, cùm omni ornatu suo truncatus rudis omnino & sine sensu truncus remansit. Similem habuit exitum successor ejus Cyrus, qui & ipse licet in arborem vitemque ingentem, (ut Matris prænunciabant somnia) se- V. Herod. le explicuerit, in optimo tamen gloriæ virore à muliere Scythica Tomyri succisus, & in profluentem sanguinis proprii abjectus est, cum hac insultatione: satia te ô Cyre sanguine, quem tantopere siviisti. Rarò proceræ arbores ab ictibus & vulneribus tutæ sunt; hinc, (ut est in fabulis) concilium aliquando injerunt, quomodo se ab hominum injurijs expedirent. Et Cedrus quidem, velut maxima sententiam prima dixit: sævire ut plurimum homines in ligna securibus, quas ligneis manubrijs mu-



aiunt, itaque è re esse arborum, ut ligna denegent hominibus, quæ in perniciem earum convertant. Tum inter alias surgit humilis rubus, & nolite, inquit, ò arbores in tantam altitudinem excrescere, eritis mihi credite ab hominum injuria tutiores. Rubum nemo facile vellicat aut cædit, quamvis pone viam publicam, ubi frequens hominum transitus, crescat; quin si aliquis manu eum tangat, se ipsum crucentat. Sic qui humili in statu est, unde sibi metuat non habet; quia caret opibus & divitijs, caret honoribus & officijs, quæ ad æmulationem & sæpe ad cædes solent provocare: at verò quos altius fortuna evexit, & exaltavit ut cedros, vel palmas, videre est ictibus continuis peri: jam hic, jam ille ramus, hæc vel illa res chara & pretiosa, ijs avellitur, idque non sine sanguine, & dolore maximo, qualem percepit arbor illa Polydoriana apud Virgilium, quæ dum ab Ænea convelleretur, loco succi copiosum emisit sanguinè, ut ipse ita describit:

*Fortè fuit juxta tumulus, quo cornea  
summo  
Virgula, & densis hastilibus horrida  
myrtus.  
Accessi, viridemq; ab humo convellere  
silvam.  
Conatus, ramis tegerem ut frondenti-  
bus aras,  
Horrendum & dictu video mirabile  
monstrum.  
Nam qua prima solo ruptis radicibus  
arbos  
Vellitur, hnic atro liquuntur sanguine  
gutta*

Virgil. 3.  
Æneid.

*Et terram tabo maculant*

Nimirum, ut bene dixit Hipponensis Doctor, sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Et Gregorius: quæ ardentè diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quantum non doluit Jacob ob carissimum ramum sibi avulsam Josephum! quos non ploratus edidit Rachelis arbor tot una vice Herodis ferro truncata frondibus & noluit consolari quia non sunt! quantum non luxit Octavia ob præcisum in optimo ætatis flore suum Marcellum, adeo, ut Seneca teste, nullum finem per omne vite tempus flendi gemendiq; fecerit? quantum nõ lamentatus est Belisarius, cum se inmensis opibus, honoribus, insuper & proprijs oculis spoliatum, itaque deturpatum vel cæcus vidit, ut mendicabuli instar cogeretur stipem à transeuntibus petere & inclamare: *Belisario date obulum Imperatori.* O infelix Belisari! ubi tuæ tot palmarum quæ tibi de Persis, Vandalis, Gothis, totaque Africa devicta succreverunt? omnes amputavit Invidia. Vbi triumphorum splendor & viror, quos Romæ toties egisti? exiccavit Invidia. Vbi trophæa & spolia? combussit Invidia. Vbi majestas Imperatoria? eadem incineravit Invidia. Verè omnis tua gloria festum ramorum fuit, post quod tam triste secutum est Parasceve. Sunt hæc festa ita sibi vicina, ut nonnisi quatuor dierum intervallo mutuò distent. Ecclesia tamen ita ea colligare velle videtur, sicut in fabulis legitur Jupiter voluptatem cum dolore colligasse. Nam in hodierna Missa simul Evangelium de ramis, simul Passionem Domini

Aug: En-  
chirid.  
Greg: lib: 3.  
Moral.

Matt: 2: 19

Sen: Consol:  
ad Marcia

ni nostri recitat, simul canit *Osanna*, & *crucifige*, iisdem palmis pastorem honorat & percutit, verbo, lætis tristia miscet, & utrumque diem tam Dominicum quàm Veneris velut in unum compingit, quasi verò huic posteriori non sufficeret tristitia dicam, an *malitia sua*. Credo non aliud hic latere mysterium, quàm ut doceamur, omnem mundanam lætitiã doloris esse principium, ibique nos incipere pati, ubi incipimus deliciari. Fatetur hoc de se ipso suprà memoratus Patriarcha Jacob, cùm ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei*. Quomodo principium doloris? ergo dolor non fuit fratrem se persequentem fugere? non fuit dolor septè annis pastorem agere, *est uiri & gelu*, noctes insomnes ducere & vigiliã super greges alienos agere? non fuit dolor mercedem suam toties mutari? non fuit dolor pro formosa Racheliam lippam supponi? Omnino nihil ista dum nudus manebat stipes (a) (termino Canonico utor) sentire poterat; at quàm primùm se explicare in ramos, in gentem magnam assurgere, quàm primùm liberis & opibus augeri cœpit, continuò queritur: *Ruben primogenitus meus, fortitudo & principium doloris mei*, quasi diceret: antea dum privatus & cælebs eram, non habui cur & unde dolerem, quia præter miseram hanc vitam (quam tanti non facio) non habui quod amitterem; ubi autem conjugibus, prolibus, gregibus, numis, thesauris, & titulis factus sum auctior, quantam lætitiã & livoris materiam non coacervavi, in quas me curas, so-

licitudines cruces, non conjeci! Sed & ipsa Rachel sicut antè filiorum fuit avida in tantum, ut diceret viro: *da mihi liberos, alioqui moriar*, ita quem dilectissimum genuit, fuit ei filius *Benoni*, hoc est, *filius doloris*. Quis Regibus & Monarchis in hac vita putatur felicior? tamen & horum coronæ, sceptra, purpuræ, paludamenta, majestates, fortitudo aliud nihil sunt, quàm *doloris principium*. Animadvertit hoc præ alijs Rex ille Ethnicus apud Valerium, qui traditum sibi diadema priusquam capiti imponeret, manibus retentum diu consideravit, tum in has voces erupit: "ô nobilem magis quam felicè coronam, quam si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus, periculis, ac miseris sit referta, ne humi quidem jacentem tollere vellet: hæc enim dulcedo vicina est exitio. Numerantur Imperatores Romani, qui hæctenus tam in Oriente, quàm in Occidente imperarunt, propè ducenti, è quibus sexaginta septem vario mortis genere caesos ac jugulatos invenio. (a) C. Caligula quarto Imperij anno à suis necatus est, ferro per obscã adactò, ut causa cædis extaret, ait Horatius Turfelinus. Galba septimo Imperij mense, Otho Sylvius quarto è vivis sublatus. Vitellius à Vespasiani Ducibus multo cum dedecore captus, per urbem nudus raptatus, & tandem in Tiberim præcipitatus est mense Principatus octavo. Aelius Pertinax inter ipsa gloriæ suæ initia à Pratorianis militibus obruncatus. Julianus Didius quinto mense sceptrum cum vita perdidit. Heliogabalus in cloacas pro-

Gen. 30. 1.

Gen. 35. 18.

Valerius  
Max. l.

7. c. 2.

Turfelin.  
epitom. hi-  
stor. l. 4.Matth. 6.  
34.

Gen. 49. 3.

Gen. 30. 31.

(a) alludi-  
tur ad ar-  
borem con-  
sanguinit.

jectus. Maximini caput per Italiam circumlatum & Romæ palo infixum, ut spectaculo foret omnibus. Valerianus à Rege Persarum Sapore captus eidem equum conscensuro pro scabello fuit, uti & Romanus Diogenes Sultano Turcæ. Valens vivus à Gothis crematus. Zeno in ebrietate vivus iussu uxoris sepulchro illatus. Constantinus III. à Noverca veneno extinctus. Justinianus II. naso mutilatus, unde & Rhinotmetus dictus. Constantinus Porphyrogenitus exoculatus. Adolphus Nassau ab Alberto I. hic à Joanne ex Rudolpho fratre nepote interfectus. Quem porro non consternavit luctuosissimus casus Henrici IV. Regis Galliarum in rheda à sicario confossi? Cujus non membra horrore concussa sunt ad inauditum Caroli Regis Angliæ supplicium? Ah nimis illis dulcedo ista Imperij vicina exitio fuit! nimis amarum corticem aureum illud pomum habuit! Sed hic, nec alius est mundi genius, ut eosdem quos elevat, deprimat, eosdem quos glorificat, perimat; promotor simul & proditor; Patronus, & lanista; hospes & latro; amicus & carnifex; uno eodemq; ore occantet, vivat, & jaceat! perennet, & pereat! oriatur, & occidat! *benedictus qui venit, & tolle, tolle crucifige.*

(a) Imperatorum interfectorum syllabus.

Julius Caesar,	Pupienus,	Licinius,	Philippicus Bardanes.
Caligula,	Balbinus.	Maxentius Tyrannus	Constantinus Porphy-
Claudius,	Philippi Pater & F.	Constantinus II.	rogenitus exocu-
Nero seipsum occi-	Gallus.	Constans,	latus.
dit,	Volusianus,	Julianus Apostata.	Nicephorus,
Galba,	Emilianus,	Valens,	Leo Armenius,
Otho seipsum occidit,	Valerianus,	Gratianus,	Michael Porphy.
Vitellius,	Gallienus.	Valentinianus II.	Nicephorus II.
Domitianus,	Anrelianus,	Valentinianus III.	Romanus Argyropol:
Commodus,	Florian: seipsū occidit.	Maximus Tyrannus,	Romanus Diogenes.
Ælius Pertinax.	Probus,	Martianus,	Philippus,
Didius Iulianus,	Carus,	Zeno,	Fridericus II.
Caracalla,	Numerianus,	Mauritius,	Richardus,
Heliogabalus,	Carinus,	Phocas,	Adolphus Nassau,
Macrinus,	Diocletianus seipsum	Constantinus III.	Albertus I.
Diadumenus,	veneno extin-	Constans II.	Henricus VII. veneno,
Alexander,	xit,	Leontius,	Guntherus veneno,
Maximinus,	Maximian: Hercul: Tiberius: Absim.		Fridericus Brunsvic:

DOMI-

# DOMINICA RESURRECTIONIS.

## CHRISTI resurrectione, nostra reviviscentia.

*Surrexit.* Marc: 16.



Nimica semper humano generi Libitina, quemadmodum juxta votum suum de primo triumphavit Adamo, ita de secundo non minus triumphasse nuper videri poterat, quando ad eas illum redegit angustias, ut clamans voce magna totum emitteret spiritum, & par unà cum ceteris hominum filijs mortalitatis daret experimentum. Quanti tum ubique luctus, quanti ploratus, quantæ lamentationes! Cœlum totum nigra continuo induit vestes, vultumque & oculos atrato velavit peplo, siquidem Sol cum reliquis astris obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super universam terram, ab hora sexta usq; ad horam nonam. Ipsi Cœligenæ, flere alioqui nescij totos lacrymarum fudere rivis, tuncque patuit Prophetæ vaticinium: *Angeli pacis amare flebunt.* Terra quantumvis immobilis ad tam triste funus non moveri, & durissimæ etiam petra præ doloris vehementia non poterant non dissilire. Sed ubi est hodie mors victoria tua? ubi est triumphus tuus? Jam longè aliam video cœli terræque faciem; nam pro pulla veste rubens *Aurora cœlum purpurat*, pro lugubri panno video Angelos *in albis* incedentes & sedentes, pro lamentis æther resultat laudibus, & pro trepidatione *Mundus triumphans*

*jubilat.* Solus infremit *Avernus*, quia quæ iniquè rapuit spolia, reddere cogitur, & à fortiori armato, superveniente universis, in quibus confidebat, armis penitus exuitur. Fracta jacent mortis spicula,

*Surrexit extinctor necis  
Clamat coruscans Angelus.*

Nil proinde aliud hæc dies ex Gregorij Nysseni sententia, quàm gaudiū & letitiam & exultationem, opus utiq; non grave neq; factu difficile, exigit, atq; huc invitatur oraculum illud: *exultemus & letemur in ea.* O rem præclaram! o legem suavem! opus enim quod injungitur aliud nullum est, quàm letitia & exultatio.

Quid igitur o tremulæ mulieres etiamnum plorare pergitis? quid viventem cum mortuis quaritis? quid mortualia obsequia resuscitato Domino apparatis? quid ad inanis sepulchri cōspectum expavescitis? exeuntes fugerunt de monumento, invaserat enim eas tremor & pavor, & nemini quidquam dixerunt, timebāt enim inquit hodiernus Evangelista. O timorem planè femineum! quid amabò est quod terrere possit in tanta mundi totius festivitate? num sepulchri custodes? sed procumbunt velut mortui. Num lapis magnus valde? sed respicientes viderunt revolutum lapidem; num Angeli? sed mera lo-

Nyssen: O-  
rator de  
Pasch.

Matth: 27.  
45.

Isai. 33. 7.

1. Cor. 15. 55.

quun-

quuntur mella. Num speluncae hiatus? sed nil præter vacua linteamina continet. Num noctis necdum omnino transactæ dubia umbra? sed Sol proximus instat. Crediderim eas non aliunde quàm ex mera imaginatione in fugam actas; pronum siquidem est mulieribus non modò ad visiones insolitas, sed & strepitus levissimos consternari. Magis miror discipulos, qui & ipsi feminae facti sunt, siquidem ultrò fatentur: *sed & mulieres quadam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum (Christum) vivere.* Jacob audito nuncio: *Ioseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra Egypti, quasi de gravi somno evigilans tamen non credebat eis.* At verò cum vidisset plaustra frumento onusta, & universa quæ miserat Ioseph, revixit spiritus ejus, revixit instar lucernæ, quæ oleo deficiente emoriens infuso reviviscit, ait Chrysostomus; unde ipse ex Septuaginta legit: *reaccensus est senex.* Quid aliud quæso S. Mater Ecclesia hodie intendit, dum nobis toties nunciat: Christus Redemptor noster vivit; *surrexit Dominus verè; Dux vita mortuus regnat vivus*, quid inquam aliud intendit, quàm ut spiritus noster reviviscat, quàm ut reaccendatur?

I.  
Ignis reaccenditur  
insufflatione.

Strada pi-  
stor. suburr.

Dupliciter ignis emoriens reaccendi & resuscitari solet: insufflatione & pabuli adjectione. Priore modo resuscitatum fabulantur Poëtæ à luteo homine Promethei cujusdam figmento, de quo ita noster Famianus Strada: finxerat ex humo hominè Prometheus (nisi nos Poëtæ fallunt) cum è vestigio

impetrat à Minerva tutelari Numine, ut paulisper sibi liceat spatium inter sidera. Habebat ille occultatam sub pallio ferulam, quam ubi accessit ad solem illicò protulit, admovitque ad publicum ignem atque accendit, statimque inde se proripuit cum accensa face, & multò quàm ascenderat, celerius descendit: ajunt enim eum, qui ex alto cadat, facere viæ compendium. Cum terras attigit, rectà ad suum hominis figmentum contendit, eique flagrantem igne ferulam in manum tradit. Ille, ubi facem accepit, calesfacto, ut opinor, capite ab eo igne, qui, ut erat solis, ita sternutamenta proritare solet, validè sternutavit, simulque inopinato illo afflatu facem extinxit. Nimirum percussus tam repentino casu Prometheus præ dolore atque ira, quòd videret ignem atque operam se perdidisse, parum abfuit quin sublatum è terræ saxum in hominis ignavissimi caput excuteret; fecissetque, nisi ille idem qui extinxerat altero sternutamento semimortuam facem vehementi spiritu suscitasset ac restituisset. Si ex fabula (quod fieri amat) veritatem elicere volumus, ignis, quo spiritualiter vivimus, gratia habitualis est; hunc ignem non raptò, sed propria potestate terris intulit is, qui non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo: ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Impleverat eo non parum, in ultima cæna primas suas creaturas Apostolos, ita ut toti ignei viderentur, cum eorum unusquisque dicebat cum Petro: tecum ò Magister paratus sum in carcerem & in mortem ire. \* An-

Phil. 2. 6.

Luc. 12. 49.

Luc. 22. 23.

\* Ioã. 13. 37.

man

\* *Matth. 26.* *mam meam pro te ponam.* \* *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor: sed ecce tibi Judaicus supervenit turbo, ubi strepitus armorum & lignorum, sternutationes equorum audiri coeperunt, omnes relicto eo fugerunt, fervor ille elanguit, fidei lucerna in singulis extincta, in cujus memoriam quotannis 14. candelas hebdomadâ sanctâ sub Matutinis extinguimus. Actum propè de tota Christi Ecclesia videri poterat, usquedum is ab Inferis redux etiamnum aliquomdo micantes & fumantes illas faculas insufflando reaccenderet; nam, ut fatetur Evangelista, posteaquam omnes pariter congregati essent: *insufflavit in eos, & dixit: accipite spiritum, sive revivificate, reaccendimini, qui fueratis mortui, mortuos enim & extinctos pro eodem usurpamus.**

*Joann. 20.* 22.

*Exech: 18.* 4.

*Basil. l. de Spirit. S.* 6. 16.

Multi etiamnum fidelium per totû fortè annum, aut saltem per notabile anni tempus extincti, & quoad animam mortui nominatenus tantum vixerunt, (anima enim qua peccaverit ipsa morietur teste Propheta) in quibus præter habitum fidei & spei, qui soli in peccatore remanent, lucet & ardet nihil: quidni ergo hoc latissimo & vivifico tempore paschali uniuscujusque spiritus reviviscat, reaccendatur? reaccendetur autem, si, quod præcipit Ecclesia, sacrum Pœnitentiæ tribunal accesserit. Ibi enim denuo extincta insufflatur vita, ibi perdita redit gratia, ibi renovamur spiritu mentis nostræ. Nam ut loquitur D. Basilius: *Dominus qui renovabat hominem, eiq, reddebat gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat.*

*inspiravit & insufflavit in faciem discipulorum, dans eis vicissim potestatem in alios insufflandi, quorum, inquit, remiseritis peccata remittuntur eis.* Et D. Cyrillus: *ut ipsum, inquit, esse sciamus, qui ab initio naturam nostram creavit, rursus in ipso initio renovanda natura sufflatione spiritum discipulis largitur; ut quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renovemur. Initio inspiravit in faciem Adami spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem: hodie loco Dei inspirat Sacerdos in faciem peccatoris per salutifera verba: ego te absolvo, &c. gratiam remissivam peccati, & sit peccator rursus in animam viventem. De Hercule fabulantur Græci, coturnicem ei in delicijs fuisse, cujus nidore, dum viva incenderetur, ille extinctus vitæ sit restitutus. Fabulæ Athenæus meminit, ubi scribit Herculem in Lybiam proficiscentem à Typhone interfectum esse; revocatum autem ad vitam odore coturnicis illi ab Iolao admotæ, unde Erasmi proverbium: *coturnix Herculem.* In Sacramento equidem Pœnitentiæ carissima quæq; comburi necesse est, ibi jucundæ voluptatum carnalium coturniculæ & perdiculæ, ibi Melitenses catelli malè blandientium affectu concremandi, ibi omnis inordinata familiaritas, omnis sensualis cupiditas, omnis peccandi occasio per firmum & efficax propositum non peccandi de cetero immolanda: verum nidor ille mera nobis est vita, mera salus, mera resuscitatio; sic de Typhone Tartareo triumphamus. Et hoc modo triumphabit famosa illa Thais, quæ ubi pœnitentiam agere cœpit, omnem suum muliebrem*

Cyroll. in  
Joan. l. 12.  
c. 56.

Athen. l. 9.  
c. 15.

Q

brem

brem mundum meretricio quæstu collectum in forum contulit, ibidemque populo inspectante ausu plusquam femineo flammis consecravit.

II.  
Pabuli ad-  
jectione.

Matt: 25. 3.

D. Thom.  
3. p. 9. 75.  
A. 1.

Ad alterum porrò ignis resuscitandi modum transeo, qui est pabuli adjectio. Sine pabulo ignem vivere non posse quotidiana testatur experientia, quo deficiente ut statim deficit, ita adjecto continuo reviviscit. Ideo Vestales Romanae ut ignem cœlicum perpetuum conservarent, eidem alimentum diu noctuque suppeditare ex officio tenebantur; & fatuarum Virginum idcirco lampades extinctæ, quia non sumptulerunt oleum secum; prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Nunc nunc si unquam aliàs prudentissima Virgo Ecclesia ingenti copiâ pabula ministrat, quibus ignem gratiæ divinæ, & fervorem in nobis adaugeat. Ministrat enim per omnia passim Tempora SS. Eucharistiam, quæ uti proprium summeque necessarium, animæ (cui secundum Platonem plurimum cum igne commune) pabulum est; sic vehementer non accendere non potest, cum sit ex sententia Doctoris Angelici Sacramentum maxime charitatis. Hinc D. Chrysostomus dicere solebat, debere nos ab hoc divinissimo pabulo redire tanquam leones ignem spirantes Diabolo terribiles. Est enim hæc mensa ignis spiritalis plena, & quemadmodum fontes naturaliter scaturiunt aquam, sic hæc mensa flammam quandam continuam fovet. Et tales mihi videre videor discipulos illos duos qui sub vesperam hodierni diei toti tristes, meticulosi & pusillanimes Emmaunta pro-

fecti, adjuncte se illis Christo, toti ardere cœperunt: nonne, inquit, cor nostrum ardens erat? gustatâ verò postmodum Eucharistiâ (quam eis à Christo porrectam multorum fert sententia) planè sicut leones surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem. Non fatigatione itineris, ut loquitur Haymo, prohibiti sunt, non vespertina hora impedimentum timuerunt. Non eos irruentes tenebræ, & nox profunda (nam trium horarum illud iter fuisse nonnulli opinantur) exterruit, non portarum excubiæ & murorum custodes, non verbera & plagæ, quas in simili negotio experta est sponsa, dum dilectum suum per civitatem de nocte quærit: invenerunt me, ait, custodes qui circumveant civitatem; percusserunt me & vulneraverunt me; insuper tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. De leone Sapiens: leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Nec est Rex qui resistat ei, subdit Aben Ezra. Ita duo isti leones metum omnem ad eò exuerunt, ut licet tota Judæorum occurrant agmina, occurrant milites & armati, occurrant prædones, occurrant mille bestiæ, nullius pavebunt occursum, quia, ut noster loquitur Barradas, igne inflammati sunt; & Lyranus, quia ferebant. Talis leo & ille adolescens apud Palladium, qui dudum emortui pudoris vitæque profligatæ nepos cum vixisset, resipiscens tandem, & per divina Sacramenta spiritu renovatus, quò tutius priores culpas sepeliret, sepulchro quodam sese inclusit. Hic gemitus iterare, lachrymas fundere, solo adsterni, preces perpetuare, illudque

Davi-

Luc: 24.  
32.

Cant. 5. 7.

Prover. 31.  
30.

Davidicum affiduè occlamare; *Misere-  
re mihi Domine, miserere mei.* Pessimè ha-  
buit Cacodæmonem tam seria & ardens  
vitæ renovatio. Exacta igitur hebdo-  
made adest cum socijs, & vociferatur:  
quid agis hominû flagitiosissime? nem-  
pè jam libidinum spurcitiâ satur, vide-  
ri vis castus & Religiosus? & vires, quas  
inter flagitia consumpsisti jam Deo cõ-  
secras, cœlumque tibi polliceris Orco  
pridem devotus? Redi ergo, & quod ti-  
bi vitæ reliquum est, consuetis gaudijs  
consume. Non deerit voluptas, novis  
te delicijs fovebimus, juventutis florẽ  
reparabimus. Hæc terrore amicabili  
hostes Tartarei ingerebant. At adole-  
scens inter preces & lachrymas solo af-  
fixus hærebat; nec tamen illi precantem  
ijsdem cantilenis obtundere desistebat.  
Vbi nec minis, nec blanditijs quidquam  
profecissent, verberibus etiam, annuen-  
te Deo, in transfugam suum sævierunt.  
Tum insigniter contusum, deseruerunt.  
Die altero adsunt cognati, & pugnam  
movent periculosiorem. Quânto enim  
humanius egerunt, tantò potentiùs im-  
pugnârunt. Accumularunt preces mix-  
tas lacrymis, rediret saltem relicto se-  
pulchro, & suis viveret legibus, neminẽ  
impedimento fore, dummodo non re-  
pentè hominem exueret. Sed surdo ce-  
cinère fabulam Proxima nocte Dæmo-  
nes redeunt, acerbiùs sævituri. Nec ta-  
men alia vox atrocibus plagis expres-  
sa, quàm insigne illud constantiæ testi-  
monium: *malo mori, quàm vobis obsequi.*  
Nocte verò tertia rursus eo assultu, ter-  
roribus, tantaq; verberum sævitiâ in o-  
bluctantẽ ruunt, ut corpore inter pla-  
gas collapsò, constans animus hoc unũ

vocis emisit: *vobis nã obtempero.* Quã  
leoninã constantiã ac fortitudine tan-  
dem fracti hostes stygij; *vicisti, clamãt,  
vicisti, vicisti,* fugamq; non redituri ca-  
pessunt. Sed ò quàm paucos ejusmodi  
leones hodie est videre; quin potius ple-  
rosq; lepores, aut feminas meticulosas,  
quos unus lapis, una aliqua in concepto  
vitæ novę proposito difficultas tantum  
non exanimat. Unicus non dico Dæmo-  
nis, sed socij occursum, unicus ancillæ a-  
spectus rursus ad negandũ Christum cõ-  
pellit; unicum scommata, unicum rudi-  
culum verbum, in pristinum statum re-  
ponit. Volo dicere: occurrunt cuiquam  
à sacra exomologesi synaxique reduci  
veteres Sodales, cum quibus ille antea  
non tam modium salis, quàm centum  
modios siliquarum ablinxit; contem-  
plantur primùm vultum ejus & oculos  
divino igne non nihil flammicantes,  
mirantur ita compositum, taciturnum  
ac modestum, mox in sarcasmos & di-  
cteria prorumpunt: nunquid & tu u-  
nus ex devotulis & sanctulis factus es?  
numquid anachoretam aliquem terri-  
cum agere, hominemque exuere statui-  
sti? an tibi posthac boni non erimus?  
Hic ille ut sibila & fannas declinet,  
continuò alium vultum induere, in eo-  
rum societatem denuo jurare, anathe-  
matizare proposita in communionẽ  
concepta, & repetere illud Petrinum:  
*non sum, non sum* ille quem me esse di-  
citis. Simili modo si puella aliqua oc-  
currat, vivaciùs intueatur, arrideat, al-  
loquatur, continuò divina illa flamma  
deservescere, & in ejus locum Tartarea  
redire, quæ animam non tam accendit,  
quàm extinguit. Hoc hoc est non tam

Luc. 22. 58.



*Dominici*, quam Dæmonis Phæse celebra-  
re; illud (nim est transitus à peccato  
ad virtutem, ab iniquitate ad justitiam,  
ab immunditie ad sanctitatē, juxta Pau-  
linum dogma: sicut exhibuistis membra  
*Rom. 6. 19.* vestra servire immunditie & iniquitati ad  
iniquitatem: ita nunc exhibete membra  
vestra servire justitie in sanctificationem:  
hoc contrā est transitus, à virtute ad vi-  
tium, aut potius reditus à pœnitentia  
ad vomitum, à justificatione ad culpam,  
à novitate vite ad vetustatem, à resurre-  
ctione ad lapsum, à vita ad mortem.  
Transire enim D. Bernardo est in me-  
lius commutari; redire, pristinam for-  
mam reassumere; unde ipse audet di-  
cere: si post consummationem crucis in  
*Bern. ser. 1.* hac nostra mortalitate Christus revixisset,  
*de Resurr.* ego eum non transiisse dicerem, sed rediisse;  
proinde, ut se verum Pascha ostenderet  
agere, statim à sepulchro Galileam pe-  
tijt, quod transmigrationem sonat: ite  
*Matth. 28.* (inquit ad mulieres) nunciate fratribus  
*10.* meis, ut eant in Galileam, ibi me videbunt.  
Quot ego his ferijs Paschalibus ritè  
confessos & spiritualiter resuscitados  
non in Galilæa, sed in caupona, vel, ut

Maroniana phrasi utar, in antiqua silva,  
in antiquo stabulo & tumulto inveni-  
rem! O reditum deplorandum! O  
Pascha, in quo non tam Alleluja, quam  
hei! esset occantandum. Et ita deplo-  
rat illud memoratus Pater: ipsius plan-  
gimus solennitatis injuriam, quam dissi-  
mulare non possumus. Proh dolor! pec-  
candi tempus terminus recidendi facta est  
Resurrectio Salvatoris: ex hoc namque  
comessationes & ebrietates redeunt, cubi-  
lia & impudicitie repetuntur, laxantur  
concupiscentiys frena, quasi ad hoc resur-  
rexerit Christus, & non magis propter ju-  
stificationem nostram. De ovibus scri-  
bit Aristoteles, quod cum alijs quadru-  
pedibus intellectu magis careant, do-  
mo ardente vix eijci possint, ejectæ ve-  
rò, nisi vi retineantur, in ignem denuò  
redeant. Ita ovium stupiditatem imi-  
tantur, qui Sacramentorum ope è flam-  
mis vitiorum veluti de aliqua Sodoma  
extracti, in eas continuò recurrunt,  
quoniam in hoc ovibus infeliciores,  
quod hæ retineri valeant, illi minimè;  
& ideo sicut oves in inferno positi sunt;  
*Psal. 48. 15.*  
mors depascet eos.

Bern. supra

Arist. l. 2.  
anim.

DOMI-

## DOMINICA IN ALBIS.

Catholico-Hæreticus.

*Non credam.* Ioann: 20.

Albicans hodiernus dies nō pari cum proximo Dominico lætitia certare non potest. Vti enim ille Christo; ita hic Christianis resurgentibus facer est. Nuper revixit caput; hodie reviviscunt membra: nuper candidati incedebant Angeli; hodie Neophyti: nuper de Orco triumphavit Cœlum; hodie Ecclesia: omnes enim, quotquot antehac mortui Sacramentum vitæ (a) suscipiunt, Satanz omnibusque ejus pompis ac operibus renuntiant; ideo D. Augustinus tot eos encomijs in hodierno sermone celebrat, cum ait: *ad omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: verum tamen hodie terminata Sacramentorum solemnitate, vos alloquimur novella germina sanctitatis, regenerata ex aqua & Spiritu Sancto, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, & fructus laboris, gaudium & corona nostra, omnes qui statis in Domino.* At ecce unus aliquis Hæreticus communem lætitiā obturbare videtur, dum *Credo* primarium Ecclesiasticæ solennitatis signum ex hodierna Dominica intendit expungere. Error hic contra rubricas gravissimus. Si enim ne simplex quidem Dominica sine *Credo* esse potest, quomodo ea quæ *prima classis* est? Errorem auget circumstantia Personæ, cui ex officio Apostolico & Episcopali incumbit Rubricas

quàm exactissimè nosse, pro ijs zelare, & maximè pro eo symbolo in quo partem habet. *Nisi videro, non credam.* Quæ dementia! *nisi mittam digitum meum in locum, clavorum non credam.* Quæ pertinacia! *nisi mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Quæ audacia! Tu veritatis discipulus, tu Apostolus, tu unus ex duodecim non credes? tu Theologus fidem ex essentia sua obscuram oculatam facies? tu subtilissima ejus mysteria palpabilia existimabis? Tam crassam ignorantiam quasō quàm primùm depone, & noli esse incredulus, sed fidelis. Atque at proverbium vetustissimum est: *γινώσκει σεαυτόν*, nosce te ipsum. Incredulitatis Thomam supra modum insimulamus, cum inter nos ipsos, qui Catholicam fidem profiteamur, Hæreticorum plena sint omnia, quod modo declarabo.

Qui Hæreseos etymon hucusque investigarunt, non unam infausti hujus nominis dedere significationem. Alij ab *errore* & *recto* deducunt, quasi hæreticus sit qui errat à recto. Alij ab *herescor*, quod verbo veteri divido significat: alij ab *heremo*, quòd hæretici sint in opinionibus suis solitarij, & ab Ecclesia separati. Alij ab *herendo*, quòd adjunctam habeant pertinaciam, quæ errori suo adherent. Si Divum Thomam Apostolum attentius consideremus,

(a) Baptis-  
mum.

mus, inuenimus eum errasse à recto, quia diuina veritati multum derogauit, cum eam falli posse putauit. Audierat toties Magistrum de sua resurrectione differentem: *solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud* (Ioã. 2. 19.) *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, &c.* (Matt. 12. 40.) *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & occident eum, & tertia die resurget.* (Luc. 18. 31.) *Postquam resurrexero precedam vos in Galileam.* (Marc. 14. 28.) Has, inquam, & similes essentialiter veras audierat propositiones Thomas, & tamen post omnia audet dicere: *non credam.* Thomam hic imitantur ij Catholici, & eò magis Studiosi, qui cum tantam DEI, alterius vitæ & reliquorum fidei mysteriorum habeant cognitionem, cum tot salutare doctrinas identidem hauriant, scripturas sacras toties evolvant, nihilominus quæ legunt, quæ scribunt, quæ audiunt & percipiunt in actu exercito non credunt. Recitant equidem quotidie *Credo*; sed sicut ille psittacus Cardinalis Ascanij, quem Cælius Rhodiginus testis oculatus Latino idiomate fidei symbolum perpetua serie recitare solitum scribit, nullo penitus errore in eo recitando commissio. Quis eum pone cortinam stans non putasset Catholicum, imò pium aliquem & iustum virum? attamen diducto velo vidisset psittacum. Multi, uti dixi, sine errore recitant *Credo*, declamant toties ex libello Professionem fidei, tum quando in Sodales D. Virginis cooptantur,

tum quando Aristotelicam, Galenicam, Justinianeam, Theologicam accipiunt lauream; putares nescio quàm ferventes Catholicos, fideique zelotas; & ecce, quod Apostolus queritur, psittacorum more *confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant*, quolibet enim peccato Deum negari, docet D. Hieronymus, qui super allata Pauli sententia ita disserit: *Christus est sapientia, iustitia, veritas, sanctitas. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo; & quoties vitis vincimur, Deum negamus.* Nec aliud sentire videntur Theologi, cum peccatum dicunt esse *aversiorem à Deo*, & conversionem ad creaturam; avertere namque se à Deo, quid est, nisi Deum non velle noscere? Sic Dido, cum sibi benotus aliàs amator Æneas apud Inferos occurrit.

-- *dulciq; affatus amore est;*  
*Ille solo fixos oculos averfa tenebat.*  
*Nec magis incepto vultum sermone*  
*moveatur,*  
*Quam si dura silex aut stes Mar-*  
*pesia cantes.*

Potestne ullus dulciori nos amore affari, quàm Deus, qui *multifariam multisque modis, novissime etiam in proprio filio nobis loquitur*, futuraque non tam contingentia, quàm necessaria denuntiat. Et tamen quot ad ejus vocem saxei & marmorei stant! vix ullus movetur; vix aliquis credit. Luculento id exemplo pro more suo illustrat Serenissimi Electoris ac Ducis Bavarie Maximilianij facundus Ecclesiastes:

Duo,

Cælius Rhodiginus  
 l. 3. c. 32.

Tit. 1. 16.

Virgil. 6.  
 Æneid.

Heb. 11.

Drexel. de  
 infer. c. 16.  
 S. 5.

Duo, inquam amicitiae sinceritateque conjunctissimi erant, Pyladem istum, Orestem alterum dixisses. Vtrumque singulare pactum ita colligaverat, ut nil magis vellent, quam unam mori. Sed mors foederum omnium turbatrix candidissimam illam amicitiam brevi diremit, & alterum ab altero ex hoc in alium orbem transtulit. Nec tamen omnis omnino societas à morte dissolvi potuit, siquidem non multum temporis abiit, cum defunctus vivo se stetit aspectabilem; sed habitu vultuque mestissimo, tanquam si amico copiam faceret interrogandi. Exhorruit vivus ad tam inexpectatam amici praesentiam, & spectaculo tam lugubri perterrefactus stetit. Vbi verò animum refluxit, interrogare institit, num inter beatos ageret, aut quo loco res ipsius essent? Ad quae defunctus altum ingemiscens flebiles has voces ter clarè ingeminavit: *nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Cum alter iterum quamvis ore trepidò quaesisset, quidnam illud foret quod nemo crederet? subjecit defunctus: nemo credit, quam Deus rationes exactè poscat, districtè judicet, severè puniat. Quibus dictis disparuit. O verè, o verillimè dictum! exclamat Autor. Passim enim ita inter nos vivitur, ac si nullus Infernus, nullum Caelum, nulla corporum resurrectio futura esset. Clamatur & pulpitis toties: ibunt qui mala egerunt, in supplicium aeternum, in ignem qui nunquam extinguitur. *Et nemo credit.* In chartis, libris, aeternus fletus & stridor dentium toties explicatur: *Et nemo credit.* Aeterna gaudia, coelestes & a-

ternae voluptates, nunquam desitura, paradysi amoenitas quantis voluminibus commendatur! *Et nemo credit.* Plena omnia cohortationibus ad caelum, violenter expugnandum. *Et heu nemo credit!* Imò eò usque ventum est, ut nonnulli ausi sint dicere, ea quae de Tartari poenis & illarum acerbitate occlamantur, mera Sacerdotum ad terrendos homines figmenta esse, Græcis assentientes, qui de rebus vanis & anilibus proverbialiter dicere solebant: *qua apud Inferos.*

Incredulitatem istam non parùm admirans D. Ambrosius, ita in unumquemque ejusmodi Catholico-Hæreticum invehitur: *si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque aetibus scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur, atque aeternitatem; & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis offendere: hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere.* Inter ceteras visiones suas Propheta Zacharias commemorat & hanc: *vidi & ecce volumen volans.* Vbi D. Gregorius per volumen scripturam sacram intelligit, in qua fidei nostrae summa continetur. Hæc verè multis fidelibus est volans, quia perinde ac si foret aërea è mente illorum evolat, quodque vulgò dicimus, per alteram aurem intrat, per alteram exit. vix à Concione domum reditur, tota divini verbi evaporat memoria, *nemo cre-*

Lang. in a.  
dag: Græc.

Ambr: scr.  
4. de im-  
mort.

Zach. 3. 1.

credit. Dives ille Evangelicus cum sero nimis Infernum extare credidisset, petebat ab Abrahamo Lazarum ad fratres suos mitti, qui hoc illis idem testaretur, ne & ipsos venire contingeret in hunc locum tormentorum. Ad quæ Patriarcha: *habent, inquit, Moysen & Prophetas, audiam illos.* Reposuit Epulo: *non, Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent.* At ille: *si Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Et patuit enim verò in altero Lazaro Marthæ & Magdalenæ fratre, de quo ita Chryzologus: *sicut dives petijt, Deus Lazarum pro Lazaro misit. Sed quid missus, quid desideratus, quid resurgens profecit? patienter audite. Cogitaverunt Iudei, ut & Lazarum interficerent. Nolunt visa referri, qui volunt audita non credi.* Si modò unus aliquis mortuorū in medio nostri confisteret, si suggestum hunc loco mei conscenderet, si terrificâ suâ voce statum alterius vitæ enarraret, quantum amabò fructum faceret? Puto non majorem quàm defacto faciunt quotidiana funera, & passim in oculos incurrentes defunctorum calvæ, quæ de ossarijs suis assiduè illud perorant, & inclamant: *hodie mihi, cras tibi.* Et nemo credit. D. Thomas in hoc saltem laudabilis fuit, quòd ad primam Christi rediviui apparitionem crediderit: *quia vidisti me Thoma, credidisti:* at verò è Catholicis fuit, qui diceret: *etiam si infernum ante me apertum viderem, concubinam dimittere non possem.* O diabolicum dictum! imò plusquam diabolicum; nam & Damo-

nes credunt, & contremiscunt, ait Apostolus. De Gennadio quodam Medico mirum quid scribit S. Augustinus. Hic, inquit, adolescens aliquando dubitabat, utrum esset ulla vita post mortem. Sub hæc apparuit illi in somnis conspicuus Juvenis & dignus intendi, eique dixit: *sequere me.* Quem dum sequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi audire coepit à dextra parte, sonos suavissimos cantilenæ ultra solitam notamque suavitatem. Tunc intento quidnam id esset, ait hymnos esse Beatorum atque Sanctorum. Ewigilavit & somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Alia verò nocte ecce idem juvenis eidem rursus apparuit, atque ab illo utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste se eum bene nosse, simulque totum præcedens visum fideliter enarrat. Hic alter denuo percontatur, utrumnam id quod narraverat, in somnis vidisset, an vigilans? respondit, in somnis. At ille: *bene, inquit, recolis, verum est, in somnis ista vidisti.* Sed etiamnum in somnis te videre scias. Hæc cum audisset Gennadius, ita esse credidit. Tunc qui docebat hominem adjecit & ait: *ubi est modò corpus tuum?* Ille respondit: *in cubiculo meo.* Scisne eodem corpore nunc illigatos esse, & clausos, & otiosos oculos tuos, nihilque illis te videre? Scio, inquit. Qui sunt ergo oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obtinuit. Cui hesitanti, quod his interrogationibus docere moliebatur, alter aperit & dicit: *sicut oculi illi carnis tuæ uti-*

Iacob. 2. 19.

Aug. ep. 110.  
ad Evod.Chryzolog:  
serm. 66.

utique in dormiente, atque in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid operantur, & tamen sunt isti, quibus me intueris & ista uteris visione: ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ vita tibi inerit, quâ vivas, sensusque quo sentias. Cave jam deinceps, ne dubites, vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem.

Multi inter nos, quod de Corinthiis suis querebatur Paulus, in rebus fidei & salutis infirmi sunt, & dormiunt multi, quibus tamen sui non desunt Genij illustrantes, pulchrasque, subinde etiam terrificas visiones, eorum animis objectantes: sed quidquid obijciant, quidquid dormientibus loquantur, merissima putantur somnia; nemo credit. At somnia quandoque seria esse, serò nimis cognovit famosus ille Magdeburgi Antistes Vdo, qui cum cœlesti nuntio tertium ad se misso, atque commonenti:

*Da finem ludo, quia lufisti satis Vdo,*

fidem non haberet, sed in sua nihilominus lascivia persisteret, tandem ad tribunal Dei citatus est. Quadam enim nocte D. Mauritius in Ecclesiam suam (cujus Vdo erat Antistes) cum evaginato gladio procedens voce valida exclamavit: *omnes Sancti, quorum Reliquia hic habentur, surgite & venite ad iudicium Dei.* Tum subito maxima & præfulgida apparuit utriusque sexûs multitudo: subinde Christus Sole splendidior, stipatus Matre & Duodecimviris regali solio confedit, jus-

sitque Vdonem adduci. Raptus ille è lecto continuo adfuit. Hic D. Mauritius accusatorem agere, scelera ejus impurasque Veneres detegere, scandala ovibus proprijs data in faciem exprobrare, conclamantibus omnibus: *reus est mortis.* Itaque ad gladium ab æquissimo Judice condemnatus, ab ipsomet Mauritio sententiam exequentem decollatur. Spectavit hæc Canonorum nonnemo, & simul unus alius animam ejus à Dæmonibus ad aterna incendia abripi, ibiq; natali suo & amasijs maledicere, maneq; Clericis ad Ecclesiam venientibus Vdonem in suo sanguine tabefactum ostendit.

*Nisi signa & prodigia videritis, non creditis,* dictum est aliquando perfidis Judæis. At Christiani non est cur prodigia expectent, qui tot tantaque veritatis habent testimonia; quanquam

lex nova veteri longè prodigiosior, ad quam spectat vaticinium Joëlis in die Pentecostes à D. Petro recitatum: *erit in novissimis diebus* (dicit Dominus)

*effundam de spiritu meo super omnem carnem, & dabo prodigia in Cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.*

Quæ Hugo Victorinus mystice ita exponit: *Sol est Christus, Luna Ecclesia. Sol in tenebras versus Christus cruci affixus; Luna versa in sanguinem Ecclesia est Christi imitans passionem.* Quam autè horridum erit impijs magno illo die

videre in manibus ejus fixuras

ac loca clavorum,

*nemo credit.*

R

DOMI-

## DOMINICA II POST PASCHA.

Pædagogi munus divinum.

*Ego sum Pastor bonus.* Ioann: 10.

Loriæ ac honoris ambitiosa ingenia, ut semper magnifieri, & super alios extolli volunt, ita re nulla facilius offenduntur, quam tituli diminutione. In hoc summa Politicorum versatur hodie cura, scire quo quisque insigniendus sit titulo, quo ornandus epitheto, quæ huic illive personæ debeat appellatio; nam vel unam syllabam hic ommittere, est crabrones irritare. Politicorum servare leges videri poterat adolescens ille Evangelicus, qui ante Christum flexo genu (ut tantam decebat personam) procurrens, competenti se usum titulo putavit, dum rogavit: *Magister bone, quid faciam, ut vitam aternam possideam?* Et ecce tanquam si per excessum peccasset, continuo à Domino objurgatus est; *quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Sed an non & ipse Deus? an non Dei filius? Ita equidem; verum, ut Autor imperfecti docet, vel *ideo laudem sibi ab adolescente oblatam repulit, quia non quasi Deum bonum, sed quasi hominem bonum eum dicebat.* Quomodo tamen homo & Magister bonus audire non vult, qui seipsum hodie Pastorem bonum iteratò appellat: *ego sum Pastor bonus?* Dicebat aliàs de se: a Ioã. 14. 6. *sum Pastor bonus?* Dicebat aliàs de se: b Ioã. 15. 1. *a ego sum via.* b *Ego sum vitis.* c *Ego sum lux mundi.* d *Ego flos campi;* nec unquã d Cant. 2. 1. *dixit: ego sum via bona, vitis bona, &c.*

Marc: 10.  
18.

An fortè Pastorem agere divinum quiddam est? imò, si Doctore Nazianzeno credimus, divinissimum. Sic enim ille: *omnium, inquit, divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum.* Hæ sunt illæ ejus oves, de quibus tantopere gloriatur: *cognosco oves meas. Oves mea vocem meam audiunt. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.* Hæ sunt illæ oves, quas Petro in cælum abiturus tam sollicitè commendavit, ut tertio repeteret: *Simon Ioannis, si diligis me, pasce agnos meos, pasce oves meas.* Video complures de hinc præsentibus, qui & ipsi Pastores agunt, nonnullasq; Dei oviculas custodiæ suæ commissas habent; ac proinde eos mihi potissimum alloquendos duxi, non alio fine & animo, quam ut doceam divinum illis munus incumbere, & ideo instar Deorum debere apparere.

Et quidem dum oviculas nomino, pueritiã teneramque ac innocentem aetatem præcipuè nomino: semper enim ovis & agnus innocentie hieroglyphicum fuit. Hinc D. Cyprianus; *meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet.* Oves nominat, ut innocentia Christiana ovibus æquetur: *agnos vocat, ut agnorum naturã simplicem, simplicitas mentis imitetur.* Unde etiã vulgò de albæ mentis juvenulis dicere cõvenimus: *est sicut ovicula; est verus agnellus.*

Gregorius  
Nazianz.

Pierius l. 10  
Cyprian. l. 1  
de livore.

Qui-

I. Quicumque ergo innocentium ejus-  
 Pædagogi modi agnellorum curam suscipiunt, sint incul-  
 patæ vitæ. se, & sine navo. Ita mecum sentit.  
 Philosophus qui docet: "pædagogi  
 „ graves sint inprimis, liberique ab om-  
 „ ni vitæ crimine. Nam quemadmo-  
 „ dum nutricum quantò purius incorru-  
 „ ptiusque lac fuerit, tantò infantum,  
 „ qui eo aluntur, valetudo atque robur,  
 „ magis adjuvatur: sic ij, quò electiores  
 „ mores habuerint, eò etiam discipulis  
 „ firmiora relinquent probitatis altiùs  
 „ demum surrectura vestigia. Hoc ip-  
 „ sum, credo, Christus docere voluit,  
 Joann. 10. dum dixit: *qui Pastor est ovium, ante eas  
 vadit, & oves illum sequuntur.* Pastores  
 enim brutarum bidentum contrarium  
 ferè faciunt, & gregem non tam præ-  
 cedere, quàm subsequi solent, uti pa-  
 tet in Davide, cui divinitus dictum:  
 2. Reg. 7. *ego te tuli de pascuis sequentem greges.*  
 Chryso. Præcedere autem interprete Chrylo-  
 hom. 10. in stomo aliud nihil est, quàm, *gloriã vir-  
 epist. 1. ad tutis excellere; vel, juxta Gregorium,  
 Timoth. vitæ viam subditis vivendo denuncia-  
 re.* *Sic Pastor, inquit, operatione præci-  
 Gregor. 1. p. pius, ut vitæ viam subditis vivendo de-  
 Past. c. 3. nunciet, & grex, qui pastoris vocem mo-  
 resq, sequitur, per exempla meliùs, quàm  
 per verba gradiatur.*  
 Pædagogorum exempla & mores  
 sunt illæ virgæ maculosæ, quales ovi-  
 culis suis ob oculos ponebat Jacob, ut  
 Gen. 30. habetur *Gen. 30. tollens Jacob virgas po-  
 puleas virides, & amygdalinas, & ex pla-  
 tanis, ex parte decorticavit eas, detractis-  
 que corticibus, in his, quæ spoliata fuerant,  
 candor apparuit; illa verò, quæ integra  
 fuerant, viridia permanserunt, atque in-*

hunc modum color effectus est varius. Po-  
 suitq, eas in canalibus, ubi effundebatur  
 aqua, ut cum venissent greges ad bibe-  
 dum, ante oculos haberent virgas, & in  
 aspectu earum conciperent. Factumque  
 est, ut oves intuerentur virgas, & pare-  
 rent maculosa, & varia, & diverso colore  
 respersa. Quid tam frequenter pueris  
 ob oculos obversatur, quàm pædago-  
 gorum vitæ & exempla? hæc illi assidue  
 contemplantur ac observant, hæc phan-  
 tasiæ suæ tenaciùs imprimunt, hæc pro  
 idea habent, & secundùm illam simi-  
 les mores concipiunt, ac pariunt; nam,  
 ut vulgò dicitur; *qualis Rex, talis grex;  
 qualis Præceptor, talis discipulus.* Me-  
 morabile in primis est, quod de puero  
 apud Platonem educato scribitur: hic  
 enim aliquot annis sub ferula tanti Ma-  
 gistri exactis, domum remissus cum  
 Patrem suum exandescens, voceq;  
 contentiori usum animadverteret, rei  
 miratus insolentiam, prudentissimè ex-  
 clamavit: *proh! quid hoc monstri?*  
*nunquam talia apud Platonem vidi.* O  
 utinam sæpiùs ejusmodi exclamatio-  
 nes audire hodie liceret! utinam quilibet  
 puerorum & juvenum nostratum,  
 Platonem haberet! utinam visis alio-  
 rum ineptijs verè dicere posset; *nun-  
 quam talia apud Præceptorem meum vi-  
 di.* Sed vereor, ne si ab inferis redi-  
 ret Diogenes, baculi ei ad malos pæda-  
 gogos batuendos non sufficerent. Re-  
 fert enim de illo Priscianus, quòd cum  
 unum aliquem puerum indecentiùs ge-  
 rentem sese subinde conspexisset, pæ-  
 dagogum ejus forte præsentem baculo  
 percussisset, dicens; *cur sic instituis?* qua-  
 si indicare vellet, ut citatus loquitur.



„ Grammaticus ” primæ ætatis formato-  
 „ ribus potissimum imputandum esse,  
 „ si adolescentes evadant malè morati,  
 „ aut secus. Est quippe hæc ætas non  
 tantum *in vitium* ( ut malè meo judi-  
*cio cecinit Horatius* ) sed & in virtu-  
*tem cerea flecti*, & *monitoribus* suis non  
 tam *aspera*, quàm *mollis & ductilis in-*  
*star cera, qua impressas in se formas quas-*  
*fus. disput.* *cung, facile recipit*, sive figuram boni,  
 sive mali Angeli, juxta sigillum, quod  
 apprefferis. Hinc sapientissimè mo-  
*Arist. l. 7.* *polit. c. 17.* *padonomis, quales sermones & fabulas au-*  
*dire huic ætati conveniat.* Ec : *cuncta*  
*mala, sed ea maxime, que turpitudinem*  
*habent, sunt procul pueris removenda.*  
 Cur ita? quia, *a natura pueris innatum*  
*est imitari, eoq, differunt à ceteris animan-*  
*tibus, tum quòd aptissimi ad imitationem*  
*sunt, tum quòd primas disciplinas imi-*  
*tando acquirunt, & unusquisq, juxta imi-*  
*tationem gaudet.* Si ego hunc illumve  
 discolum puerum ac juvenem modò  
 rogarem: ubi inepte tam maturè di-  
 didicisti chartas lusorias tractare & al-  
 ternare? responderet mihi liberè: meus  
 D. Præceptor me docuit, nam sæpe e-  
 jusmodi lusum unà ludimus. Si ex al-  
 lio quererem: unde eam potandi ar-  
 tem hausisti, ut supra tuam ætatem,  
 cum adultis viris in culullis evacuandis  
 possis certare? diceret: D. Præptor-  
 ri meo scientiam istam debeo, à quo  
 sapius ad cauponam, quàm ad templū  
 ducor. Si tertium, quartum percon-  
 tarer; quis in os tuum tam spurca ver-  
 ba posuit: quis turpiloquæ præcepta,  
 lingua tibi tradidit? similiter confite-  
 retur: Præceptorem habeo, qui mihi  
 in similibus instar vocabularij & di-  
 ctionarij servit. Ah! hoc est non  
 tam Pastorem, quàm, quod Christus  
 queritur, furem & latronem agere; fur  
 enim & latro non venit, nisi ut furetur,  
 & mactet & perdat. Latrones ejus-  
 modi Pædonomi sunt, quia scandalo  
 suo maloque exemplo teneras Christi  
 oviculas perdunt, nativæque innocen-  
 tiæ spoliunt. Certè earum sanguis  
 de manu ipsorum severè requiretur;  
 uti requisitus est sanguis innocui Abel  
 de manibus impijssimi Cain, vel uti  
 sanguis illius pueri, de quo in Prato  
 spirituali. Latronis cujusdam tru-  
 culentiæ victima is fuerat, quem vel  
 occisus non cessavit persequi, ut ille  
 tandem ad asceterium veluti ad asy-  
 lum confugeret, scelusque vitæ rigore  
 expiaturus habitum religiosum assu-  
 meret. Sed neque sic importunum  
 accusatorem abigere potuit: quaquà  
 enim incedebat, umbram pueri lateri  
 suo hærentem semper habuit, atque  
 inclamantem: *cur me occidisti?* donec  
 tam longi cruciatus impatiens ab Ab-  
 bate efflagitavit, liceret sibi asceterio  
 exire & Judici se sistere. ” Ecce, inquit,  
 novem, ut nôsti Pater, annos egi in  
 cœnobio, & quantum potui jejunavi,  
 & continenter vixi, & cum omni quie-  
 te & timore Dei fui in subjectione; &  
 scio, quia illius infinita bonitas multa  
 peccata mea remisit mihi: verumta-  
 men aspicio sapius puerulum astantem  
 & dicentem mihi; *cur me occidisti?*  
 Hunc autem aspicio in somnis, & in  
 Ecclesia, & cum ad communionem  
 pergo, & in Refectorio, hæc eadem  
 mihi dicentem, & vel unà horâ non  
 sinit

*Moschus*  
*prato spirit*  
*c. 106.*

„ finit me quiescere. Ideo itaque Pa-  
 „ ter, abire volo, ut pro puerulo moriar;  
 „ frustra enim & sine ulla causa occidi  
 „ puerulum ipsum. Voti reus duplici-  
 „ ter factus, postridie quàm cœnobio e-  
 „ gressus fuerat, Diospoli in vincula ra-  
 „ pitur, quodque lacrymis expiare non  
 „ valebat sanguinarium crimen, sangui-  
 „ ne expiavit. Tanti erat temporalem  
 „ vitam uni puerulo ademisse; at quanti  
 „ non erit ademisse æternam? ô quàm  
 „ multò lamentabiliùs complures ado-  
 „ lescentes in valle Josaphat malis suis  
 „ Pastoribus occlamabunt: *cur me occidi-*  
 „ *sti?* cur immanissime Procustes bapti-  
 „ smali innocentia spoliasti? cur tuæ cu-  
 „ ræ & disciplinæ commissum non me-  
 „ liùs instituisti? cur pessimo exemplo  
 „ præivisti? Divinum tribunal testor,  
 „ quia nisi à te malè agere doctus, modò  
 „ non perirem; ah! *cur me occidisti?* Ve-  
 „ rumtamen, qui perditionis mihi fuisti  
 „ autor, eris & socius; habes enim in te  
 „ latam Judicis sententiam: *quicumque*  
 „ *scandalizaverit unum de pusillis, expedit*  
 „ *ei ut suspendatur mola asinaria in collo e-*  
 „ *jus, & demergatur \* in profundum lacu*  
 „ *cum Lucifero qui tertiam stellarum*  
 „ *partem secum traxit in perditionem.*

Matth. 18. 6.

\* Isa. 14. 15.

Ne, quod superi avertant, tam lu-  
 „ ctuosa catastrophe cuiquam contingat,  
 „ omnes ac singuli pro norma boni Pa-  
 „ storis accipite D. Franciscum Seraphi-  
 „ cum. Oviculam hic habebat, quam  
 „ ita religiosè educabat, ita salutaribus  
 „ monitis instituebat, ut planè juxta mo-  
 „ nasterij leges velut una de sororibus  
 „ viveret. Non illa cibum, non po-  
 „ tum capere, nisi priùs cœlum, unde

*omne datum optimum à Patre luminum*  
 „ descendit, suspiceret.

*Audit canentes in pio Fratres*  
 „ *choro,*

*Concedit illò præpropèra, nullo*  
 „ *duce;*

*Magnaq; ad aram Matris in-*  
 „ *flexo genu,*

*Suave balans, hæc saluè Virgi-*  
 „ *nem.*

*Matrem salutis animæ imper-*  
 „ *tit pium.*

*Et dum tremenda, præcinente*  
 „ *cymbalo,*

*Sacrificus altum surrigit myste-*  
 „ *ria,*

*Mora nulla, curvat poplites re-*  
 „ *verens pecus,*

*Et testem honoris indit osculum*  
 „ *solo.*

Ang. Ga-  
 „ Zaus pijs  
 „ hilar.

Potuit bruta & irrationalis ovicula ad  
 „ tantam pietatem formari, cujus non  
 „ pietatis capaces erunt oviculæ ratione  
 „ præditæ? O quàm sanctam haberemus  
 „ hodie juventutem, si plures essent Fran-  
 „ cisci! Francisca certè fuit pia Joannis  
 „ Gersonis Mater, quæ ut natum subli-  
 „ mioribus de Deo opinionibus imbue-  
 „ ret, cum jentaculi aut merendæ tempus  
 „ adesset, infantem in genua procumbe-  
 „ re jubebat, atque à communi ac libera-  
 „ lissimo omnium Parente Deo nuces,  
 „ castaneas, & quæ maximè cuperet,  
 „ poma postulare; preces profectò, si  
 „ modò ritè conciperet, non irritas futu-  
 „ ras. Vbi piæ fraudi opportunum ad-  
 „ huc infantem seriò id agere videbat,  
 „ tunc illa de superiori loco in præcantis

Rho. var.  
 „ hist. 1. 5. c.  
 „ 10. §. 10.

sinum,

finum, quæ optaverat, furtim jacere, ut ille de cœlo ea demitti nullus dubitaret. His artibus per infantiam in Deo spem omnem reponere doctus, in eam paulatim evasit sanctimoniam, quæ, singulari adjecta sapientia, nominis ac gloriæ eidem attulit immortalitatem.

II.  
Pædagogi  
sunt toti  
oculi.

Aug. ep. 3.  
ad Fortun.

Ovidius 1.  
Metam.

Altera boni Pastoris & pædagogi similiter divina qualitas est vigilantia, quam veteres in oculo symbolicè exprimebant; & idcirco DEVM summè vigilantem ac providentem volentes pingere, pingebant oculum cum sceptro: nec malè; Deus enim, teste Augustino, totus oculus est. Hoc etiam sine commenti sunt unum aliquem centoculum Argum, qui Jò Nymphæ in vaccam conversæ Pastor à Junone fuerit datus, ut ita ferè Ovidius:

*Centum luminibus cinctum caput  
Argus habebat.*

*Inde suis vicibus capiebant bina  
quietem;*

*Cetera servabant, atque in statione  
manebant.*

*Constiterat quocunq; loco, specta-  
bat ad Iò:*

*Ante oculos Iò, quamvis aver-  
sus habebat.*

*Luce sinit pasci: cum Sol tellure  
sub alta est,*

*Claudit - -*

Argo similis sit necesse Pædagogus, si oviculas suas bene custoditas cupit: semper pervigilet, quasi rationem pro eis redditurus, semper oculos in eas apertos & intentos habeat, quocunque loco consistendum, quocunque eun-

dum, nunquam non comes adsit; die solum foras educat, noctu diligenter domi concludat; alioqui facilè in lupos & feras incident, à quibus miserimè discerpentur, dilaniabuntur, devorabuntur. Exemplum hujus rei luculentum habemus in adolescente illo S. Joannis Evangelistæ, qui curæ cujusdam Episcopi traditus defectu custodia è bono pessimus adeoque latronum Dux & caput effectus est. Rem ita Ecclesiasticæ autor historiæ describit. Audite fabulam: quid dicam fabulam? imò veram & certam historiæ de Joanne Apostolo memoratam, quæ nobis constanter tradita est, & memoria firmè custodita. Vbi Tyranno (Domitiano) mortuo ex insula Pathmo Ephesum suam Joannes revertetur, quorundam rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, hinc Episcopos constituturus, illic integras Ecclesias ritè dispensaturus, alibi certos homines, sibi Spiritus Sancti instinctu demonstratos, in clerum delecturus. At cum ad urbem quandam non longè inde distantem, cujus etiam nomen nonnulli memorant, se contulisset, & alia quoq; officia, quæ ad animos fratrum inter se dissidentium conciliandos pertinebant, obijisset: ad extremum adolescentulum corporis viribus valentè, vultu & oris conformatione venustum, animi impetu flagrantem, forte conspicatus, statim in eum, qui ibi Episcopus erat constitutus, oculos convertit, eumque sic affatus est: hunc adolescentulum omni studio, cura & cogitatione, coram Ecclesia, & Christo teste, tibi tuæque fidei commendo, Quem cum

Euseb. Caf.  
l. 3. hist. Ec-  
cles. c. 17.

Baron. in  
1. annal. a  
Christi ab.

cum Episcopus in suam tutelam accepisset, & omnia se facturum fuisset pollicitus; Joannes eadem iterum atque iterum illi edisserit, ejusque fidem contestatur: Ephesum deinde redit. Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recipiens educavit, in officio disciplinaque continuit, fovitque humaniter, ad extremum Baptismi Sacramento illuminat. Postea verò, ubi sigillo Domini (nempe Sacramento Confirmationis) tanquam perfecta tutaque ejus animæ custodia obsignasset, nonnihil de cura & observatione in eo instruendo suscepta remisit. Quem quidem non solum liberior vivendi potestas, quam fuerat paulò ante tempus adeptus; verum etiam quidam adolescentes ejus æquales otio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum genere assvefacti corruerunt. Et primùm exquisitis conviviorum opiparatorum delicijs alliciunt, invitumque noctu deinde educentes ad furti societatem coeundam attrahunt: tum majora moliri flagitia hortantur. Iste pedetentim assvescit; & propter generosam animi magnitudinem, tanquam equus effrenatus, & nimium sibi suisque viribus præfidens, extra rectam viam impetu fertur; frenaque acriter præmordens, proclivius in profundum vitiorum gurgitem se præcipitat. Atque cum jam in desperationem salutis in Deo sita veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitavit, sed maximis quibusdam, ac nefarijs facinoribus admisis, ubi semel omni improbitate & nequitia perditus evaserat, nullam non sceleris labem

ex æquo cum alijs contrahere secum, statuit. Illis igitur in familiaritatem adscitis, & magnâ latronum turbâ collectâ, animo prompto paratoque se Ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, severitate denique acerbissimum præbuit. Interea temporis ubi necessaria ad rem, incidebat occasio, Joannes accersitur. Ille ubi alias res, quarum gratiâ venerat, recta ratione disposuisset: age, inquit, Episcope, depositum nobis redde, quod ego, & Christus, Ecclesiâ teste, quam gubernas, tibi commisimus. Hic primò attonitus obstupuit, arbitratus pecuniam, quam nunquam acceperat, à se per fraudem & dolum malum repeti: & tamen neque facile credere poterat, ea à se reposci per calumniam, quæ neutiquam habuisset; neque Joanni depositum repetenti omnino differre. Verum simul atque Joannes dixerat: adolescentulum repeto, & animam fratris; senex demisso vultu ingemiscens & lacrymans: ille inquit, mortuus est; nam nequam & perditus, & uno verbo, latro evasit; & jam pro Ecclesia, in qua versabatur, montem cum nefaria hominum sui similibus turba occupat. Apostolus ergo veste dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: quam bonum, ait, custodem animæ fratris tui te reliqui. Equus mihi illico adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab Ecclesia, ita ut erat, cum festinatione se eripuit. Profectus autem ad locum, à primis latronum, excubitoribusprehenditur; qui neque fugam parans, neque evitare studens, sed vociferans admodum, dixit: huc hujus

hujus rei causâ accessi; me ad Principem vestrum deducite. Qui quidem ad tempus, ut erat armatus, expectabat. Verùm ut Joannem adventantem agnovit, præ pudore fugam cepit. Hic verò ætatis suæ senilis oblitus, illum pro viribus properè insequitur, atque clamans: quid, inquit, filii meum ipsius patrem inermem & ætate confectum fugis? miserere laboris mei, fili, ne formides; adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te reddam rationem, & si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis; pro tua anima meam dabo: consiste; crede; Christus me misit ad te. Ille ubi hæc audierat, primum oculis humi defixis consistit; deinde arma abijcit, tum horrore perfusus graviter & acerbè lamentatur, senem ad se adventantem complectitur, fletu & mærore, quoad poterat, pro culpa satisfacit, & dextrâ solâ occultatâ lacrymarum undâ secundò baptizatur. Apostolus rarâ & constanti asseveratione ei se à Salvatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accedens, ipsam manum dexteram, tanquam aquâ pœnitentiæ ablutam purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Prodigii parabolam filij ad vivum hic Iusam quis non videat? nam & huic illud unum fuit exitio, quòd non melius domi paternæ custoditus, quòd sibi relictus, quòd liberè, quocumque liberet, vagari sit permissus. Nihil equidem juvenibus tam molestum accidit, ac sub custodia & ferula esse: sed si saperent, di-

cerent cum Bernardo: quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari pastores? quantò plures sentio mei curam gerere, tantò securior exco in pascua. Et quænam illa pascua? Respondet D. Ambrosius. Bona pascua divina sunt Sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt sacrarum scripturarum, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea, quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur; imò totus svaevolens efficitur, multò magis quàm oves Hispanicæ, quæ rosarino pascuntur; ajunt enim odorem illius herbæ in earum carnes derivari. Et quidni odorem svaavissimum de se exhalent, Christi oviculæ, quidni in lilia totæ transeant, si unà cum ipso pascantur inter lilia? Per lilia, ait Gregorius, quid nisi munda anima designantur, quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ fame opinionem proximis quibusque svaaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia proculdubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris svaavitatem donant. Studeant ergo Pastores, studeant Pædagogi oves sibi commissas ad bona pascua ducere, ne, si hædos oleant, unà cum ipsis in die judicij ab electis ovibus separati, statuantur.

à sinistris,

DOMI-

Ber. ep. 42.  
ad Henr.  
Senons.

Ambr. in  
Psalm. 118.  
Serm. 14.

Cant: 2. 16.

## DOMINICA III. POST PASCHA.

## Vita hominis horologium.

Veni hora ejus. Ioann: 16.



Vm in multis parca defectum naturæ ingeniosa supplevit ars; tamen haud scio, an usquam opportunius humanæ providerit reipublicæ, ac ubi irrequietum temporis cursum per horologia metiri docuit. Adeo quippe necessaria est hominibus temporis mensura, ut sine ea nihil ordinatè, nihil regulariter, nihil aptè, nihil concinnè fieri queat; imò Mundus universus quidam velut infernus est, ubi *nullus ordo inhabitat.* Non levis tamen inter scriptores viget controversia, quandonam usus horarum coeperit. Nonnulli docent veteribus prorsus incognitum fuisse, utpote cujus nec Aristoteles, nec Plato, præcipua orbis ingenia, sed nec quisquam illorum temporum æqualis meminerit. Plinius tamen primum gnomonices inventorem jactat Anaximenem Milesum. Alij probabilius inventum hoc Regi Judæorum Achaz vindicant, ut qui ducentis circiter annis Anaximene prior vixerit. Josephus & cum eo noster Clavius omnium probabilissimè ad primos usque Patriarchas artem istam extendunt, eamque sensim, uti alias scientias ad Ægyptios, ab his ad Græcos, ac demum ad Ausonios devolutam. Neque enim credibile est homines tam sapientes ita inordinatam vitam egisse, ut actiones suas citra

temporis instituerent mensuram. Hesychius tradit eos pedibus umbram metiri, sicque diem dividere solitos, tempusque cænx modò hac, modò illa pedum dimensione designasse. Sic meminuit Pollux umbræ decem pedum, quam vocat horam corpori curando opportunam. Hodie nihil usitatus horologiorum usu videre est, civitas nulla, nullum quantumvis vite oppidum tam necessario instrumento care sustinet, imò nobiles, ac principes personæ semper secum horologium gestant, apud quos juxta sapientis regulam, *omni negotio tempus est.* Non est tamen quòd pauperiores sortem hanc ipsis invident, unusquisque enim homo teste Seneca horologium est suas sibi metipsi denotans horas, ut præsentipatebit dictione.

Ternos potissimum horis indicandis modos humana adinvenit industria. Per Solis umbram; per rotas, & cymbala; ac demum per pulveres & arenam. Unde horologia alia sunt solararia sive scioterica; alia campanaria; alia arenaria.

Primum itaque homo est horologium sciotericum, cui umbra deesse non potest, quia docente Jobo *fugit velut umbra; & nunquam in eodem statu permanet.* Est umbra adeo fugax, & mobilis, ut singulis momentis locum suum, & mensuram mutet. Circa So-

Poll. l. 6.  
c. 8.

Eccl. 8. 6.

I.

Homo est  
horologiū  
Solare.

Job 14. 2.

S

lis

Job 10. 22.

Plinius l. 2.  
c. 76.

lis ortum & occasum apparet maxima, in meridie minima, & hodie non nisi trium pedum. Hinc pulchrè Richardus Pampoli: *umbra qua ex corpore lucido & opaco causatur, ab ortu Solis usq, ad occasum semper est transiens & fugiens: sic homo, qui velut umbra apparet, & verè non existit, quia citò evanet, ab initio ortus sui, usq, ad finem vite sue semper fugit, & est in recedendo à presentibus ad futura.* Quàm multos legimus, audivimus, imò & vidimus in ortu umbram nescio quàm longam projecisse, spes nescio quantas eximiae indolis, familiae promovendae, futurarum dignitatum & officiorum Regni principum in horologio suo ostentasse: & ecce in ipso meridie cum umbra spes omnes defecere, quaeque putabatur hora consistentiae, facta est hora obitus.

Virgil. 6. Aeneid. Non unus hic Marcellus Romanus aurem vellicat: pluribus accinere possem:

Ferdinandus IV. Rex Romanorum coronatus anno 1653. obiit 1654. \* mortuum Praga annorum: 16. April. 12. a. 1658. dñi studeret Rhetorica.

† Catharin: natà Comiti: de Sora. ita semper it comes.

Ostendent terris hunc tantum fata,  
neq, ultra  
Esse sinent - -

Necdum tuus Augustissime LEOPOLDE Augusti nominis frater Ferdinandus animo excidit, qui in summa plenaque luce, cum nullam, quam à se spargeret, haberet umbram, videri desijt. Quid dicam de te amplissimae familiae spes maxima Jarollae de Nostitz? \* heu nimis quàm citò decrevistis, qui paucis ab hinc diebus in medio juventutis studiorumque cursu ab oculis nostris evanivisti, Solem tuum nuper item occiduum, (volo dicere parentem tuam) † secutus; Solis enim umbra uti proles, ita semper it comes. Et ut tanto ma-

ior sit dicto fides, vosmet ipsi de vobis loquamini, qui aliquando meras meridianas, ut putabatis, in hoc mundo egistis horas; quid aliud dicetis, quàm quod vestri similes: quid nobis profuit *Sap. 5.* superbia, aut divitiarum jaectantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa tanquam umbra. Umbra enim transitus est tempus nostrum. Miror proinde nonnullas gentes tanto labore, tantisque sumptibus umbram mercatas, quales erant Sybaritae, Lydi, Persae, qui sibi umbracula per vias & agros erigebant, summas delicias reputantes solaribus radijs non contingi: haec, inquam, *Athen. l. 12. c. 4. § 14.* non parum miror, cum ex se ipsis sine arborum ramorumque; adminiculo umbræ oppidò satis habuerint. Et quamvis alicubi locorum homines umbræ expertes asserantur (scribit enim Pausanias, si quis aream Lycaei Jovis ingressus fuerit, ab ejus corpore nullam omnino umbram reddi: id tamen, *Pausan. in Arcad.* te alio scriptore, ænigmatice accipiendum: omnes enim, qui loci religione contempta eò sese immiserint, perire necesse est; mortuorum autem animæ umbram non jaciunt, unum eundemque terminum habent vita & umbra. Jam si stylum in hoc scioterico horologio quæramus, eum sat facete describit Poëta sic ludens in quendam:

Si tuus ad Solem statuatur nasus,  
hiante  
Ore tuis disces dentibus hora quanta est.

Sed non solis haec nasigeris debetur laus; totus quantus quantus est homo, stylus est, nam & recto & oblongo eminet

mīnet corpore, nullaque in eo est particula, cui non sua umbra absente etiam Sole respondeat. Laborarunt hactenus Mathematici vehementer, quomodo obnubilato Sole horas è stylo discerent; sed luserunt operam. Henricus tamen Rex Gallia loco Solis candelam habuisse fertur, quæ 24 lineis distincta 24. horas continuè ardens indicabat. Verùm sinceriozem hanc à me doctrinam hodie accipite: qui horas quocunq; tempore nōsse cupit, noscat se ipsum.

II. At at magis ut video placent horologia rotata, quæ uti phis artis habent & gratia, ita magis usu hodie increbuerunt. Antonianus puer duodenis apud Famianum Stradam hoc naturæ æmulum opus extemporaneo carmine ita descripsit:

Strada l.2.  
prolus.3.  
parte 2.  
Mureti.

*Hac qua meretur vocalis tempora moles  
Cum cœlo tacitum credite fœdus habet.  
Nam Cœlo Sol quidquid agit nocturne diuue  
Inscriptum nobis machina fronte refert.  
Artis opus mira. Ad terram reuolubile plumbum  
Nititur, & spiris trochlea versat onus.  
Pondere ab hoc motus nam dum vi vertitur axis  
Dentatas cogit mordicus ire rotas.  
Morsu illo implicitos obuersosq; orbibus orbes  
Pendula suspensò examine libra movet.*

*Æneus hinc monitor turri sonat, & simul horas  
Mobilis in scripto lingula in orbe notat.*

Celeberrima hodie sunt (ut Caroli V. annulum taceam) horologia Argentoratense, Patavinum, Venetum, Antverpiense, Bruxellense, Mechliniense, Wratissaviense, Olomucense, Gedanense, in quibus non solum horarum spatia infallibili mensurâ notantur, sed insuper cœlorum, siderumque cursus, multaque alia curiosa visuque jucunda exhibentur. Nec pratereundum illud, quod ab Aarone Perfarum Rege ad Carolum Imperatorem anno 807. missum est ex aurichalco arte mirifica compositum; in quo duodecim horarum curius ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis ejusdem numeri equitibus, qui completis horis per duodecim fenestras prius clausas exhibant.

Cranz: Sa-  
xon. l.1. c.19

Verùm nihil hæc omnia ad comparationem hominis, de quo ita Novar. E-nus: homo est horologium quod confecit lect. S.to.5. supernus ille artifex eximio quodam ar- l.9. excurs. 6. tificio, & in eo omnes necessarias rotas humana vita posuit, quæ potentia, sensusq; anima, & corporis sunt. Hæ rotæ tamen sæpe apud multos turbantur, qui ad minimum digiti tactum plus æquo solent tumultuari, strepere, in gyrum circumagi; nec inter præfixa sibi spatia consistere; volo dicere, qui passionibus suis moderari, easq; cohibere nesciunt. Apud alios contrâ stant, qui videlicet inertem vitam otio & tepore transigunt,



& neque in virtute, neque in literis (quorum sonum & specimen dare deberent) progredi curant. Sic quidam vir illustris à Burgundia otium in horologio stante symbolicè expressit, addito lemate: *ipsa quies vitium est*. Apud hunc illumve index malè incedit, qui aliud mente signat, aliud ore sonat; unde natum proverbium: *nescimus quotam apud illum sonuerit*. Rarum rotatile horologium est adeo justum quin subinde exeret; ita rarum hominem purum reperias qui non in aliquo exorbitet. Omnium justissimum horologium, quod vidit orbis fuit SS. Christi Humanitas, in quo æternus Pater plenissimum diem gratiæ per æquales 12. horas æqualissimè distribuit, juxta illud: *nonne 12. sunt horæ diei?* Hora 1. fuit Incarnationis. 2. Nativitatis. 3. Circumcisionis. 4. Oblationis in templo die Purificationis. 5. Professionis in Ægyptum. 6. Reditus in Nazareth. 7. Remansionis in templo. 8. Baptismi. 9. Prædicationis. 10. Transfigurationis. 11. Ingressus in Hierusalem die Palmarum. 12. Passionis. Et ecce (quod mihi observare licuit) nullam ex omnibus istis præterquam ultimam bonus Jesus vocavit suam. Sic SS. Matri primum à se miraculum in Cana petenti categoricè respondit: *quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea*. Quid? ergone reliquæ horæ alienæ erant? Erant sanè. Nam hora Incarnationis fuit Patrum, eam tot votis expetentium: *rorate cæli, Emitte agnum Domine dominatorem terræ; utinam disrumperes Cælos & descenderes!* Hora Nativitatis fuit Patrum; quibus Angelus: *ecce, inquit, evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator*. Hora Circumcisionis debebatur Synagogæ, cui tum Filius DEI quodammodo mancipabatur. Hora oblationis in templo jam multò antè promissa fuerat Simeoni: *responsum accepit Simeon à Spiritu Sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini*. Hora fugæ in Ægyptum erat Innocentium, quibus tum cades & passio pro Christi nomine decernebatur. Hora habitationis in Nazareth parentum; quippe tunc erat *subditus illis*. Hora remansionis in templo æterni Patris: *nesciebatis, quod in his que Patris mei sunt oportet me esse?* Hora baptismi pertinebat ad Spiritum Sanctum, qui tum in specie columbæ super caput Christi descendit, & aquas baptismi sanctificavit. Hora prædicationis fuit peccatorum: *non veni vocare justos, sed peccatores*. Hora transfigurationis data est colloquio cum Moyse, & Elia. *Et ipsi loquebantur de excessu quem completurus erat in Ierusalem*. Hora ingressus in Ierusalè fuit populi acclamantis: *Osanna. Benedictus qui venit*. Hora denique passionis & mortis unius Christi fuit, quia in ea propriè rem suam egit, *sciens IESVS quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo*. Multas & nos quotidie numeramus horas; sed nulla illarum tam propriè nostra est, ac ea quæ transeundum ex mundo. Hic de summa rei agitur, hic æternitatis bonæ vel malæ cardo vertitur, ab hac hora pendent omnia. Meritò ergo præ omnibus alijs curanda, prospicienda, attendenda; præsertim cum nesciamus quæ futura sit.

Omnia

Mundi lapis  
Lyd. c.  
19.

Christi humanitas  
justissimum  
horologium.

Ioann. 10.

Ioann. 2. 4.

Isa. 45. 16.  
64.

Luc. 2. 10.

Luc. 2. 26.

ibid. 51.

Matt. 9. 13.

Luc. 9.

Ioann. 13. 1.

*Omniem crede diem tibi diluxisse  
supremum.*  
canebat Poëta: sed adhuc rectius ceci-  
nisset:

*Omniem crede tibi pulsum sonis-  
se supremum.*  
Sancta & salubris est cogitatio, quo-  
ties cymbalum sonat, mortis memini-  
se, Matrem agonizantium salutare, de-  
precari, & ab ea opem suppliciter po-  
stulare cum affectu ingeminando illud  
affectuosum carmen:

*Maria Mater gratia  
Mater misericordia.  
Tu nos ab hoste protege  
Et mortis hora suscipe.*

III.  
est clepsy-  
dra.

Sed jam Clepsydræ (quæ tertia horo-  
logiorum est species) ob oculos hic mi-  
hi ponit Seneca epist. 24. ita scribens:  
*quotidie morimur; quotidie enim demitur  
aliqua pars vita, & tunc quoque, dum cresci-  
mus vita decrescit. Infantiam amisimus,  
deinde pueritiam, deinde adolescentiam:  
usque ad hesternum quidquid transijt tem-  
poris perijt: hunc ipsum, quem agimus  
diem, cum morte dividimus. Quem-  
admodum clepsydræ non extremum stil-  
licidum exhaurit; sed quidquid ante de-  
fluxit, sic ultima hora, qua esse desinimus,  
non sola mortem facit, sed sola consummat.*  
Clepsydras antiqui ex aqua faciebant,  
unde etiamnum nomen mansit à Græ-  
co *κλεψυδρα* quod est aqua, & verbo *κλεπω*  
quod est subduco. Aqueas nos esse cle-  
psydras jam pridem Thecuitis illa docuit,  
quæ dicebat: *omnes morimur, & quasi  
aquæ dilabimur.* Quia verò hac tempè-  
state pulverarijs, & arenarijs magis u-  
timur; non item difficile erit clepsy-  
dræ ex unoquoque formare; cum  
quotannis cuilibet nostrum dicatur:

*memento homo quia pulvis es.* Scribit no-  
ster P. Spoelbergen; puellam quandam  
amantis defuncti cineres, quem dum-  
is viveret, stultè deperierat, conatu stu-  
dioso collegisse, atque intra vitrea va-  
scula conclusisse, horasque ad dilectos  
illos cineres noctu diuque lacrymando  
metitam. Cui horologio quidam Poë-  
ta sequens epigramma subscripsit.

*Perspicuus vitro pulvis qui dividit horas,  
Dum vagus angustum sepe recur-  
rit iter,*

*Olim erat Alcippus: qui Galla ut vidit o-  
cellos,*

*Arfit, & est subito factus ab igne  
cinis.*

*Irrequiete cinis miseris testabere amantes  
More suo nulla posse quiete frui.*

Multi etiamnum in amore tam stulti  
sunt, ut suorum dilectorum, & dilecta-  
rum cineres non modò aspicere in vi-  
tro, sed cum Artemisia in super bibere  
& epotare vellent. Sed quàm salubrius,  
& consultius facerent, si promiscuè ci-  
neres ex ossario in clepsydræ collige-  
rent, & ad eos flendo horas ducerent  
ruminantes idem illud:

*Heu! heu! nos miseris quam te-  
tus homuncio nil est.*

Et illud alterius Poëta: *pulvis & um-  
bra sumus.*

Florentinus quidam Civis sepulchro suo  
duo horologia incidi fecit, alterum sola-  
re; arenarium alterum, addito unico verbo  
loco lemaris *Sumus* sc. pulvis & umbra.  
Vegetos ego vos modò video colore  
vivido, robustis viribus, integro corpo-  
re, facie serenâ; sed fortè cras vel pe-  
rendie de hoc aut illo vestrum audiam:  
*venit hora ejus; effluxit clepsydra.*

SVMVS.

DOMI-

2. Reg. 14.  
14.

## DOMINICA IV. POST PASCHA.

Veritas oppugnata.

Docebit vos veritatem. Ioann. 16.

Arist. l. 1.  
Metaph.

Quandoquidē Philosopho  
asseverante : *omnis homo  
naturaliter scire desiderat* ;  
quid aliud magnum hoc  
Univerſum dixerō , quā Univerſita-  
tem & Gymnaſium , in quo omnis ge-  
neris ſtudia , arteſque ſine intermiſſione  
docentur ? Hic verē locum habet il-  
lud Poēta :

Virgil. 2.  
Aeneid.

*Scinditur incertum ſtudia in con-  
traria vulgus :*

quando alius mercaturā , alius ſtudet  
agriculturā ; iſtum tenet venatio , il-  
lum piſcatio ; huic architectura placet,  
illi pictura ; iſte Bellonam , hic Miner-  
vam ſequitur ; hunc delectat Gramma-  
tica , illum Muſica ; hic fingit odas , iſte  
ollas ; hic rhetoricatur , iſte ruſticatur.  
Ita nullus eſt , qui aliquid non diſcat.  
Verū enim verō omnium ſtudioꝝ  
homine digniſſimum eſt , ſtadium ve-  
ritatis ; nam , ut magnus Magiſter Tul-  
lius docet : *homini eſt propria veri inqui-  
ſitio*. Veritas , inquit Ludovicus Vives ,  
*maximē convenit menti* , Veritas , Mar-  
filio teſte , *Virum reddit dignitate dignū*.  
Veritas ex ſenſu Demotheſis homines  
Deo ſimiles facit. Veritas Aſchinis  
iudicio , omnes humanas cogitationes  
facile ſuperat. Veritas ſecundū  
Epiſtetum , res omnium eſt pretioſiſſi-  
ma : deniq ; (liceat cum Perſis acclama-  
re) *magna eſt veritas & prevalet*. Hinc

Cic. l. 1. offic.  
Vives de  
contēpl. l. 2.  
Mars. Fic.  
l. 1. ep. ad  
Franc. So-  
dernium.  
Stob. ſer. 11.3<sup>o</sup> Eſdr. 4.  
41.

Gentiles Philoſophi in luſtra & teſqua  
ferarum abdebant ſeſe , quō liberiūſ in-  
quirent ; *exiſtimantes* ( ut cum La-  
ctantio loquar ) *multō eſſe præclarior hu-  
manarum divinarumq ; rerum inveſtiga-  
re ac ſcire rationem , quā aut ſtruendis  
opibus , aut cumulandis honoribus inhære-  
re*. Cupiebat etiam inter alios veri-  
tatem doceri Pilatus , dum è CHRISTO  
quæſivit : *quid eſt Veritas ?* ſed tam ob-  
tuſo dicam an cæco ingenio fuit , ut co-  
ram ſe ſtāntem non agnoſceret , imō id-  
circo reſponſum non audiit , quia illud  
è proprijs verbis anagrammaticē colli-  
gere poterat : *eſt vir qui adeſt*. Proſi-  
tebatur Chriſtus apertē coram diſcipu-  
lis ſuis : *ego ſum veritas* ; paulō poſt  
tamen ſubjecit : *ſi abiero , mittam ad vos  
Paracletum , ille vos docebit veritatem*.  
Quomodo docebit , quā apud ſe tam  
diu habuerunt ? an fortē cum Judææ  
Præſide ita ſtupidi erant , ut triennio ro-  
to diſcere non potuerint ? Certē ipſe  
Magiſter non dubitat illis exprobrare :  
*tanto tempore vobiscum ſum , & non cogno-  
viſtis me ?* Quiſ mirum ? Piſcatores  
idiotæ erant , & à puero remos potiūſ  
quā calamos tractare docti , magiſq ;  
de captura ſalparum , quā Proceſſio-  
ne divinarum Perſonarum diſcurrere  
gnari. Elevatione proinde ( Philoſo-  
phis loquor ) & virtute ſupernaturali  
ad tam ſublimē doctrinā percipien-  
das

Lact. in-  
prefat. Inſt.

Ioann. 18. 38.

Ioann. 14. 6  
Ioann. 16.

Ioann. 14. 9.

Luc. 24.  
49.

das opus habebant, quam virtutem in Spiritu Sancto postmodum acceperunt, juxta illud Christi dictum: *sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Video vos AA. omnes veritatis studiosos esse; quid enim aliud in Theologia, quid in Jurisprudencia, quid in Medicina, quid in Philosophia, quid demum in Artibus Liberalibus quaritis, quam *Verum*? Scientia enim in communi definitur: *cognitio certa & evidens deducta ex premissis certis & evidentibus.* Sed nulla tam felix scientia hactenus reperta est, quæ omnes suas conclusiones certò & evidenter demonstrasset: opinionibus, quin & fallacijs in scholis permixta sunt plurima. Solius Spiritus Sancti doctrina ita undiquaque est sincera, ut nullam erroris falsique suspicionem admittat. Quam quia tres celeberrimi Sophistæ incessanter oppugnant, placuit, (ut contraria contrarijs opposita magis elucescant) illorum sophismata discutere.

lib. 1. epig.

Bernardus Bahusius Soc. Jesu, Poëta piè acutus epigramma scripsit, quo unumquemque literarum studiosum sic ferè commonefacit:

Sophistæ  
qui?

*Vnum Grammaticum, Logicumq; & Rhetora vita,  
Hos modo vitaris, cetera tuta tibi.  
Quis Rhetor? Mundus. Fallax Logicus? Cacodæmon:  
Semper declinans est Caro Grammaticus.*

Ecce Sophistæ veritatis eversores, meritoque odibiles, juxta illud Eccli. 37. *qui sophisticè loquitur odibilis est.* Sophismata (docet hic Augustinus apud Cor-

nelium) sunt falsæ conclusiones rationum, & plerumque veras ita imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus attentos decipiant. Quale est illud, quod proposuit quidam Diogeni: *quod ego sum, tu non es.* At ille consensus: verum enim erat ex parte. Tunc iste adjecit: *atqui ego homo sum.* Hoc quoque cum ab illo accepisset, concludit: *tu igitur non es homo.* Huc facit illa captio inextricabilis Crocodili, ut est in fabulis. Rapuerat hic aliquam puellam; quam cum jam ducto rictu in vastum oris & ventris hiatus demittere pararet, accurrit anghela Mater, multisque lacrymis & obtestationibus sibi filiam reddi postulat. Promittit se redditurum serpens; sed ea lege, si Mater verum diceret, quidquid ipse de reddenda vel non reddenda puella apud se decrevisset. Inextricabilis bonæ Matri Labyrinthus hic accidit. Nam si dixisset: *reddes*; si reddere non statuisset, verum minimè protulisset. Contrà, si dixisset: *non reddes*, reddere non debebat, alioqui vera non fuisset propositio. Bene ergo similes captiones vocat Quintilianus *Crocodilinas.* Et traduntur eæ quidem Philosophiæ Tironibus, sed ad eludendum, non illudendum, aliàs non effugerent censuram Hegesandri antiqui inter Græcos Poëtæ, qui tales *captiosulos*, (quantum ex Græco vertere licuit) appellat *nugicanoricrepas, Noctilarentiferos, Manticobarbicolas, &c.* Romani eos sapius finibus suis populère ceu Reipublicæ noxios & impostores, qui (Platonis verba sunt) *cum hominibus ludent supplantantes ac evertentes illos,* eo-

Plato in  
Euthyd.  
rum

rum more, qui sedere volentibus scabella subtrahunt, & delectantur dum supinum jaccentem vident.

I.

Dæmon.

Nemo tamen unus in fallacijs cuedendis Cacodæmone hæctenus exercitator fuit. Hinc cum S. Gregor. Nazianzenus vocat: *Sophistam struendam malitia primarium*. Et D. Basilius: *primum & maximum & invisum humana sapientia Sophistam*. Et Rupertus: *odibilium Sophistarum maximum*. Et ipse Dominus de illo: *cum*, inquit, *loquitur mendacium, ex proprijs loquitur*. Hoc

Nazianz.

Orat. 14.

Basil. hom.

22.

Rupert. l. 3.

in Gen.

Ioann. 8.

4. 4.

Bernard. ser.  
de quadris.  
debito.

Ecoli 4. 5.

Cresoll.

antkol. c. 1.

3. sect. 2.

est, ut Lyranus exponit, ex habitu malo, in quo est obstinatus; vel, ut Evthymius: *propria loquitur*; nam proprium ejus est mendacium, siquidem ipse primus invenit illud, & primus usus est illo, quando ad Evam mentitus est, dicens: *nequaquam morte moriemini, & eritis sicut Dij*. Induit ille sapiens etiamnum Crocodilum aut serpentem, cui familiare est, inquit Bernardus: *per sinuosa volumina nunc caput caudam, nunc caudam capite tegere*. Disputat identidem cum hoc illòve adolescente: cur præcepit tibi Deus, ut non legeres hunc vel illum amatorium libellum, ut non adires hanc illamve famosam domum, non te catui luxuriantium & grassantium misceres? Respondet Adolefcens primùm quasi subdubitans: ne fortè moriar. Scriptum est enim: *anima qua peccaverit, morte morietur*. Tum Sophista Tartareus acriùs instare: *nequaquam morieris*. Non audisti contra scriptum: *peccavi & quid mihi accidit triste? scias velim*? Deum non esse tam severum, quàm malè feriat Concionatores blaterant: sufficit unicum pecca-

vi, unica pectoris tuansio, ad omnia flagitia obliteranda, tametsi quis vitam omnem in omni genere voluptatis & nequitia posuisset. Et, ut in forma Syllogistica res clariùs pateat: quod Sancti fecerunt, potes & tu facere. Sed Sancti quandoque gravissimè peccarunt: igitur & tu peccare potes. Ecce fallaciam, ut Dialectici vocant, *compositionis*, quando aliquid concluditur in sensu composito tanquam verum, quod duntaxat verum est in sensu diviso. Peccarunt equidem Sancti, sed amittendo sanctitatem, non retinendo. Talibus nihilominus fallacijs complures decipit, & ut vulgò loquimur, infaccat, vel, ut noster Cresollus sicut aranea muscas involvit. Est enim & hoc bestiolæ genus mirè captiosum; hinc in historia Ecclesiastica proditur, consuevisse Dæmonem araneæ formam sapiens assumere. Rectè id quidem, verba citati autoris sunt, & Dei factum providentiâ, ut prædonis ingenium & mores agnosceremus. Nam in corde, ut in medio reti consistit & speculatur; si quis bonum consilium suggerit, & à mala vita dehortatur; si virtutum exemplum oculis objiciatur; si tangit mentem Dei lumen, & cœlestis inspirationis, quâ melior fieri homo possit, & statum velle suum tam periculosum relinquere; subito accurrit, & omnia illa salutis adjumenta, vel potiùs argumenta conatur evertere. Ita decipit Radbodum Frisonum Regem, cum ei Infernum non ut pœnarum locum, sed velut Regium domicilium, idque omnibus bonis refertum sub specie augustissimi palatij ostendit.

Ita

Baron. tom.  
9. an. 7194

Ita infaccavit & irretivit hic Præ-  
 studiosum illum (non vetus fama est)  
 cui per Judæum Apellam, auri præ-  
 missio pretio, pervasit rhedam con-  
 scendere, velatisque oculis sese tanquã  
 cæcum ad nobile prostibulum raptari.  
 Perurgebant quidem hominem in con-  
 trarium rationes solidæ ex Dei offensa  
 pœnisque inferni petita; sed hæc una  
 solutio, dicam an resolutio erat illi ef-  
 ficacior: quid interest semel delinque-  
 re? an non pœnitentiæ habeo tribunal?  
 una Confessio totum expiabit. Sed ô  
 infelicissime Juvenis, non tam facile,  
 ut putas, divinæ jacturam gratiæ (quæ  
 tibi omnibus Mundi thesauris potior,  
 esse debuit) reparabis! In Spiritum  
 enim Sanctum peccasti, ut qui de mise-  
 ricordia Dei præsumpsisti, Dei bonita-  
 tem pro mœtivo & fine tui peccati as-  
 sumpsisti, verbo in malitiam consensi-  
 sti, quia Deum bonum sciebas. Audi  
 nunc contra te sententiam: *quicumque*  
*dixerit verbum contra Spiritum Sanctum,*  
*non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq;*  
*in futuro.* Hoc est, ut Cornelius à La-  
 pide, & Interpretes passim explicant:  
*difficulus remittetur*, quo sensu mor-  
 bum incurabilem vocamus, cujus dif-  
 ficilis est curatio. Rarò talibus Deus  
 dat auxilia efficacia, ut seriò contera-  
 tur ac doleant. Sic unus alius Juvenis  
 ut genere nobilis, ita vitijs infamis,  
 dum à familiaribus commoneretur,  
 vitam corrigeret, respondit pervicaci-  
 ter. Tria verba in extremo agone  
 (*Miserere mei Deus*) dicam & icelera  
 omnia expiavi. Non ita multò post  
 per lacerum pontem forte eques per-  
 git; & en equus, quem acrius perurge-

bat, tumultuabundus unà cum Sellore  
 in subiectas undas defilit; utrumque

*Torquet agens circum & rapidus*  
*vorat equore vortex.*

Virgil.  
 Aneid. 1.

hic perditus Juvenis in desperationem  
 actus tria novissima verba proloquitur.  
 Sed quæ? *capiat omnia Damon.*

II.  
 Mundus.

Dialectico relicto jam Mundum  
 Rhetorem audiamus. Sunt enim &  
 Rhetoribus Sophismata, sunt fallaciæ,  
 adeo ut priscis seculis antonomasticè  
*Sophista* appellarentur. Nòrunt quip-  
 pe verbis addere fucum, nòrunt dicta  
 colorare & ex minimis facere maxima.  
 Sic Lucianus orationem integram com-  
 posuit in laudem muscæ; sic Maro poë-  
 ma, & librum pene integrum de laudi-  
 bus culicis.

Mundo quis Oratorum unquam fuit  
 facundior? scit ille sua bellè vendere,  
 adhibet nescio quæ verborum lenoci-  
 nia, & figuras, auxeses, hyperbolas,  
 hypotyposes, ut persvadeat opes ac ho-  
 nores summum bonum, imò divinum  
 quidpiam esse; proinde per fas & nefas  
 ad eos grassandum, nihilque non ten-  
 tandum ut magnus fias.

Sed, ut bene Jacoponæus monet  
 hymnus:

*Plus crede literis scriptis in gla-*  
*cie.*

*Quàm Mundi fragilis vana fal-*  
*lacia:*

*Fallax in præmijs virtutis spe-*  
*cie,*

*Qui numquam habuit tempus fi-*  
*ducia.*

multa verba dat: sed plerumque, ubi  
 multa verba, multa mendacia. Quot  
 & quanti hactenus questi sunt, se à

T Mun-

Mat. 12.  
 32.

Dauroult.  
 flor. exëpl.  
 c. 6. tit. 38.

Mundo turpissimè deceptos! Nota sunt Lunarum, (a) Volsæorum, Guisiorum, Essexiorum. (b) Calderoniorum exempla. (c) Recentius dabo. Non multis abhinc annis Hispaniæ quidam Grandis sive optimas fuit, qui cum supremam ageret luctam, amicorum aliqui, illo etiam inspectante, sed vi morbi impedire non valente cubiculum diripere non sunt veriti. Effringuntur, cistæ, nudantur parietes, detrahuntur tapetia, supellex aufertur, asportantur vestimenta; tandem sublectis omnibus ipsum quoque lecti stragulum morienti sublegitur; non est, qui consoletur eum. Quod ille videns, oculos, quamvis jam in morte natantes, ut potuit in lacrymas, simulque præfractam linguam in has ferè voces resoluit: ô nequam Munde! si DEVM tam diligenter coluissem, quàm colui Regem, non me desereret modò. Jam animadverto AA. quæ causa sit, cur Spiritus Sanctus arguat Mundum de justitia. Injustissimus enim & injuriosissimus est Mundus, ut qui pro benefactis malefacta, pro meritis injurias reponit, non secus ac ille Draco, apud P. Bidermannum, qui è profunda scrobe extractus servatorem suum præmij loco deglutire voluit; hoc eum elencho convincens. "Quam homines, sive

"Mundus clientibus de se bene meritis præstat mercedem, & ego tibi ex pacto præstabo. Atqui hic consuevit impensa beneficia repensis maleficijs æquare, & summa cujusque merita paribus injurijs ulcisci. Igitur & me idem facere par est. Testor te, qui mundum præ alijs expertus es, sapientissime Salomon; ediffere sodes, quæ tibi de illo mens, quæ sententia? Ego (sic ipse loquitur de se) fui Rex Israël in Jerusalem: magnificavi opera mea, edificavi mihi domos, coacervavi mihi argentum & aurum; feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceos ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis. Tandem vidi in omnibus vanitatem. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Vanitas & mendacium apud Davidem synonyma sunt; cujus mihi investivâ tantisper uti liceat: filij hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Quàm vereor, ne quod Jephthe aliquando in propriam filiam cum dolore questus est: heu me! filia mea decepisti me: idem multi vestrum sub vitæ finem de mundo querantur: heu me! mendacissime Munde, quomodo decepisti me. Egregius impostoris hujus typus fuit ille Morio, qui Ratisbonæ, (dum illic Matthias Imperator cum tota aula degeret) in atrio aulae Cæsareæ theatrum erexit, pretiosas vestes, aurea & argentea supellectilia, torques, arma, & quidquid apud Palatinos in pretio est, longa serie collocavit. Quibus ita comparatis omnis ordinis ac conditionis homines tympanis & sistris convocantur; nec difficile erat ad rei novitatem multitudinem cogere. Jamque adeo angustæ erant atrij spatia, cum ipse prodit morio urnam fortunæ manu quatiens, levique pretio ad ingentia lucra spectatores animat. Hic ergo quisque primus

(a) de Alvaro Luna V. Maria-nam l. 22.

rer. Hiss. (b) V. Henric: Engelg. part. 1. Luc. Evag. Dō. 16. Pentec.

(c) de Calderonio vide supra Dominica 3. Advent.

Petri D. ulterm. A. mor incre-atu.

V. Bidermann. in A. cromat. l. 1. acroam. 3.

Eccl. 1. 12. 2. 6. & seqq.

Psal. 4.

Judic. 11. 31.

Zebennet ver. m. cōsc.

mus in theatrum conscendere, in an-  
que urnæ inferere; quâ illico reductâ,  
cum rubore abscedere, néve in super-  
ludubrio ac risui esset, se deceptum sci-  
tè dissimulare. Posuerat enim hic Sy-  
cophanta in urna vivum echinum, qui  
prædatores tuos egregiè & planè ad  
pœnitentiam compungebat. Mira-  
sui sequacibus proponit & promittit.  
Mundus, perstringit oculos auri, & ve-  
stium fulgore; interim latet echinus in  
olla; latent spinæ, quæ non tam manû  
prehendentis, quàm animum crudeliss-  
simè pungunt & sauciant; nam ut be-  
ne dixit Ambrosius: *irruiles homo licet*

Amb. l. 3.  
hexam. c.  
11.

Greg. hom.  
15. in Evan.

*splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis;  
semper tibi spina proxima est, super spinas  
germinas, nec prolixa manet gratia* Et  
Magnus Gregorius: *divitiæ spinæ sunt,*

*quia cogitationum suarum punctio-  
nibus mentem lacerant; & cum usq; ad pecca-  
tum pertrahunt, quasi insulso vulnere  
cruentant. O ludibrium! ô imposturâ.  
Spectatum admissi risum effundatis  
amici.*  
Ingeniosè inter ceteros observa-  
vit D. Paschasius, quo mysterio opti-  
mum aurum ex Ophir, & non aliunde  
Salomoni suppeditatum fuerit, & re-  
spondet: *Ophir idem est, quod risus. Ex  
Ophir igitur aurum purissimum advectum  
fuit, ut indicaretur, aurum, argentum,  
& quidquid Mundus in pretio habet, mo-  
rum esse risum & ludibrium.*

Paschas. l.  
4. in Thre.  
Hierem. li-  
tera Beth.

III.  
Caro.

Et quis demum ille sese objicit pueri  
obesuli specie, turgentibus & bene ru-  
bentibus buccis, sub axilla pulvinum,  
manuum alterâ Quintilianum præfe-  
rens? *semper declinans est Caro Gram-  
maticus; Sophista eo reliquis pericula-*

*fior, quò gratiosior. Vultis ejus decli-  
nationes nosse? dabo ordine:*

Prima Declinatio: *hæc pœnitentia acer-  
ba.*

Secunda: *hic saccus asper; hoc Tem-  
plum invisum.*

Tertia: *hæc Oratio gravis.*

Quarta: *hic Conventus Marianus terri-  
cus.*

Quinta: *hic dies jejuniij molestissimus.*

Conjugationes interim celeberrimæ:  
*ede, bibe, lude.*

*Venite, fruamur bonis, quæ sunt, & uti-  
mur creatura tanquam in juventute cele-  
riter. Vino pretioso & unguentis nos im-  
pleamus, & non prætereant nos flos tempo-  
ris. Coronemus nos rosis antequam mar-  
cescant, nullum præatum sit, quod non per-  
trahat luxuria nostra; ubiq; relinqua-  
mus signa lætitiæ.*

Sap. 2.

Objicit subinde etiam illud Pauli-  
num: *nemo carnem suam odio habuit;*  
*sed nutrit & fovet eam. Stulti sunt,*  
*qui seipfos conficiunt nimij rigoribus,*  
*emaciant jejunijs, vigilijs extenuant,*  
*excarnificant flagris, atterunt setis, ex-  
ugunt precationibus, exiccant contem-  
plationibus, expectorant genitibus, le-  
ctionibus eviscerant, silètio elinguant,*  
*modestiam exoculant, solitudine sepeli-  
unt. Sed nihil efficacius huic sophi-  
smati opponi posse censeo, quàm illud  
è veritatis schola certissimum axioma.*

Eph. 5. 30.

*Momentaneum quod delectat, æternum  
quod cruciat. Oculato, simulque  
doctissimo credite testi. Cardinalis  
Baronius, & ex eo Paulus Zehentner,  
par nobile amicorum memorat, quo-  
rum alteri Michaëli Mercato, alteri  
Marfilio Ficino nomen: hos & morum*

Baron. rō.

5. anal. a.

411.

Zehent. in

Verme con-

sc. l. 4. c. 1.

S. 6.

T 2 simi-



similitudo & amor literarum arctissima necessitudine junxerat, consueverantque inter doctas quaestiones plerumque de altero orbe, deque ejus facie, & animarum in eo statu disceptare. Neque poterant multum sententiarum circa Aeternitatem (utpote fidei articulis convicti) variare. Nihilominus tamen (quo certior esset veritati fides) utrinque conventum, & stipulatis dextris in haec verba sanctè juratum est: ut qui prior fatis concederet, superstitem alterum quàm fidelissimè de suæ conditionis, seu potius alterius vitæ ratione instrueret. Contigit interea ut ab invicem divulsi disjunctis urbibus non animis habitarent, quamquam nec urbibus diu. Nam paulò post, cum Michaël Mercatus, matutino auroræ silentio invitatus ad Musas, libris navaret operam, percepit equitem ad ædium suarum ostium per plateam properare, simulque contentissima voce istud succlamare: *ô Michaël! ô Michaël! vera, vera sunt illa.* Visus est Michaël noti sibi hominis verba audire, statimque è fenestra prospiciens, Marsilium à tergo intuetur, equo niveo

invectum, unde venerat, avolare, quem clamore & oculis secutus est, quando pedibus non poterat, animi anxius quid amicissimo suo evenisset. Tandem intellexit, eà ipsum horà Florentiæ hac mortalitate migrasse, quàm candidatus eques pro foribus apparuit. Ita & fidem à se datam liberavit Marsilius, & persuasissimas opiniones de alterius orbis statu apud socium stabilivit. Et utinam apud vos omnes, qui similiter de aeternitate multa in scholis disputatis, scribitis; nec tamen capit: est enim aeternitas Evripo Aristotelico longè imperceptibilior, quæque vos ipsa facilius & certissimò equidem capiet. Ne proinde credite Grammatico aeternos cruciatus molliter vivendo declinari posse falsò docenti: *impossibile enim est, magno Ecclesiæ Doctore attestante: ut quis presentibus & futuris fruatur bonis; ut hic ventrem, ibi mentem impleat;* id quod serò nimis concedant molles illi carnis studiosi qui extra formam & tempus poenitendi contra se ipsos concludunt.

*ergo erravimus à via veritatis.*

*Vera, vera sunt illa!*

Bernard.

Sap. 5. 6.



DOMI-

DOMINICA IV. POST PASCHA.

ALLOCVTIO II.

Luxuria peccatum per antonomasiam.

Arguet Mundum de peccato. Ioann. 16.



Roblema cum primis ingeniosum proponitur: an mundus in aliquo defecerit, nec ne? Si de physicis defectibus sermo est, non multum contradicere Jonstono Autori utcumq; recenti, qui sat eruditè libro integro (cui de constantia nature titulu præfixit) demonstrare contendit, & penè demonstrat, Mundum quoad naturalia, semper sibi constitisse, eandem esse modò vim elementorum, eandem plantarum virtutem, easdem animantium operationes, idem in hominibus robur (exceptâ illâ, primis hominibus non ita naturali, quàm gratuitâ longiturnitate vitæ) eandem corporum staturam, ac fuerant in principio, quando vidit Deus cuncta, quod essent valde bona: at verò si de moralibus disceptandum, tantum abest, ut concedam Mundum primæva bonitate pollere, ut potius ipsam dixerim malitiam. Neque me sic Rhetoricam aliquam hyperbolen commississe putavero; siquidem luculentum divinæ paginæ habeo testimonium, sanctè asseverantis: *Mundus totus in maligno positus est.* Hinc tantæ ei cum Deo, summo bono, diviniq; que Personis inimicitia. Pater æternus jam tum in prima ætate, videns, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.

1. Ioan. 5. 19.

Gen. 6. 5.

omni tempore, tactus dolore cordis intrinsecus: delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terra, ab homine usq; ad animantia, à reptili usq; ad volucres cæli: poenitet enim me fecisse eos. Filius divinus ex quo Mundum intravit, continuas cum eo discordias, pugnas & luctas habuit. Nam Ioann. 7. fatetur: *Mundus me odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.* Ioann. 12. ait: *nunc iudicium est mundi; nunc Princeps huius Mundi eicietur foras.* Et Ioann. 16. confidite; ego vici Mundum. In illa verò affectuum plena Oratione, quam post cænâ supremam habuit, pro Mundo nequidem orare dignatur, imò expressè excipit: *non pro Mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi.* Sed & Spiritus Sanctus, qui in hodierno Evangelio promittitur, tametsi mera est bonitas, merus amor, mera gratia; tamen nec ipse *Mundum* æquis oculis alpicere, & solita cum suavitate alloqui poterit; quin magis, cum venerit eum objurgabit, increpabit & arguet de peccato.

Ioann. 7. 7.

Ioann. 12. 31.

Ioann. 16. 33.

Dum peccatum nomino, rem non tantum abominabilem nomino, sed ipsam abominationem; nam: *abominatio Domini cogitationes mala: abominatio Domino via impij:* nomino rem usq; adeo tædam, ut si oculis corporeis posset subijci, omnes illico ejus aspectu exani.

Prov. 15.

animaremur. Nomino putredinem, animæ scabiem, vermium materiam; ulcus, apostema, & teterrimā saniem; nomino pestilentiam & infectionem; verbo, nomino mephitim & fatorem planè Diabolicum; nam D. Hieronymo teste, peccatum est cadaver Diaboli, adeoque fatet sicut ipse Diabolus, imò longè amplius, secundum Chrysostomum, quia *Damone pejus*.

*Hieron. in Isa. c. 14.*

*Chrysostom. hom. 28. in ep. Rom.*

Omnes tamen peccatorum species fatore ac feditate sua facile superat, peccatum luxuriæ, adeo ut solum quasi per antonomasiam & excellentiam, vocetur *peccatum, turpitude, scelus, flagitium*. Nam quoties lasciviam alicujus nominare volumus, non aliter ferè loquimur, quàm: hic vel ille perpetravit turpem actum, commisit flagitium, peccavit cum muliere, &c. Et verò perceperunt graveolentiam istam omnium gravissimam sensibilibiter (Deo ita permittente) non pauci Sancti. S. Evthymius Abbas, cum fortè transiret quendam, qui turpi cogitationi assenserat, tantum fatorem sensit, ut sibi à Dæmone videretur possessus. (a) Pachomius, cum spiritui fornicationis in specie mulieris ad se tentandum venienti colaphem infregisset, fatorem, manu contractum vix intra biennium, elacere valuit. (b) D. Catharina de Senis, quoties libidinosum obvium habebat, tantam ex ejus anima mephitim percipere se dicebat, ut ad vomitum, provocaretur. Eadem subinde vidit Angelum nares obturantem, personam quadam peccatis contra castitatem, commissis pollutam, transeunte. (c) S. Francisca Romana habens presentem,

*a Cyrill. Monachus in ejus vita*

*b Pallad. hist. Lasciac.*

*c Surius 20 Ian.*

aliquem peccato carnali inquinatum, adeo vehementem percipiebat fatorem ex illa procedentem, ut cogereetur in aliam partem faciem convertere; & quò quis magis hoc virio esset infectus, eò majorem sentiebat fatorem. Et cum aliquando cogereetur transire domos, in quibus habitabant meretrices, adeo vehementer tetore fatore percelleretur, ut pene semimortua remaneret, & ad defectum inde virium, perduceretur. S. Philippus Neri hoc scelere conspurcatis dicere solebat: *tu mihi hodie fatet; cognosco naso tua peccata*. Affirmabat præterea, fatorem hujus sceleris tantum esse, ut nullus ei in Mundo sit æqualis; imò illusionem nocturna fædatis, & ipsa animalia hac, ut ita dicam, impuritate inculpabili maculata divinitus cognoscebat. S. Philippo testis accedit Cæsarius Arelatensis, qui ita loquitur: *incomparabiliter graviores putorem reddunt cogitationes luxuriose, quam cloaca, quia isti fatores animarum sunt; illi corporum*.

*lib. 1. vit. c. 11.*

*Baccius in ejus vital. 2. c. 13.*

*Cæs. hom. 5.*

Quatuor elementis Mundum constare constans hactenus fuit Philosophorum doctrina: sed non minùs ex peccatis compositum esse, docent Ascetæ: si enim D. Antonio Paduano credimus: *terra vicem sustinet avaritia, aqua est luxuria, aer inconstancia, ignis superbia*. Verumtamen sicut aqua (quod ex mappis & sphaeris geographicis discimus) ceteris prævalet, orbemque hunc nostrum ita undique ambit, ut de alto aspicienti pene continuum mare, terraque tota velut unus inter undas fixus videri possit palus: sic peccatum luxuriæ, quod ait Drexelius, peccatum est communissimum, & latissimè

*Drex. N. c. 12. mē*

mè diffunditur. Non errâro cum illo, si orbem pene totum dixerò hac aqua inundare. Non palatia duntaxat, Regumque turres luxuria subit, sed & tuguria pauperumque tabernas ingreditur; non in plumis tantum, sed & in paleis infestat; non ætatem solum florantiorē, sed quandoque etiam effatam senectutem ad turpe probum infligat; verbo, *omne quod in Mundo est, concupiscentia carnis atque adeo aqua est.* Vidit hoc ipsum altiori visione D. Anselmus, dum raptus in ecstasi, vidit fluvium immanem atque precipitem, in quem sordes omnes, quæ ubique terrarum essent, confluerent, ut nihil aquis illis turpius ac foedius excogitari posset, quæ etiam, quidquid attingerent, raperent ac devolverent, viros, feminas, pueros, divites, inopes. Quod ille spectaculum miratus ac miseratus, cum quaesisset, quibus hæc rebus alerentur & quomodo viverent, responsum est ei, infelices illos eodem ipso cæno, quo traherentur, potari & delectari. Quin etiam adjecta est mysterij hujus interpretatio, fluvium illum esse ipsum Mundum, in quo cæci mortales suis cupiditatibus involvuntur, cumque adeo miseri sint, tamen se beatos & fortunatos putare. O quot milliones millionum spurcissimus iste fluvius, vel (ut verbis S. Judæ Apostoli utar) istud ferum mare submerfit, absorpsit, & ad Tartara misit! quot optimæ spei adolescentes, dum hic natate discunt, suasque confusiones despiciunt, æternum perdidit, adeo ut non nemo vir gravis ausus sit dicere: "si centeni juvenes inferorum flammis addicantur, è centenis istis nonaginta novem, ob vitium carnis damnari; centesimum

demum ob aliam aliquam graviorem, noxam. Et Venetus Ecclesiastes: † eadem inquit, res nempe concupiscentia, quæ implet Mundum hominibus, iisdem replet & infernum; sicut è contrario castitas replet cælum. Porro inter ipsa vitia carnis nullum (præsertim juvenibus) frequentius & familiarius est peccato molliciti, sive pollutionis. Id quod S. Christinæ Virgini divinitus, revelatum, quæ Mundum hoc peccato plenum & obrutum vidit, Deumque toti mundo gravissimas ob id intentare plagas, quas illa ut averteret, miris & horrendis modis sese excruciat. Cardinalis Toletus ait esse hoc peccatum emendatu omnium difficillimum, quia coram semper est, & in promptu ejus materia & occasio. Tam autem latè paterè, ut nulla alia de causa plures ad inferos devolvi arbitretur. Cantipratanus hoc vitium facem peccatorum appellat. Joannes Benedictus in summa casum, incertum revelatione experientiâ acceptum scribit, eos qui tot annis, quot Christus D. vixit, hoc est triginta, tribus in pollutionis peccato perseverant fieri incurabiles, & quasi desperatæ salutis, nisi mira, rara, & extraordinaria Dei gratia illis succurrat. Et verò si usquam hic habet locum illud Sapientis: *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, hoc est, ut aureus Orator explicat, sicut sus in luti volutabro immergitur, & ne sentit quidem peccatorum suorum factorem; licet vel ipse fetidissimus Dæmon sentiat: refert enim modò memoratus Cantipratanus personam, quandam pro sacro tribunali cum ma-*

„ † *Laurens*  
„ *filij luxu-*  
„ *ria.*

Tolet: in-  
struct. l. 5.  
c. 13.

Prov. 18. 3.

Chryf. hom.  
22. in Gen.

Cantip. l. 2.  
apud c. 30.

S. 3.

xi-

Ind. epist.  
can. v. 13.

\* Drexely  
Preceptor,  
Nices. l. 1.  
c. 11.

ximo mærore sibi confessam, se, cum aliquando in lecto, (ut erat mollitiei assveta) lasciviret, audivisse Dæmonem ponè cum cachinno clamantem: *phi, phi, phi!* Alius ita interpretatur: "im-  
*Cornel à Lap: hoc lo.,* pius quotidie crescens in impietate, co. " tandem in profundum impietatis bathrum dilabitur; quo cum dilapsus est, jam contemnit omnia monita & monitores, omnem ingenuitatem & pudorem exuit, omnia damna & pericula, omnia jura divina & humana, omnia sacra & profana, adeoque omnes cœlites & Angelos, ipsamque Deum, cujus tandem providentiam, imò essentiam & existentiam negat, juxta illud  
*Psal. 13.* " Psalms: *dixit insipiens in corde suo; non est Deus.* Porro omnia jam dicta, contemnit, tum quia peccatis excæcatus non videt, nec æstimat damna sibi ex peccato imminetia, tum quia peccati dulcedine illectus totus in illud rapitur. Nescio an de ullo veriùs ac de libidinoso ista dici potuerint: quis enim impiorum tam parùm sana curat monita, ac ille? quis magis ingenuitatem & pudorem exuit, ac ille? quis in plura se conijcit pericula, ac ille? quis Reipublicæ tam injurius ac ille? quis Dei tam immemor ac ille? (nam Propheta teste; *non dabunt lascivi cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*) quis denique ita excæcatus atque ille? at idcirco vel ipsi Gentiles Cupidinem velatis oculis pinxerint, & Doctor Angelicus primam luxuriæ filiam assignet cæcitatè? Hæc Samsoni, qui juxta nomen suum Hebræorum *Sol* audiebat,

dupliciter oculos eruit: hæc Salomonem alterum item Solem penitus obscuravit: hæc filium prodigum ex Illustrissimo mendicabulum fecit: hæc nõ unum Pyramum in gladios & cultros ꝑ impulit: hæc doctissimis mentibus lumen rationis caligine sæpe ita offudit, & etiamnum offundit, *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Fuit vir militaris vigiliarum Lugduni in Gallia Præfectus, qui dum nocte quadam ex officio stationes obit, ad commilitones conversus: tanta, ait, me nunc incessit libido, ut si vel ipse, Dæmon se mihi offerret, immunis à me intactusque non discederet. Vix ea fatus erat, ecce tibi mulier splendido habitu, præferente laternam famulo, fit impuris hominibus obvia. Cui se confestim isti, post ultrò citroque exhibita urbanitatis officia, adjungunt; domum, ad quam se redire fingebat, deducunt. Ingrediuntur, & libidinibus suis dant operam. Erat autem res tota ex Dæmonis arte & phantastica illusionè composita. Nam, & cum sanie, taboque ac vermibus fluente cadavere sibi rem fuisse sublato à Dæmone fuco, & in exoletæ domûs ruinis ac fordibus se versari animadverterunt, simulque insolito fulminis ictu prostrati, unus quidem eo loco & nocte, Præfectus ipse postridie, tertius denique tertio die extincti sunt. Ah! quo non mortalia pectora rapis cæce Cupido! Hoc ductore, mihi credite, perquam est - - *facilis descensus Averni.* *Virgil. 6. Æneid.* *cæcum enim si caeco ducatum præstet, ambo in foream cadunt.* Aut si mihi non creditis, credite Eximie Theologorum scho-

† Vide Drexel. Nicet. cap. ult. tragic. hujus rei exemplū.

Rosset. hist. tragic. hist. 10.

Virgil. 6. Æneid.

scholæ docentis in re Venerea non dari parvitatem materiæ, adeoque omnem etiam momentaneam delectationem, carnalem deliberatè quæsitam esse peccatum mortale & materiã æterni ignis. Contrariam sententiam Diana censet periculofam & damnatam à Clemente VIII. Eandemque damnavit Vniverfa Societas J E S V, suisque Doctoribus ac Magistris decreto severissimo in scholis tradi vetuit, & ne quidem secundùm eam consilium alicui dari sustinet. Neque nimium hic stricta aut scrupulosa videri cuiquam debet, nam D. Augustino suffragante, *quisquis hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Quid enim facilius, quàm turpi suggestioni nolle consentire, quàm dicere cum castissimo Josepho: quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? O lugenda perversitas (idè alibi deplorat) ut animã, quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisq; propter unius momenti delectationem, Diabolo vendat! verè nimium plangenda & miseranda conditio, ubi citò præterit quod delectat, & manet sine fine quòd cruciat.*

Invectiva  
Spiritus S.  
in luxu-  
riosos.

Atque hoc potissimum est, ob quod Spiritus Sanctus mundum arguet, imò sine intermissione arguit; arguit per internas inspirationes salubri invectiva. Siccine stulti mortales ad interitum, cæcorum more ruitis? siccine momentum cum beata æternitate mercatores pessimi commutatis? siccine magis fordes & sentinam amatis, quàm coeli voluptates? pluris æstimatis cum por-

cis volutari in luto, quàm nutrirì in croceis? potiores vobis sunt siliquæ, quàm manna? sapidior aqua Ægypti turbida, quàm vinum de vineis Engadidi? gratior mephitis, quàm odor super omnia aromata? dulciora toxica, quàm mella? Circea, quàm virginea pocula? ô beluas abominabiles! ô cadavera putentia! ô Vniversi monstra! Quousque tandem abutemini patientia & bonitate nostra? quamdiu nos etiam vesania ista vestra eludet? nihilne vos tot beneficia, nihil tot è coelo data præsidia, nihil Angelorum vigiliæ, nihil timor Tartari, nihil æterni præmij spes, nihil pulcherrimus Beatorum locus, nihil præsentia nostra, nihil ora, vultusque movent? patere divinis oculis turpitudines vestras non sentitis? conscia cordium vestrorum numina non animadvertitis? quid proxima, quid superiore nocte egeritis, ad quas domos, ad quas personas accesseritis, quam divinarum Personarum ignorare arbitramini? O tempora! ô mores! Pater æternus hoc intelligit, Filius videt; vos tamen vivitis? Vivitis? imò etiam lætamini cum malè feceritis, & exultatis in rebus pessimis. Ad mortem vos, ô impij, Justitiæ jussu duci jam pridem oportebat, pridem quasi Sodomæ & Gomorrhæ esse merebamini; sed pepercit vobis Bonitas mea: quã tamen sacrilegè abuti non pertinuistis, & vel ideo peccare, quia ego bonus sum. Quid est, quod jam amplius expectetis, quàm ut mittamini in gehennam ignis inextinguibilis, ubi ver-

mis eorum non moritur, &

ignis non extinguitur.

V

DOMI-

Aug. l. 14.  
de civit. c.  
15.

idem serm.  
150. de tēp.

Marc. 9.  
45.

## DOMINICA V. POST PASCHA.

## Oratio ars citharizandi.

Petite &amp; accipietis. Ioann: 16.



Act. 20. 35.

Eterna licet veritatis propositio sit; *beatius esse magis dare, quam accipere*: hodie tamen, si hominum attendamus affectus, plerosque ad accipiendum magis, quam ad dandum, pronos deprehendemus. Nunc citra injuriam occini potest illud M. Valerij:

Martial. l. 5. epig. 19.

*Qui crepet aureolos forsitan unus erit;* imò fortè nec unus erit. Mendicorum interim plena omnia, quaqua versum incedas, ubique petitores. In urbe, extra urbem, in plateis, in compitis, in trivijs occurrunt, pro foribus templorum agminatim confident, in domorum intima sese penetrant, nil auditur frequentius, quam; *dato nobis*. Porro si ullibi, hi vel maximè fecunda sunt ingenia; miri excogitantur modi & artes quidpiam impetrandi: hic libellum supplicem meris verborum & phrasium pigmentis coloratum porrigit; hic versus, ille flosculos offert, natalitium iste præsentat vinculum, theses alius, vel icona dedicat, dicendo singuli tacite: *do, ut des*, quem contractum innominatum appellant Jurisperiti. Nescio tamen ullane ad impetrandum ars validior sit, arte musica & cantu. Cantus enim teste Macrobio, *clémentiam fovadet*, cantu capitur omne, quod vivit. Magnum illum credentium Patrem Abrahamum scribit Gre-

l. 5. ff. de prescript. verb.

Macrobi. l. 2. de somn. Scipion.

gorius Nyssenus tabernaculum sub quercu idcirco fixisse, quòd mirè teneatur ea, quæ ex ramis edebatur, dulcissimum vocalium svavitate, in quibus *avium cantatricum erant officina*. Deum ipsum Musicâ in tantum capi credebant veteres, ut dicerent Mundum non aliter ab eo conditum, quam ope Musices, quorum opinioni favere aliquomodo videtur Prophetarum alpha Ilias, cum alicubi de Deo sic loquitur: *qui profert numerosè*, hoc est ad numeros, *seculum*. Judæus verò Sapiens \* sive fabulosè sive allegoricè docet, Deum posteaquam Universum complèssset, quendam è Prophetis rogasse, num quid etiamnum desideraret sive in terra & aqua, sive in aère aut cœlo? Prophetamque respondisse; perfecta equidem & plena videri omnia, unum tamen se requirere laudatorem horum sermonem. Quòd responsum Creatori ita placuit, ut non multò post producerit genus quoddam canorum & Musicum ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam Mnemosynem vocant. Genus hoc canorum dixerim ego esse Orationem Justæ, quæ, divini Sipientis iudicio, vim habet etiam nubes penetrandi: nam sicut *qui bene cantat, bis orat*; ita vice versa qui bene orat, coram Deo bis cantat, estque hic cantus illi adeo gratus & acceptus, ut eo satiarum non possit, cupiatque sine intermissio-

Nyssen. O. rat. 3. de Resurrect. *avium cantatricum erant officina*. Deum ipsum Musicâ in tantum capi credebant veteres, ut dicerent Mundum non aliter ab eo conditum, quam ope Musices, quorum opinioni favere aliquomodo videtur Prophetarum alpha Ilias, cum alicubi de Deo sic loquitur: *qui profert numerosè*, hoc est ad numeros, *seculum*. Judæus verò Sapiens \* sive fabulosè sive allegoricè docet, Deum posteaquam Universum complèssset, quendam è Prophetis rogasse, num quid etiamnum desideraret sive in terra & aqua, sive in aère aut cœlo? Prophetamque respondisse; perfecta equidem & plena videri omnia, unum tamen se requirere laudatorem horum sermonem. Quòd responsum Creatori ita placuit, ut non multò post producerit genus quoddam canorum & Musicum ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam Mnemosynem vocant. Genus hoc canorum dixerim ego esse Orationem Justæ, quæ, divini Sipientis iudicio, vim habet etiam nubes penetrandi: nam sicut *qui bene cantat, bis orat*; ita vice versa qui bene orat, coram Deo bis cantat, estque hic cantus illi adeo gratus & acceptus, ut eo satiarum non possit, cupiatque sine intermissio-

Nyssen. O. rat. 3. de Resurrect.

Isa. 40.

\* Philo l. de plantat. Noë.

Eccli 31.

sio-

Luc. 18. 1. sione in auribus suis sonare, siquidem ait: oportet semper orare & nunquam desistere. Nunc tamen vel maxime tempus orandi opportunum adest, nunc Threiciâ opus citharâ fidibusq; canoris, quando feriæ ejusmodi aguntur, in quibus petendi ultrò copia datur: petite & accipietis.

I. Orâti necessariæ bonæ fides. Ante omnia cantaturo fidi:ini providendâ sunt bonæ fides. Si enim vel fissæ hiantesque fuerint, vel ollarem aliquem & obtusum reddiderint sonum, præter stupidos Corydones & Moplos vix quemquam ad saltum provocabunt. Quisquis Oratione sua Orpheum vult imitari, & non tantum mollissimum Dei cor; sed durissima etiam marmora, cautesque Marpesias emollire, fides, vel, ut in singulari melius loquar, fidem bonam habeat est necesse. Ita svadet ipse Dei Filius cum dicit: habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumq; dixerit huic monti; tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia, quodcumq; dixerit, fiat, fiet est. Ita S. Jacobus: si quis vestrum indiget sapientia (idem est de rebus alijs,) postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter: postulet autem in fide nihil hæsitans. Per fidem hic S. Cyrillus intelligit fiduciam, qualem in paralytico requirebat Dominus, cui dicebat: confide filii; remittuntur tibi peccata. Et in hæmorrhoisia: confide filia, fides tua te salvam fecit. Hæc si rumpitur, si deficit, oratio perit, ait Augustinus, nullumq; aut valde obtusum, & divinis auribus ingratum, habet sonum; nam & hic locum habet illud: sine fide impossibile est placere Deo;

& mensura credendi est mensura impetrandi; quanto plus in orante fiducia, tanto plus efficaciam. Svaviter profecto cecinit Centurio, dum pro sanitate pueri deprecans, non Christi præsentiam, ut Regulus, (a) non manus impositionem, ut Jairus (b) non fimbriæ contactum, ut hæmorrhoisia (c) exigebat; sed fiducia ingenti: Domine, inquit, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Qui cantus ita Dominum cepit, ut admirans ad circumstantes diceret: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël; tam bonum fiduciam nunquam hæcenus audivi. Vade ergo bone vir, & sicut credidisti, fiat tibi; quidquid volueris, impetrabis.

Fides Orphei habuit S. Gregorius Thaumaturgus, dum & ipse montes saltare fecit: ædificaturus enim Ecclesiam in loco apto, ubi eum angustior rem, quam res exigebat, deprehendisset, eò quòd ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur, noctu eò venit, genibusque humi positus Dominum promissionis suæ admonuit, ut montem longius juxta fidem petentis ageret. Et ecce manè reverlus invenit montem tantum spatij reliquisse structoribus Ecclesiæ, quantum opus habuerant. Simile quid de nonnullis Christianis refert Paulus Venetus, qui à Califfa Tartarorum Tyranno minis fatigati, ut juxta Evangelium suum montes de loco in locum transferrent, tridui inducias patrandò prodigio poposcerunt; quibus in continua fideique plena oratione transactis, unus omnium nomine ad hoc deputatus,

a Joann. 4.  
b Matt. 9.  
c ibid.

a. 1126.



tus, in frequentissima hostium corona, monti, tolleret sese, imperavit; & ecce mora nulla obsequens mons non tam ambulare, quàm ad omnium stuporem vilis est subsultare.

*U. Biderman. acroam. lib. 2. ac. 2.*

Ansbertam quandam pudicitiae fideique conjugalis miraculum obstupuit hactenus posteritas, quæ ut dilectissimum conjugem suum Bertulphum Turcica, adeoque crudelissima, eriperet captivitate, virilem induta sexum & animum per mille rerum discrimina, solis (quas dexterrimè pectere noverat) freta fidibus in ipsam barbari Heri sese penetravit aulam, & flecili quoque nescium pectus cantu suo tam feliciter ad clementiam inflexit, ut carum pignus, quod malè apud ipsum oppignorum habebat, sibi reddi impetraverit. Ansbertæ fides habuit S. Eparchius Abbas, qui Burdegalæ carceris locum forte transiens, cum inde miserandos clamores, gemitus & ejulatus exaudiret, protinus ad ipsa ostia curvatis poplitibus elevatam in Deum mentem orando sonare fecit, custode id observante, rei que exitum suspensis animis præstolante; & ecce sponte sua fores commoveri, strepere cardines, resiliere seræ, vectes dirumpi, refringi pessuli, carcer totus patefcere, vincitque omnes, quæ data porta foras ruere, cursuque pleno ad Ecclesiam properare, ubi actis Deo gratijs, Magistratu prodigium venerante, plenam noxarum suarum indulgentiam sunt consecuti.

II.  
Orantis fides sint ex grano sinapis.

Quæret hic nonnemo: quali nam è materia tam prodigiosa fides constare debeant? num è pretioso aliquo Indi-

co ligno? num ebore, vel osse ut lyra Mercuriana? num pyro aut aliqua arbore nostrate? Nulla harum omnino, verùm minutissimo sinapis grano. Ad mentem divini Magistri respondeo, docentis: *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic tollere, &c.* Sed quis unquam sinapis vidit aut fabricavit fides? quis tam in minutis peritus Myrmecides aut Callicrates inveniatur, ut hoc inauditi artificij genus ausit attentare? Difficultatem complanant SS. Patres probatique Interpretes, quorum è sententia fides instar grani sinapis hic non vocatur fides aliqua exigua; sed fervens & acris. Chrysostomus: *sinapis, inquit, meminit Christus, cujus maxima est virtus. Nam cum minima sit, magnitudine virtutis vehementior est ceteris omnibus.* Evthymius: *si habueritis fidem adeo acrem & vehementem ac ferventem sicut granum sinapis.* Hieronymus: *magna est fides, qua grano sinapis comparatur. Minuta ac frigida, Bernardo teste, caelum non penetrat, in ascensu languescit & deficit, quia non habet vigorem.*

*Mat. 17. 19.*

*Bern. ser. 4. de Quadr.*

III.  
Debent concordari.

Et jam sonoris instructi fidibus, easdem pertentemus est necesse. Solemne enim & hoc fidei cinibus, ut cantaturi chordas concordent, attrahant, retrahant, digitis, pectine percurrant, pererrent, & quod vocamus, *præambulum* faciant, num redè consonent, an discrepent, num ad æquales attemperata tonos, an secus: alioqui nisi id agant, periculum est, ne catorum potius ejulatum quàm Orphoi imitentur melodiam. Idem prorsus oraturo faciendum incumbit. Debet enim & ipse ante

ante orationem chordas concordare, id est suos affectus & cogitationes componere; (nam & hæc quædam chordæ sunt, ut communis loquendi modus testatur, quo de homine perturbatorum affectuum solemus dicere: *habet turbatas chordas.*) Ita præcipit ac monet

Eccli. 18. 29

Sapiens: *fili, inquit, ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum; super quo Chryostomus: scriptum est, ante orationem prepara animam tuam. Quid est, ante orationem prepara te ipsum, nisi expoliatus cogitatione prava, sic accedas ad Dominicam orationem? & vide, quis rogas, quid rogas, quem rogas. Quis? homo; quid? indulgentiam; quem? Deum.*

Hoc modo preparabat sese Divus Bernardus, qui ad templum orandi gratiâ progrediens, omnes temporales curas ac cogitationes pone ostium sponebat, cum dicto: *expectate hic tantisper, usquedum ab oratione redux vos reassumam.* O si seriò omnes cogitarem nos coram Deo canere, quàm consona, quàm temperata, quàm savis esset nostra orationis harmonia! Quis enim cantorum coram summo Principe cantaturus non quàm instructissimas habere satagat fides? quemadmodum si actio comica instruitur, cui inter millia spectatorum interest & Princeps, quilibet Actorum ut tali sese probet spectatori, eum pene unum observat. Scenâ verò peractâ nemo facilè interrogat: quid plausus retulimus à tali Sutore? quid de nobis vicinus judicij tulit pistor? num ille vel ille faber annuit? num Corydon aut Menalcas largiter eachinnatus est?

Drexel.  
Rhet. cæ-  
lest. l. 1. c. 7.  
§. 4.

sed omnes illud unum quærunt: quomodo placuerint Principi, num actionem & actores collaudaverit, num re-creatus sit? At verò plurimi inter orandum non tam ad Deum, quàm ad nescio quas vilissimas personas & objecta attendunt: multi, ut ait Chryostomus, *ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius ientendam in Ecclesiam veniunt.* Multi labia instar plectri celerrimè movent, sed mente nimium evagando, chordas pessimè tangunt, ut (liceat humanè loqui) Deo & Angelis auscultantibus capilli assurgant. Pro Dæmone melior esse Musica non potest. Mythes alicubi locorum fuit, qui domi suæ epulas celebraturus coquo pretiosiores pisces non sine anxia solitudine præceteris dapibus commendârat, singulari industriâ coquendos. Interim ad rem divinam faciendam abit, totus mente vagus, totus curis illis distractus, ne forte coquus pipere aut sale nimio, aut forsân nimis exiguo pisces condiret, ne aut nimis diu admoverentur igni, aut æquo subtraherentur citiùs, ne jure nimium largo aut non grato perfunderentur: atque idcirco Missam deproperare, præcipitare verba, gesticulationem veriùs, quàm sacrificantem agere. Ergo adest fuliginosus ab Orco coquinæ Magister, & cacabum ab igne raptum unâ cum piscibus ad aram statuens: "ô coce, inquit, non Presbyter, en pisces, en salem, en piper, condi ut liber. Sicque irrita hominis usque adeo dissona modulandi ratione evanuit. Nec aliter in Inferno quàm dissonè canitur, ubi *sempiternus horror inhabitat.* Et si hæc

Chryostomus.  
hom. 24. in  
Matth.

Ioã. Major  
in spec.

Drex. sup.  
s. 6. §. 2.

po.

potestas Cacodæmoni sapius concederetur, quorū ille huic in templo ad speciem oranti adduceret pellicem, alteri cantharum apponeret, huic iulorias obijceret chartas, alij numariam, arcam expromeret; isti bombardas, caballos, venaticos canes coram statueret.

Sed illud insuper indecentius, quod non confusis tantum, sed & ruptis, & in varios nodos colligatis canatur chordis, unde non potest non Avernalis oriri sonus. Hoc defectu notantur, qui inter precandū orationis filum & chordam abrumpendo in Ecclesia cum vicinis confabulantur, & quod Magnus Basilius queritur *videntes & dextras inter se jungentes domum orationis domum loquacitatis faciunt, negligentes ac nihili pendentes Psalmum, qui testatur ac dicit, quod in templo ejus (scilicet Dei) omnes dicent gloriam: tu verò, quisquis ejusmodi es, non solum ipse non dicis; sed etiam alteri convertendo te ad illum impedimento es.* Execrandus iste orandi modus hac tempestate, heu! nimisquam invaluit, & maxime inter Nobiliores ac literatos, qui ad templum vel idcirco videntur convenire, ut liberius confabulentur. Merito proinde Calvinista quidam Catholicam forte ingressus Basilicam super hoc scandalizatus uni alicui objecit: "vos Catholici aut stulti estis, aut maximi nequam. Vel enim creditis Deum in vestro altaris Sacramento realiter esse presentem; vel non creditis. Si non creditis, utique stulti estis, quod illud cultu latriæ adoretis. Si creditis, maximi nequam sitis oportet, ut qui coram Deo tam irreverenter vos geritis. Dilemma utrinque convincens, nec

facile solubile. Quotquot ferit, ipsi viderint, qualiter ad illud respondeant. Ingentis certè in Deum contemptus est indicium ceptum cum illo sermonem abrumpere, & ad alium converti. *Quis est homo, inquit Augustinus, cum quo si amicus ejus coeperit colloqui, & viderit eum averti a se, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat?* Et Cardinalis Bellarminus: "quis nostratium Dominorum ferret famulos suos secum loquentes continuo neglecto ad fabulandum cum conservis averti? Turcis in presentia sui Imperatoris vel verbum alteri in aure infusurrare, imò vel oculis annuere, capitale est. Multos sola Regij vultus Majestas tantum non exanimavit. Sic Regina Saba videns omnem Sapientiam Salomonis, & cibos mensæ ejus, & ordines ministrantium; non habebat ultra spiritum. (a) Sic Regina Esther, posteaquam stetit contra Regem Assverum, (ubi ille residebat super solium Regni sui, indutus vestibus Regis, auroque fulgens, & preciosis lapidibus, eratque terribilis aspectu,) corruit, & in pallorem colore mutata, lassum super ancillulam reclinavit caput. (b) Et nobis pro minimo erit in presentia Dei in cachinnos effundi? S. Chrysostomus pro suo zelo ejusmodi irreverentiam fulminibus dignam judicat: *non miraris, inquit, quomodo undiq, fulmina non deferuntur? quomodo cuncta funditus non evertuntur?* Sed ea nihilominus est DEI bonitas, ut citius una bona oratione ad clementiam, quam centum malis flectatur in furorem. Arsisset jam pridem Mundus, nisi tot pene haberet Davides, quot devotos Deo servos & Religiosos. *Multis enim Sanctis datum est, attestante Chry-*

Aug. t. 2.  
in Psal. 8.

Bellarmino,  
de Ascensione meæ,  
Cuspin. l. de orig. Turc.

† Vide de hoc plura apud Henr. Engelgr. p. 2. Domin. 9 Pent. 5. 2. a 3. Reg. 16.

b Esth. 15.

Chrysostomus.  
hom. 24. in Matth.

Chrysoft. 1. Homo, nō solam gentes ac civitates, veram  
2. de orādo etiam orbem universum deprecationis pre-  
Deo. sidio servare. Quid enim illi aliud in  
templis diu noctūq; psallentes faciunt,  
quā orationibus suis veluti totidem  
citharis iram Dei placant, & leniunt?  
qualiter unus aliquis ē Capuccinorum  
familia Virum Nobilem Romæ leniit.  
Rho var. Grave hic vulnus à sicario in genu ac-  
virt. hist. l. ceperat, atq; ut erat iræ ac doloris im-  
s. c. 1. S. 6. potens, cūm diro cruciatu artus con-  
vellerentur, vindictam spirans & incla-  
mans, nullamq; saniora suggerentium,  
vocē ad aures admittens, geminæ mor-  
tis in limine periclitabatur. Despera-  
ta propemodum erat, nō minū animi,  
quā corporis curatio, cum ex animo-  
rum Medicis unus, ē Capuccinorum, ut  
dixi familia, acciri Symphonicos, qui-  
bus æger delectabatur, jubet, ac modis  
lenissimis canere. Itaq; illapsa furentis  
in animū modorum svavitate, iræ atq;  
furori modus paulatim fieri cœpit, de-  
tumuitq; animus, factumq; Musicæ pre-  
tium, ut exinde monitores audiret, atq;  
ad omnem Christianæ adversus inimi-  
cum charitatis significationem nullo  
negotio traduceretur.

Læditur in dies gravissimè peccatis  
hominum Deus, quæ etiam in cœlū (uti  
veteres credebant) volata volant, vindi-  
ctam in clamantia! sed quamprimum  
ea comitantur cithara, quæ sunt, ut ait  
Joannes, orationes Sanctorum, ira Dei pro-  
tinus detumescit, ascendit deprecatio, &  
descendit miseratio. Et sicut unicus An-  
geli per chōrdas ductus Franciscum ex-  
tra se rapuit: sic unicum fervens suspi-  
rium una devotè orantis, ut Musicæ lo-  
quat, tremula Deum ita rapit, & capit, ut

sui quodammodo faciat oblivisci. Quid  
enim aliud innuunt verba illa dicta  
Moyfi: *dimitte me, ut conteram populum  
istum.* Quis eum strinxit? quis tenuit?  
quis ligavit? utiq; oratio, & quidem so-  
nantissima: *aut dimitte eis hanc noxam.*  
*aut si non facis, dele me de libro tuo, quem  
scripsisti.* Sic & David unicam duntaxat  
fecit tremulam, dum occinuit: *peccavi*  
*Domino:* & ecce statim placatū habuit  
Deum: Nec mirum, quod etiam nū au-  
diat *vir secundum cor Dei*, quando totus  
factus est chorda divinis laudibus psal-  
lendis. Inprimis tota illius caro Deum  
sonabat. *Caro mea exultavit in Deum vi-  
vū.* (a) Ossa lyricum canebant carmen: *a* *Psal. 83. 3.*  
*omnia ossa mea dicent; Domine quis similis*  
*tibi?* (b) de oculis sic ait: *Oculi mei sem-*  
*per ad Dominum.* (c) De auribus: *incli-*  
*nabo in parabolam aurem meam.* (d) De  
labijs & lingua: *exultabunt labia mea,*  
*cūm cantavero tibi: sed & lingua mea to-*  
*ta die meditabitur justitiam tuam.* (e) De  
faucibus: *quā dulcia faucibus meis elo-*  
*quia tua.* (f) De corde: *confitebor tibi Do-*  
*mine in toto corde meo.* (g) De manibus:  
*elevatio manuum mearum sacrificium,*  
sive cantus vespertinus. (h) De pedi-  
bus: *converte pedes meos in testimonia tua.*  
(i) Et nos AA. boni citharadi erimus,  
si linguam & cor nostrum coram Deo  
ita pullaverimus, ut hoc ab illa non  
discordet. *Quid enim prodest stre-*  
*pitus labiorum,* ait S. Isidorus, *ubi cor est*  
*mutum? sicut enim vox sine modulatione*  
*est quasi vox porcorum, sic oratio sine deva-*  
*tione est quasi mugitus boum.* Imò  
*Non vox, sed vorum; non Musica cor-*  
*dula, sed cor;*  
*Non clamor sed amor clamat in aure Dei.*

Deut. 9. 14.

Exod. 32.

2. Reg. 12. 13

a Psal. 83. 3.

b 34. 10.

c 24. 15.

d 48. 5.

e 70. 23.

f 118. 11.

g 9. 2.

h 140. 2.

i 118. 59.

Isidorus. de  
sum. bono h.  
3. cap. 8.

DOMI

## DOMINICA VI. POST PASCHA.

In persecutione obsequium.

*Omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare. Ioann: 16.*

Acanis mulieribus solenne fuit, filijs ad bellum proficiscentibus clypeum porrigere, sic eos Laconicè alloquendo: *aut cum hoc, aut super hoc.* Quasi dicerent: pugnate tam strenuè & fortiter, ut vel victores clypeum è prælio domum referatis; vel ipsimet super eo gloriosè mortui referamini. Ablegans discipulos suos Christus (quibus instar Matris erat) ad arduum & difficile prælium, nempe ad Mundum universum expugnandum, suæque ditioni subijciendum, clypeum eis similiter hodie porrigit, cum independentia mala, labores, pericula, ærumnas, vulnera, mortes, denunciatur, & hæc ideo, ut eorum reminiscantur. *Hæc locutus sum vobis, ut eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Minus enim jacula feriunt qua prævidentur, & nos tolerabilius Mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientia clypeum munimur,* ait magnus Gregorius. Quippe sicut in clypeo vis telorum infringitur, quò minus in corpora sese insinuant; ita malorum præscientià mens præmunitur, quò minus illa sentiat. Hinc Ulysses è bello Trojano redux, quamvis lacrymas ad amplexus suorum tenere obfirmaverit, tamen ubi caniculum præ nimia gesticulatione & gaudio ex adventu heri concepto mor-

Greg. hom.  
35. in Ev-  
ang.

tuum vidit, tenere non potuit, *hoc, in-* quiens, *non prævideram.* Non poterant boni Apostoli post Christi in cælos abitum, gravissimas persecutiones animo non præconcipere, siquidem à minori ad majus rectè sic argumentari poterant: Christus Magister noster (cui minùs id congruebat) totà vità suà persecutiones gravissimas ab hominibus passus est; non igitur nos ejus discipuli aliud expectare possumus: siquidem, uti ex illo ipso audivimus: *non est discipulus supra Magistrum, nec est servus major ac melior Domino suo.* Dixeram ego non ita pridem, si meministis, Mundum & Deum esse duo planè contraria, sibi que ita opposita, ut intra eosdem muros ac parietes habitare non possint. *Duo enim amores,* inquit Doctor Hipponensis, *fecerunt duas civitates: civitatem Jerusalem amor Dei, usq; ad contemptum sui; civitatem Babylonem amor sui, usq; ad contemptum Dei.* Quisquis itaque alterius amicus est, alterius inimicus sit oportet. Nam *amicitia hujus Mundi inimica est Dei* ait Apostolus, & vice versa, *amicitia Dei inimica est Mundi.* Proinde verissimè dixit Adamantius; *qui amicitias appetit IESV, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas.* Et Augustinus; *non ad delicias, non ad voluptates, sed ad prælium præparetur, quia omnes* *qui*

Luc. 6. 40.

Aug. l. 14.  
de civit. 6.  
28.

Iacob. 4. 4

Orig. h. 3.  
in Iosue.  
Aug. serm.  
93. de temp.

qui pie volunt vivere, persecutionem patientur.

Et primum quidem inimici hominis domestici ejus. Testatur hoc ipse Dominus, cum alicubi ita protestatur: nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem, adversus Patrem suum, & filiam adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus. Qua propositione aliud nihil innuere voluit, quam eos, qui spreto mundo ad castra Jesu transire, seseque Deo conjugere volunt, solere vehementer oppugnari primo à proprijs parentibus, fratribus, propinquis & cognatis; quod bellum non potest non esse gravissimum, quia intestinum. Habemus hujus rei exempla jam in veteri Testamento. Abel enim quia justus esse, pieque vivere coepit, à proprio fratre Caino interfectus est. Ismael ludebat cum Isaac, sed, ut ait Augustinus: illa lusio, illusio erat: illa lusio deceptionem significabat; nam persecutionem vocat Apostolus illam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat. Joseph quæ non à fratribus suis passus est, quod cum eis in nequitia participare nolle, imò accusaret eos apud patrem, crimine pessimo?

In nova verò lege quis omnia ejusmodi bella enumeret? S. Vitum Regni nostri Indigetem, quod ad Christum transierit, proprius Pater Hylas Valeriano Iudici verberibus castigandum tradidit. S. Barbaram parens item suus, veriùs parricida, decollavit. S. Franciscum Assisinatam perfectionis Evangelicæ cupidum iniquus Pater coram

Episcopo bonis paternis cedere compulit, qui rejectis etiam vestibus (ut tanto patentior esset victoria) Patri concessit omnia, illud subjungens, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: Pater noster qui es in caelis. S. Thomam Aquinatem, posteaquam Prædicatorum Ordini sese addixisset, Matre instigante, Fratres germani ex via, qua Lutetiam studiorum causâ proficiscebatur, vi abriperunt, varieque exagitatam carceri incluserunt. B. Aloysius Gonzaga quot annis cum parente suo non luctatus est, usque dum se è seculo expediret! Et ne solum nota enumerare videar, addam recentiora ex annis nostris, quæ in primo opusculo suo P. Nicolaus Lancicius fideliter de verbo ad verbum ita refert. Quidam, adolescens Neapolitanus nobilissimus, cum inscijs parentibus in Societatem Jesu esset receptus, Nolamque ad Novitiatum missus, postea ob graves causas suis redditus, acerbissimè est oppugnatus. Quam pugnam, juxta hodiernum Christi dogma, cum reminisceretur animoque prospiceret, in itinere dum Neapolim redit, ad eam sese egregiè comparavit, assiduè meditans, quid furenti Patri, quid Matri blandienti responderet, comitem unum de nostris identidem rogans, ut Patris personam tantisper susciperet, ut vicissim instando ac respondendo sese ad resistendum magis acueret. Vbi in parentum fuit potestate, gravissima coepit oppugnatio, quæ perpetua ut esset non solum in die, sed etiam nocte, coegerunt eum in eodem secum conclavi dormire, altercationesque ad mediam

4. Octob.

Annua Societ. a. 1591.  
p. 86.

X diam

diam usque noctem communiter producebantur. Itaque adolescens aliquando cum Parentum custodiam fessisset, ad Archiepiscopum profugit, ei que in conspectu plurimorum nobilium ad genua advolvitur. Archiepiscopus rei novitate commotus, surgit e sella, atque adolescentem dicere incipientem interfatus, in proximum cubiculum seducit, quaritque ex solo, quidnam acciderit. Exponit ille, quid a parente religionis causam patiat, orat, cum nostris agat, ut in societatem recipiatur. Archiepiscopus adolescentis animum confirmavit, pollicitusque est eam sibi rem curam futuram; sed graviores curam facile illius mentem, ab ea, quae levior videbatur, averterant. Interea domi crescebant adolescenti molestiae; cumque domestici satis esse non viderentur, submittebantur extranei, qui eum de sententia deducerent. Verum ita accidit, ut omnes, qui eum de religionis proposito depellere sunt aggressi, aut sententiam ipsi mutarent, aut victi confusi que abirent. Cum subinde audiente Patre, quidam hortarentur adolescentem, parentibus ut pareret, negavit se parentum numero habere eos, qui se ad Christi famulatum properantem morarentur. Tum Pater vociferans: deceperunt te, inquit, Jesuitae: quippe aliquot aureorum millia spe devoraverunt. Falsum reponit ille: advocetur, si placet, Notarius aliquis; ego protinus, cui jusseris, divitiarum omnium ac hereditatis spe possessione que cedam. Adamaverunt, ait rursus Pater, ingenium tuum. Scilicet id primum cum

Patribus Societatis pactus sum, ut patinas eluam perpetuo. Nimirum bestia es, inquit Pater, idcirco huiusmodi te servitio destinaverunt. At modo me, filius ait, propter ingenium adamatum dixisti; pugnancia te loqui non vides? Sanè, pater denuò, tamen in isto proposito non perstabis. Undecimum jam mensem hanc ego mentem suscepi, filius ait; & confido, qui mihi ad perseverandum vires adhuc suppeditavit Deus, eundem in posterum mihi non defuturum; utque intelligas, quam nihil mei me huiusce consilij poeniteat, jam nunc Deo, coram B. V. MARIA, curiaque coelesti universa perpetuam voveo castitatem, meque societatem ingressurum, ut in ea vivam, ac moriar. His auditis Pater confusus discessit. Alio tempore minitanti Patri suam se illum manu obruncaturum, respondit, ut illud faceret, illud certè non effecturum, quin membris alijs aliò dissipatis, ad Societatem Jesu cor advolaret. Cum aliquando Pater commemoratione ludorum & spectaculorum, quae in novi Proregis adventum apparabantur, filij animum titillaret: quae spectacula, inquit, Nolae (ubi is tirocinium auspicatus erat) spectantur! cum alius lucernam, scopas alius manu fert, alius mensis ministrat, alius patinas eluit. Duravit contentio haec ad undecimum usque diem; quo die, cum & Mater de Societate, nescio quid secus diceret, filiusque liberius Matris dicta refelleret; iratus Pater, ita pugnis calcibusque eum cecidit, ut, nisi tumultu exciti fratres patruales duo accurrissent, interfecturus

rus

rus eum fuisse omninò videretur : adolefcens autem postea affirmavit , nunquam se majorem animo cepisse voluptatem . Itaque cum ipsum Pater post verbera in cubiculum sine lumine lecto que inclusisset , illico genibus positus ingenti cum lætitia Deo gratias egit , quòd pro suo nomine illa pateretur . Vbi illuxit , Pater pallium , calceosque filio eripit , manicasque , ut eum constringat , poscit : sed accidit peropportune , ut eo ipso tempore magnæ autoritatis vir domum ingrederetur , cui dum Pater dat operam , filius fratris patruelis calceis , pallioque sumptis , cursu ad Collegium contendit . P. Provincialis verò , cum , quæ contra factorum fidem passus est , cognovisset , eum die altero Nolam ad tirocinium remisit . Plura ejusmodi exempla heroica proferre possem ; sed , ne nimius in hoc videar .

A domesticis hostibus ad externos transeo . Per externos hinc intelligo , quosvis alios homines mundanos & sæculo deditos ; qui , ut virtutis sunt inimici , dum quempiam sibi moribus dissimilem vident , in eum veluti in noctuam involant . Ita sibi contigisse fatetur David , dum inter poenitendum oggemit : *similis factus sum Pellicano solitudinis , factus sum sicut Nycticorax , vel , ut Pagninus refert ; factus sum sicut bubo* : quasi diceret : posteaquam animum ad agendam poenitentiam adjecti , Mundoque renunciare coepi , omnes me ita persequuntur , ac si me exoculari vellent , non secus ac bubonem aves . Paralyticus ille ( Joan. 5. ) qui totis triginta octo annis ad piscinam probati-

cam jacuerat , à nullo prætereuntium dum jacuit , vel inhumanius verbum , audiit ; mox cum miraculosè sanatus est , & ambulare coepit , hostes habuit . *Triginta & octo annis ( verba refero Episcopi Monopolitani ) jacuit in grabato , quæ nec aspicere dignabatur Judæi ; cum primùm autem sanitatem recepit , agebant : Sabbatum est , non licet tibi tollere grabatum tuum . Misere hic homo nec unum habuit hominem accurrentem , dum in lecto jacebat , sanatus à Domino multos invenit non juvantes ; sed impedientes .* Magdalena propter tam heroicum superioris vitæ damnatæ facinus , nonne laudibus in cælum evehi merebatur ? Et tamen qui primus eam laudare debuisset Pharisæus ( utpote in cujus ædibus conversionem suam auspicata est ) primus in illam , & unà in Christum linguæ suæ tela ac murmura jecit : *hic , inquit , si esset Propheta , sciret utiq; , quæ & qualis est mulier , qua tangit eum .* Aliàs domi suæ

*Luc. 7. 39.*

*Luc. 10. 40.*

*Mar. 14. 6.*

*Eccli. 6. 10*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*men-*

*Psal. 101.*



*mensa* putaretur, quas non ubique locorum, exhaustit inimicitias, quas nō persecutiones expertus est! Donec Regi Catholico militaret, donec ex seculi legibus viveret, in summis erat honoribus, dignitatibus, favoribus: ubi verò vestes militares cum sacco mendici permutavit, baltheum cum fune, gladium cum baculo, tum enim verò lanis ac sibilis explodi, tanquam explorator in vincula rapi, catenis gravari, virgarum subire pericula, fustibus, pugnis, calcibus dirè verberari, pedibus proteri, domibus & hospitij arceri, quæstionibus subjici, calumnijs proscindi. Neque hæc ille solus talia tantaque passus; sed & filijs suis quasi propria Jesuiticam tesseram reliquit: *multa pati*. Si universam Societatis historiam velimus revolvere, Deus bone! quantas persecutiones adversus eam toto orbe excitatas non deprehendemus! Nulla est Provincia, quid dico? nullum pene domicilium ac Collegium, ubi non aliqua tempestatis extent monumenta. Quæ & quanta non est passa in Gallia ab Hugonottis, in Bohemia ab Hussitis, in Polonia, Transylvania, Anglia, Belgio à Calvinistis, in India à Barbaris, quæ non hinc inde à malis Catholicis! Primo seculo ducentos septuaginta septem numeravit, fidei ac virtutis causâ diris tormentorum generibus vitæ ereptos: hoc verò altero currente seculo quod mihi scire licuit, † decem & octo. Sæpius Regnis totis & provincijs proscripita, tanquam Reipublicæ humanæ perniciofa, tanquam pacis turbatrix, seditionum origo, bellorum & tumultuum fons, Juventutis corruptrix, malarum artium Magistra, bonorum alienorum prædatrix. Quot non famosi libelli contra eam prodierunt! quot cavilli, Pasquini affixi, & inter mensas ac convivium quasi intercalare carmen decantati! Quod de Ordine nostro dico, idem ferè de alijs dicendum esset; nullum enim facile scio, qui non saltem ab initio sui egregiè exagitatus fuisset. Et hæc omnia faciunt mundani homines, arbitantes obsequium se præstare Deo, prætendentes bonum aliquem finem & zelum boni publici, utputa publicæ quietis ac pacis, conservationis regnorum, libertatis, &c. nunquam enim seculi malitia ita aperta & nuda est, quin turpitudinem suam aliquo honestatis palliolo

V. Philipp.  
Alegamb.  
Biblioth.  
Script. Soc.  
ciet. in fin.

Vide Henr.  
Engelgrav.  
p. 1. Dom.  
8. Pent. §. 1.

### † Secundo Seculo pro fide occubuere.

In Anglia.	P. Albertus Mie-	In nova Francia.	P. Natalis Chaba-
P. Thomas Sander son.	czinsky.	P. Ioannes de Brebens.	nel.
P. Petrus Writtus.	P. Antonius Capec-	P. Gabriel Lalle-	P. Annas de Nove.
	cins.	ment.	P. Carolus Garnier.
In Japonia.	P. Didacus de Mo-	P. Leonardus Ga-	P. Isaac loques cum
P. Antonius Rubi-	rales.	rollus.	duobus alijs.
mus.	P. Franciscus Mar-	P. Iacobus Butte-	P. Antonius Da-
	ques.	ur.	niel.

obve.

obvelet. Sed errat, & vehementer errat in opinione sua; non enim Deo (quem sumè offendit amicos ejus persequendo) obsequium præstat; sed ijs ipsis, quos persequitur. Facit enim ut ex persecutione magis crescant, proficiant & augeantur. Pulchrum quid ad hoc propositum refert Pausanias de Naupliensibus, qui cum necdum artem vitis putandæ nossent, & semel vidissent vitem à capro abrodi, putarunt pessimè cum illa actum, & quasi perditam ac mortuam habuerunt. At cum anni tempore, quo uvæ gignuntur, vidissent eam longè plures tulisse botros quàm antè, inde agnoverunt, non damnum, sed utilitatem illi fuisse præstitam; unde artem vitis putandæ didicerunt. Christus Dominus omnes suos fideles ac dilectos appellat palmites; *ego sum*, inquit, *vitis, vos palmites*. Quid ergo damni ijs timeri potest, si putentur, si scindantur & profcindantur? imò verò plus commodi exinde percipiunt. Primi in Ecclesia palmites, hoc est Christiani, quantum non secti sunt, datis contra eos edictis per totum imperium Romanum: *quisquis Christianum se esse confiteatur, is tanquam generis humani convicius hostis, sine ulteriore sui defensione capite plectitor*. Madebat, imò natabat in eorum rubeo & uveo sanguine totus mundus: & ecce, ut loquitur Tertullianus: *sanguis Martyrum semen erat Christianorum*. Quò enim plures interficiebantur, tantò plures & plures ex Ethnicis ad eos accedebant, ut propterea hoc animad-

vertens crudelissimus Diocletianus, qui juraverat, Dijsque suis voverat Christianismum funditus extirpare, Imperio ex desperatione sese abdicaverit. Plus ergo ex tot persecutionibus Ecclesia obsequij accepit, quàm damni. Hinc præclare Augustinus, illud Gen. 25: *major serviet minori*, putà Esau Jacobo, ita exponit: *impij servient pijs, persecutores innocentibus, tortores patientibus*. At quomodo, inquit, *mali serviunt bonis? Non obsequendo, sed persequendo*. Quomodo persecutores *Martyribus? quomodo lima vel mallei auro, quomodo mola serviunt tritico, quomodo panibus coquendis furnalia, ut hi coquantur, illa consumantur; quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur*. Qualiter prima Ecclesia, sic & nostra minima crevit Societas; Beatus enim Borgias divino spiritu afflatus aliquando dixit: *Societas augebitur tribus modis; oratione, mortificatione, & persecutione*. Et verò in tantum post computationes crevit, ut hodie in Europa numeret Provincias 28. in novo verò mundo novem; exceptis missionibus, quas hinc inde inter fideles & barbaros instituit. Dicebat aliquando S. Gregorius: *ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit*. At ego amicum & Socium JESU esse non suspicor, qui persecutorem non habuit. Quisquis plurima ob Christum patitur, hic demum verus est Jesuita.

S. Gregor.  
l. 9. reg. ep.  
39.

DOMI-

## DOMINICA PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus vivificans, &amp; generator.

*Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Act. 2.*

- Andem, post tot præsa-  
gia & vaticinia, post tot  
signa & prodigia, post  
tot ostenta & portenta  
copiosam cœli pluviam depluerunt.  
Pluviam de qua longè antè cecinit Da-  
vid: *pluviam voluntariam segregabis*  
*Psal. 147. Deus hereditati tua. Et rursus: stabit*  
*spiritus ejus (scilicet Dei) & fluent aqua.*  
Pluviam quam ipse prædixit Christus:  
*qui credit in me, flumina de ventre ejus*  
*fluent aqua viva. Hoc autem dixit (verba*  
*Joan. 7. 38. sunt Evangelistæ) de spiritu quem acce-*  
*pturi erant credentes in eum.* Pluviam  
quam nupera portendit nubes, quæ So-  
lem in ipso meridie oculis nostris eri-  
puit; pluviam quam hodierni venti,  
fragores & tonitrua, coruscationes &  
fulgura secum attulerunt; *factus est*  
*enim repente de cœlo sonus tanquam*  
*Act. 2. advenientis spiritus vehementis, & reple-*  
*vit totam domum ubi erant Apostoli se-*  
*dentis, & apparuerunt eis dispersita lingua*  
*tanquam ignis, seditq; supra singulos eorū.*  
Videor mihi nunc audire Eunuchi il-  
*Act. 8. 36. lius voces: ecce aqua quid prohibet nos*  
*baptizari? Et illud Petri ex crastina.*  
*Act. 10. 47. Missæ lectione: nunquid aquam quis*  
*prohibere potest, ut non baptizentur hi qui*  
*Spiritum Sanctum acceperunt?*

Equidem nullum morabor. Si  
enim æterna veritas dixit: *baptizabi-*  
*mini Spiritu Sancto non post multos hos*  
*dies per me licet aquas intrate, & lavate*

non tantum pedes, sed & manus & ca-  
put. Hoc unum in præsentī sermone  
pertractabo, ut probem Spiritum San-  
ctum Deum esse vitæ, sibi que similia  
viventia ex aquis generare.

Superstitiosa antiquitas, ut cuique  
ferè rei suum præposuit Deum, sic ce-  
lebrem aliquem Neptunum Saturni fi-  
lium maris & aquarum Dominum con-  
stituit, qui tridente suo jam tempesta-  
tes ciere, jam compescere, jam tollere  
fluctus, jam mulcere, jam ventis habe-  
nas laxare, jam astringere posset. Sed  
facebant deliria, facebant figmenta!  
Spiritus Sanctus verissimus Neptunus  
est, de quo ita sacra & fingere nescia.

Geneleos historia: *Spiritus Domini fe-*  
*rebatur super aquas, Quæ amabò affi-*  
*Gen. 1. nitas cum aquis divinissimo spiritui?*  
Nôstis, Philosophi, aquam ob innatum  
humorem genituræ maximè opportu-  
nam ac idoneam esse, hinc mare tot-  
fœtum & monstrorum præ terra fe-  
rax; hinc Venus Generationis Dea è  
mari orta fingitur. Spiritus ergo San-  
ctus ferebatur super aquas, sive, ut He-  
bræus textus habet, *incubabat aquis,* non  
secus ac avis vel gallina (inquit Doctor  
Dalmata) pullis suis incubat, eos ani-  
mans. Ejusdem omninò sententiæ est  
Sancta Mater Ecclesia, quæ in benedi-  
ctione fontium Spiritui Sancto ita ac-  
cinit: *tu super aquas forurus eas fereba-*  
*Hierom. ris, indens eis videlicet calorem & vir-*  
*Sabb. S. tutem*

tutem vivificam, ut inde diversi foetus, putà volatilia, reptilia, pisces, imò & cœli sicut ex ovo quodammodo excluderentur, formarentur, producerentur. Hæc enim omnia ex aquis producta, divinæ paginæ conformior tenet sententia. Quid jam dicam de homine? hujus quidem prima generatio de terra; secunda tamen quâ cœlo renatus est, similiter ex aqua fuit, cœli enim, cum naturæ sint aqueæ, toti limpidi, pellucidi & crystallini, nihil terreum, & opacum, nihil nisi sibi simile patiuntur, juxta illud Domini: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

Hoc nihilominus inter aquas communes, & aquas divini spiritus discrimen interest, quòd illæ insuper reptilium, hæc volatilium tantum sint generativæ. Et certè ante Spiritus Sancti adventum mera ferè reptilia in Orbe videre erat. Quid enim? Ipse Christus ejusque Præcurzor Joannes Judæos ac Pharisæos aliter non compellabant, quàm serpentes genimina & progenies viperarum. De Joanne sic Matthæus: videns multos Phariseorum, & Sadducaorum venientes ad baptismum suum dixit eis: progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Christum verò sic increpantem alibi inducit: serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gekenna? Meritò serpentes, ut qui humi tantum serpere ac repere, terrena solum bona ac possessiones in delicijs habere, de pinguedine terra victitare sint soliti: at ubi primùm Christus aquas Jordanis baptizandus intravit, tum è vestigio vide-

ri aves, tum columbæ super Christi caput volitare; ait enim Lucas: descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, in signum haud dubiè quòd eos, qui deinceps ex aqua & spiritu per baptismum novæ Legis essent regenerandi, nequaquam conveniat humi repere, terrena cogitare; sed sursum ferri instar pennatarum volucrum. Nec sine mysterio dixit Evangelista: baptizatus Christus confestim ascendit de aqua, ut bene notavit Autor Imperfecti, cujus verba subijcio: puto, inquit, factum Christi ad mysterium pertinere omnium, qui postmodum fuerant baptizandi. Non dixit: egressus est, sed ascendit, quia omnes qui digne secundum omnia membra justitiæ formati & consummati baptizantur, in Christo confestim de aqua ascendunt, id est proficiunt ad virtutes & ad dignitatem sublevantur cœlestem. Qui enim ingressi fuerant in aquam carnalem, & filij Adam peccatoris, confestim de aqua ascendunt spirituales, & filij Dei facti. Quid potro hodierni Apostoli? In eos propriè facere videntur verba illa Ecclesiastici: accelerat (scilicet Deus) emittere coruscationes, propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebule sicut aves. Visæ sunt hodie, ut audistis, maximæ coruscationes in monte Sion. Et quid secutum est? aperti sunt thesauri cœlestes, & instar nimbi depluerunt Spiritus Sancti pretiosissima dona: donum sapientiæ, donum intellectus, donum consilij, donum scientiæ, donum fortitudinis, donum pietatis, & donum timoris Domini. Tum sine mora evolaverunt nebula sicut aves. Sic enim Isaias Apostolos appellat, dum

Luc. 3. 22.

Matth. 3.

Eccli. 43.

14.

admi-

Joann. 3. 5.

Matth. 3. 7.

c. 23. 33.

Gen. 27. 28.

Isa. 60. 8. admirans ait: *qui sunt isti qui ut nubes volant?* alius ad Orientem, ad Occidentem alius; hic gelidas ad Arctos, ille ad zonam torridam, in Asiam iste, ille in Africam, Philippus in Scythiam, Bartholomæus in Armeniam, Matthæus in Æthiopiã, Jacobus in Hispaniam, Andreas in Achaiam, Thomas in Indiam, Simon & Iudas in Mesopotamiam, denique in omnem terram evolant hæ nebulae sicut aves.

(a) V. Euseb. Nieber. in hist. nat. de hoc animali, quod adeo tardum est ut intra 15. dies ad lapidis iactum vix procedat.

Isa. 40. 31. Nescit tarda molimina, nescit lassitudinem, Spiritus Sancti gratia.

De avibus hactenus Spiritus Sancti ope ex aqua generatis in genere disseruimus, videamus nunc cujusnam speciei illa sint. Vestrum Philosophi axioma est: omne simile generat sibi simile; sic

Horat. l. 3. Carm. Fortes creantur fortibus, & bonis  
Est in juvencis, est in equis Patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquile columbam.

cum itaque Spiritus Sanctus columba sit, (sic enim passim à Pictoribus pingi-

tur, eaque specie in baptismo Christi apparuit) consequens est, omnes Christianos, qui ex eo generantur, columbas esse debere. Et si iterum primum hunc hodiernum factum Apostolos attendamus, nullos sanè in eis videbimus aquilinos unguis; nulla vulturina rostra, nullas ciconiarum proboscides, nulla buteonum colla, sed omnes sunt innocentes columbulae, uti eos Magister eorum docuit; *estote, sicut columbae.* Matt. 10.

De columba hoc memorabile fertur, quod sit sine felle; unde Chrysostomus: *mansuetum, inquit, est hoc animal & mite, nemini nocet, neminem laedit, ne muscam quidem, quod tamen hirundines & passeres faciunt.* Spiritu Sancto quid potest esse mansuetius, quid mitius, quem in scripturis sacris nunquam legimus iratum? De æterno Patre toties Moyses alijque scribunt: *iratus est furare Dominus; iratus est furare Domini.* De Filio Dei ita dilectissimus Joannes: *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit as, & mensas subvertit.* Quod videntes discipuli recordati sunt, quia scriptum est: *Zelus domus tua comedit me.* At verò de Spiritu Sancto quotiescunque fit mentio, semper ille amabilissimo nomine *Paracletus* & *Consolator, Pater pauperum, dator munerum, dulcis hospes anime,* \* *animarum exultatio, cordis tripudium, mastitundinis depositio, mentis requies, Lucifer in pectoris celo;* verbò mera merissimaque bonitas appellatur; & si aliquando quempiam corripit, (dicitur enim de illo, quod cum venerit arguet mundum de peccato,) hoc

Matt. 10.

Ioann. 2. 15.

\* Chryssost. 1. de Pentec.

hoc tamen ipsum more columbino facit, ut pulchrè annotavit Augustinus:

*Aug. tr. 7. fel columba non habet; tamen rostro & in ep. Ioan. 1 pennis pugnat pro nido. Sic amor quandoq; sevit, charitas sevit; sed sevit quodammodo sine felle, more columbino, non corvino. Hinc qui in tantam bonitatem audet peccare, peccatum ejus non remittetur neq; in hoc seculo, neque in futuro, ut alibi declaravi.*

*tract. 6. in Joann.* Jam autem (præfati Doctoris verba sunt) intelligat unusquisq; si habeat Spiritum Sanctum, simplicem se esse debere, sicut columbam, habere cum fratribus veram pacem, quam significat oscula columbarum. Habent quidem oscula & corvi; sed in corvis falsa pax, in columbis vera pax. Osculantur corvi; sed laniant; a laniatu innoens est natura columbarum. Quæsiit aliquando ex se ipso mellifluus Bernardus. quidnam esset Spiritus Sanctus; & respondit sibi ipsi: est osculum Patris ad Filium. Dicere similiter potuisset meo iudicio: est osculum Dei ad homines, quod fortè intellexit Apostolus, cum toties in suis epistolis monuit: salutate invicem in osculo sancto, & Sponsa, quando optavit: osculetur me osculo oris sui. Petiit osculum, ait hic idem Pater, id est Spiritum Sanctum invocat. Et: sufficit Sponsa, si osculetur ab osculo Sponsi, etiamsi non osculetur ab ore. Non enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo, quod non est aliud nisi infundi Spiritu Sancto. Nempe si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum Sanctum intelligi, utpote qui Patris Filijq; imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuum amor, indivisibi-

lis unitas. Neque potest non esse nostrum cum Deo gluten, non potest nos eidem non unire, siquidem per gratiam, quam operatur in nobis, efficitur Divina consortes natura, uti docet S. Petrus.

Est præterea hæc columba tota candida & argentea, ita tamen ut ex reflexione luminis aureum simul imitetur, colorem, qualem describit Psalter regius: penna columba de argentea, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Per argentum & candorem puritas, per aurum quid nisi charitas designatur? Vtraque Spiritui Sancto adeo innata, adeo propria est, ut in ipsam ejusdem transferit naturam. Et puritatis quidem quantam habeat rationem, patet ex eo, quod carnis acerrimus sit osor & hostis, teste ipsomet æterno Patre: non permanebit Spiritus meus in homine quia caro est: proinde quisquis ejus potiri vult, debet carnem omnino exuere, fierique & ipse totus Spiritus, sive alba columba. Docet nos hanc artem exemplo suo Apostolus, dum de se sibiq; similibus gloriatur: in carne ambulantes, non tamen secundum carnem militamus. Et rursus alio loco: non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Et: vos in carne non estis, sed in spiritu. Quasi diceret, ut ait S. Leo: quamvis corruptibilem adhuc carnem mortalemq; gestamus; rectè tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominantur affectus; si opera carnis non sequamur, quæ ex sententia ejusdem Apostoli sunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, ebrietates, comestiones & his similia, quæ qui agunt, Re-

2. Pet. 1. 4.

Pf. 67. 14

Gen. 6. 3.

2. Cor. 10.

Rom. 8. 49.

Leo serm. 1. de Resurr.

Galat. 5. 19.

Y

gnum

gnum Dei non consequuntur. In Regno Dei, quod totum spirituale est, meræ albæ columbæ videntur obvolitare. Nam imprimis purissimi Spiritus Angelici sæpissimè in hac forma visibiles apparuerunt. In vita S. Marinæ legimus coronam ei in Martyrio à columba (quæ haud dubiè Angelus fuit) impositam, cum dicto: *pax tibi Ancilla Dei: nunc confide, cælestem coronam accipiens è manu Altissimi.* S. Catharinæ totis illis duodecim diebus, quibus à Maximino Tyranno carcere tenebatur, columbæ cœlitus alimenta ministrabat. S. Fabiani capiti columba insidens, cum summo Pontificatu ceteris digniorem indicavit. Eadem DD. Chrysofomi & Gregorij Agrigentini verticibus imminens Pastorale munus quoddammodo contulit. Maria Oegniacensis Sacerdotem devotè sacrificantem spectavit, in cuius humerum columba descendit, & ut columbæ rivulos amant, fontem purissimum ex eodem humero elicit. B. Beatrici Estensi paulò ante obitum, dum inter reliquas Virgines mensæ accumberet, columba candidissima objecta est, Virginemq; aliquamdiu veluti admirans fixo oculo intuita, ultrò avolavit. S. Bavoni moribundo columba Angelica non solum apparuit, verùm etiam ceu super notæ simplicitatis & candoris virum requievit. S. Amatoris animam columba multis cernentibus in cœlum devexit. Sed & Divorum complures hoc schemate visi. S. Leonardum cuidam captivo in subterraneum specum coniecto columbæ figurâ apparuisse, eumque inde eduxisse, tradit Surius. Idem S. Radegundim Reginam columbina specie in mari periclitantibus opem tulisse ita enarrat: "Clarissimis Regibus & Serenissimæ Reginæ Brunehildi, quos haud vulgariter dilexit, atque etiam Sacro-sanctis Ecclesijs & earum Episcopis, suum commendavit Monasterium. Pro cœlesti autem hoc munere, misit suum Presbyterum cum alijs, gratias ut agerent Imperatori. Quibus redeuntibus mare fluctibus cœpit agitari, ita ut multis objecti periculis ejusmodi procellas & tempestates nunquam se vidisse faterentur. Quadraginta diebus & noctibus in medio mari in summum vitæ discrimen coniecti, cum vitam planè desperarent, & mors eis ob oculos versaretur, inter se mutuò conciliati, pelago illos jamjam absorbere cupiente, voces in cœlum dabant, ita precantes: Domina Radegundis subveni servis tuis, ut qui tibi obedimus, sine subsidio non pereamus. Libera nos de præsentissimo submersionis periculo. Vbiunque ex fide invocaris, misereri soles; adjuva ergo etiam nos, ne pereamus. Talia precantibus in medio mari columba conspicua navem ter circumvolitavit. Cumque tertio id faceret, quidam Radegundis famulus Benefarus manum extendens, è cauda ejus tres extraxit pennas, quas mari intingens tempestatem sedavit. Quid de S. Scholastica dicam? Nonne illius purissimum spiritum & innocentem animulam in columbæ specie cœlos petentem Benedictus frater germanus observavit? uti quidam alius apud D. Gregorium animam S. Spei Abbatis.

Vide Al-  
drovand.  
tom. 2. Or-  
nithol. de  
Columba  
vit. histo-  
rica.

Greg. l. 4.  
Dial.

Esto-

Estote itaque omnes sicut columbæ, in easque convertamini, non fabulosa metamorphosi, quali Semiramis, quæ

*Extremos altis in turribus egerit annos ;*

sed innocentie candore, conscientie puritate, morum pia simplicitate sicut parvuli, quos non tam *alba gallina*, quam *alba columba* filios vocare liceat, quomodo Petrus candidus & simplex à Domino vocatus est *Bar Iona*, hoc est filius columbæ, columbæ utique hodiernæ sive Spiritus Sancti, quod testatur Hieronymus: *ex confessione*, inquit, *Petrus sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habeat, cuius & filius appellandus sit; siquidem Bar Iona in lingua nostra sonat filium columbæ.* Fabulantur Mythologi aves ex ala Cupidinis esse procreatas: at columba hæc divinissima ex amore Dei nata, aut potius spirata, ab eodem volatum & alas accepit; sub quibus dormire & requiescere o quam suave, quam jucundum, quam beatum! Hi enim sunt illi *cleri*, de quibus vates Regius: *si dormiatis inter medios clericos columba d'argentata.* *Κληγοι* quippe, sive *cleri* proprie alas columbarum significant, ut animadvertit vetus Autor Græcus, † qui de re accipitraria scripsit, & hinc *κλήγω-*  
*σι Clerosim* ait nominari morbum &

affectionem columbæ, cum illi pennæ ex alis defluunt. Et verò nunquam eæ non bene ominosæ fuere. Apud veteres Hebræos, qui fortunis amplioribus pollebant, pro symbolo felicitatis *alas columbæ* gypso illitas tectis affigere solebant. (a) Apud Græcos ala columbinæ ad januam affixæ, argumentum erant deliciarum, & voluptatis, quæ in ædibus intimis capiebatur. (b) Babylonij pro vexillo ferebant columbam inargentatam, cujus dorsum in fulvi auri modum rutilaret, in omen illustrium victoriarum & fortunæ triumphantis (c) Eandem & Christiani pro templis olim suis passim pingebant, uti inter alios fecit S. Paulinus, qui etiam hos picturæ subjecit versus:

*Quæque super signum resident cæleste columba  
 Simplicibus produnt regna patere Dei.*

Regna, ubi est dies æternus & unus omnium spiritus, ubi est certa securitas & secunda æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas, & suavis jucunditas: ubi perpetui celebrantur triumphus, & speciei sive speciosæ domus dividuntur spolia. *Nisi ergo conversi fueritis & efficiamini sicut columbæ, non intrabitis in Regnum cælorum.*

a Euthym. in Psal. 67.

b Aristoph.

c Prædus in Ezech.

Ovid. 4. Metam.

Matth. 16.

Psalm. 67.

† apud Cre-  
 foll. anthol.  
 dec. 1. c. 10.  
 Sect. 4.

Matth 16.





## DOMINICA TRINITATIS.

In Circulo perfectio.

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matt: 28.*

Sap. 1. 7.

Horat. l. 1.  
ep. 5.

1. Tim. 6. 16

Prov. 25.  
27.

**D**iebus præteritis Mundus præsentatur Deus, in forma venerandi universus plenus erat linguis, imò totus erat lingua, quando *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam* habuit vocis: verùm sicuti tum omnia fuere eloquentissima; ita hodie omnia debent obmutescere; nullus Tullius, nullus Demosthenes, nullus Hegesias suggestum audet conscendere; & quemadmodum tunc *Fœcundi calices quem non fecere disertum?* ita hodie inexhausta divinæ majestatis abyssus quem non faciat elinguem? Cui enim fas sit loqui, quando mysterium quod recolitur est *ineffabile?* quis in lucem prodire ausit, quando is cujus festa agimus, *lucem habitat inaccessibilem?* Ego certè qui dicendi munus in præsentiarum suscepi, omnino ignoro unde exordiar: & dicere incipientem protinus consternat illud terribile edictum: *qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Quare varia animo agitantis visum est, cum oratori esse non liceat, agere pictorem, divinamque Majestatem si non verbis, saltem coloribus quoquomodo adumbrare. Sed ludicrum hoc meum propositum censebitis, siquidem nullus adeo peritus Apelles hucusque reperi- tus est, qui vultum divinum vivis coloribus effigiasset. Prostant equidem passim tabulæ & picturæ, in quibus re-

præsentatur Deus, in forma venerandi senis, gestantis in sinu filium, è quorum utriusque corde procedit alba columba. Aliæ imagines, aut veriùs symbola cernuntur, ubi Deus pingitur sub schemate oculi, pone quod est sceptrum. Ægyptij volentes Deum pingere, pingebant hominem vultu & statura gravi, de cujus ore prodibat globus, toga coloris hyacinthini ad talos defluebat, quam aureus infernè mordebat limbus, manuum altera sceptrum, altera spheram præferbat; caput erat alatum. Sed ò ludicra hominum studia! Deus uti ex se invisibilis est, ita visibilibus & crassis coloribus nequaquam expingi, ac representari potest. Crederem faciliùs exprimi posse per subtilissimas & visis aciem effugientes lineas, qualibus unà Parrhasius & Apelles duo Pictorum lumina concertabant; faciliùs inquam per lineas Deum exprimi posse crederem, cum ipse aliud non sit, quàm *absolutissima linea*, & perfectissima, si ita loqui liceat, perfectio. Bene habet; non est quod in pictura laborem, nam ecce jam jam video cortinam diduci, video non jam *Apelleam*, sed *pelleam* proponi tabulam lineas ejusmodi continentem, quæ verissima DEI lineamenta licet appellare. Vos non tam Auditores, quàm curiosi este Spectato-

Quo-

Quoties accuratâ mentis indagine, vastum hunc Vniversi globum considero, toties aliud mihi videre non videor, quàm tabulam pictoriam Divinitatis representativam, non tam telâ, quàm pelle constantem. Quid enim? an non sacer Lyricus jam pridem de

*Psal. 103.3.*

Deo cecinit: *extendens cœlum sicut pellem?* Et quid porro pellis ista exhibet?

*Psal. 18.*

*Cœli enarrant gloriâ Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Contemplemur cœli lumina, intueamur, astra, attendamus sidera, observemus Planetas, quanta hic non emicat gloria, quanta non elucet majestas! adeo ut plurimæ gentes divinum quidpiam in his inesse putantes, Deos inde sibi legerint, Ægyptij quidem Solem, Persæ Lunam; Romani verò nescio quos Joves, Martes, Mercurios, Veneres, Saturnos, Perseos, Hercules, Andromedas, Cassiopeas, Cepheos, eo ipso divinitatem credebant assecutos, quòd in astra & stellas fabulosâ metamorphosi crederent transmutatos. At non sic Romulidæ non sic! audite Euripidem vestrum tale de stellis judicium ferentem: *Stella in cœlo sunt varietas sapientis pictoris.* Quasi diceret: non sunt aliud quàm picturæ & quædam Dei ectypa, è quibus illius pulchritudinem liceat æstimare. *Pulcherrima proinde pellis* (uti Davidi concinit Bernardus) *cœlum est, quæ in modum magni cujusdam tentory universam operiens faciem terra, Solis, Luna, atq; stellarum varietate tam spectabili humanos oblectat aspectus. Quid hac pelle formosius? quid ornatius cœlo? Cœli enarrant gloriam Dei.*

*Bern: serm. 27. in Cant.*

Jam verò si à cœlis ad terram oculos deflectamus, nonne & ipsa Dei effigies, nonne Deum loquens pictura est? Ex uno lilio cætera discite, cui testimonio ipsius aternæ veritatis tantum non divina inest majestas, siquidem *nec Salomon Regum maximus in omni gloria sua ita coopertus est sicut unum ex istis*, ut proinde pronis in terram hominibus pronum fuerit ea adorare, quæ augustâ specie oculos in admirationem sui raperent, ut, aurum, margaritæ, ignis, & alia id genus. Quid quod & boves, Crocodilos, feles, Ægyptiorum Deos legimus, quòd in eis nescio quam sibi utilem agnoscerent bonitatem? Deo enim non minùs convenit esse pulchrum quàm bonum; nec propiùs ad eum accedit, quàm qui alijs novit benefacere. Mures informe viventium genus quis non ex toto Vniverso sublato cupiat? Et tamen in his quoque, nonnullam divinitatis particulam repererunt Troadenses, cum eos suorum catalogo Deorum adscripserunt vel ideo, quòd hostium urbem obsidentium arcus morso suo jaculationi inhabiles reddendo, civium vitas, & capita salvaverint. Quid? ipsas compedes (si Palladio credimus) ipsas alioqui ingratiſſimas febres, ipsam Dominis invisissimam podagram complures ex Ægyptijs divinis honoribus non dubitaverunt profèqui, quòd ab his domi detenti fugientes Judæos per mare rubrum cum vitæ suæ certissimo periculo insequi sint prohibiti. Non solùm ergo cœli, sed & terra enarrat gloriam Dei; nec ulla tam vilis est creatura, quæ non aliquam divinæ si non pulchri-

*Matth. 6.*

29.

Aug. l. 13.  
Conf.

chritudinis, at saltem bonitatis contineat portionem. Pulchrè proinde subtilis Afer: ecce cœlum & terra clamant; facti sumus. Tu Domine fecisti ea, qui pulcher es; pulchra sunt enim: qui bonus es; bona sunt enim: qui es, sunt enim. Sed nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, uti tu conditor earum; cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Et l. 10. Conf: ita de se fatetur. Interrogavi terram & dixit: non sum, & quæcunq; in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare & abyssos, & reptilia animarum viventium, & responderunt: non sumus Deus tuus, quare super nos. Hic jam aliquis nodosam quæstionem illam à Simonide nunquam enodatam mihi proponet. Heus tu edillere tandem nobis, quid est Deus? ne vos diu morer, citò respondeo cum Empedocle: Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. Passim Mathematici qui de figuris acerrimè disputant, in eo conveniunt, rotundam seu circularem omnium esse perfectissimam, quòd Deum utcunq; imitetur, utpote quæ in se ipsam rediens, nec principium habeat, neque finem. Deus itaque circulus est, quia perfectissimus, & ideo ut se ipsum suamque perfectionem increatis exprimeret, mundum universum rotundum fecit, rotundum juxta probabiliorem sententiam cœlum Em-pyreum, rotundum firmamentum, rotundum Solem, rotunda astra, rotundam terram. Et quid de homine microcosmo dicemus? an non & ipse nativâ suâ figurâ rotundus est, adeo ut illum S. Bernardus cœlo comparet. Li-

Bern. ser. de  
S. Martin.

**D E V S**  
omnia fecit rotunda ut suâ perfectionem exprimeret.

cez, inquit, quodammodo cœlum sit homo. Cœlum est, quia ut loquitur Cassiodorus: caput humanum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cœlestis spheræ rotunda concavitate formatum est. Cœlum est, quia ut ait Cornelius à Lapide: duo oculi quid sunt nisi Sol & Luna? Cœlum est, quia ut docet Paulus: homo de cœlo cœlestis. Sed verte modò stylum ô Paule! & dic; homo de terra terrenus: nam sicuti terra quamvis rotunda sit, tamen in quatuor comuniter secatur partes, videlicet in Europam, Asiam, Africam, & Americam; ita homo cum naturâ suâ, ut dixi, rotundus sit, & circularis, tamen malitiâ suâ degenerat in quadraturam, cum se ipsum quadratum facit non tam rusticum, quàm bestiam. O quàm multi hodie sunt homines, in quibus non est ultra videre firmamenti figuram, non astra & planetas, non Lunam & Solem, sed est videre mortiferum Americæ Crocodilum, in formem & vastum Africæ Elephantum, gibbosum Asiæ Camelum, salacem Europæ Taurum. Proh qualia monstra! qualia lineamenta! quàm turpes figuras! homo de terra terrenus. Matth: 5. universos monet Christus: estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est. Non perfectus esse non potest, siquidem circulus est, & ideo nullam admittit quadraturam; quippe ut vulgò dicitur: numero Deus impari gaudet. In triangulum duntaxat Isosceles se patitur reduci: tres enim sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Pari ratione homo, qui præ cæteris creaturis ad imaginem & similitudinem Dei factus est, non rotundam tan-

Cassiod. lib.  
de anim. c.  
16.

1. Cor. 15.

1. Ioan. 5. 7.

tantum, sed & triangularem figuram recipit.

Porrò D E V S triangulum suum in eo longè stabilius quàm Phidias suum in Minerva nomen expressit, imprimèdo ternas animæ illius potentias, *memoriam, intellectum, & voluntatem*, adeo indelebiliter, ut aliter quàm destructâ animâ nequeant deleri. Sed cum triangulum istud ac cœlestè *Deltoton* illuminare deberet *minio* fidei, *argento* spei, *auro* charitatis (quæ tres sunt virtutes Theologicæ) is veluti discipulus aliquis puer denigrat & conspergit illud *aramento* peccatorum, pingit super illud nescio quos masculos, & manducos. O rem mille plagis dignissimam! Si quispiam imagini Regis appingeret cornua, aut longas asini aures, vel accipitris rostrum, vel vaccinam, caudam, quantæ non poenæ reus foret! nullus dubito quin in talem capitis anquiretetur. Et tamen ô pessime homuncio, quotiescunq; proximum tuum ceu cornupeta aliquis feris, famæ illius detrahis & honori, quid aliud agis, quàm Dei imagini cornua appingis? quoties in divino servitio tardum imitaris asellum, quid nisi asini aures? quoties cadaveribus foetidarum pasceris voluptatum, quid nisi corvi aut accipitris rostrum adjicis? *Ego ô homo, queritur Deus apud S. Augustinum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum, tu eam peccatorum sordibus polluisti? Non sic, non sic; sed estote perfecti sicut Pater vester perfectus est. Deus est circulus cujus centrum ubiq; circumferentia nusquam.* Non possum hîc præterire quod egregius sacrorum scriptor fastorum Surius in vita S. Edmundi memorat de S. Ma-

bilia ejus Matre: dabat operam litteris Edmundus in Vniversitate Parisiensis; totumque se studio Mathematico, quod aliàs hominem vehementer rapit, immerferat. Forte in somnis ei se visendam præbet Mater, quærit ex filio, quid sibi hæ lineæ, quid circuli, quid quadrata, quibus pingendis te adeo occupas, volunt? cum respondisset quod res erat, Mater apprehensâ ejus manus tres in illa perfectissimos efformat circulos, dans uni nomen *Patris*, secundo *Fili*, tertio *Spiritus Sancti* cum dicto: "hisce deinceps figuris fili mi intentus esto, omissis istis, quibus te occupas." Animadvertit filius mentem matris, & exinde relicta Mathesi totum se ad Theologiam transfudit.

Videtur mihi S. Mabilia non modò suum Edmundum, sed multos etiam, hodieque studiosos malè collocati studij posse arguere. Quàm multi enim sunt Mathematici, quàm pauci Theologi! multi, inquam, qui Geometria duntaxat student, qui terrena sapiunt, terram magno metuntur, de ejus limitibus nimium quantum litigant, pro ea pugnant, dimicant, & usque ad sanguinem certant, illius explorandæ causâ longas & difficiles peregrinationes, navigationes, itinera suscipiunt: de cœlestibus verò circulis valde parùm & valde rarò cogitant, pessimè illud Psalmi interpretantes: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum; & : quæ supra nos, nihil ad nos.* Imò vel maximè ad nos; non enim veluti bestia, terræ, sed cœlo conditi sumus, ut pulchrè in suo Exercitiorum fundamento docet S. Ignatius cum ait:

*crea-*

Serm. 267.  
de temp;

Surius 16.  
Novemb,

creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum revereretur ac laudet, eiq; serviens tandem salvus fiat. Idem docuerunt & agnoverunt ipsi Ethnici : Naso ita canit :

Ovid. Metamorph.

Natus homo est ; sive hunc divino semine fecit  
 Ille opifex rerum, Mundi melioris origo,  
 Sive recens tellus, seductaq; nuper ab alto  
 Aethere, cognati retinebat semina caeli,  
 Quam satius Iapeto mistam fluvialibus undis  
 Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum :  
 Pronaq; cum spectent animalia caetera terram,  
 Os homini sublime dedit, caelumq; videre  
 Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Cic. 1. de legib.

Similiter ferè Tullius : cum caeteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad caeli, quasi cognationis domicilijq; pristini conspectum excitavit.

l. 2. de nat. Deor.

Et alio loco : sunt ex terra homines non ut incola atq; habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium.

Tollenarius in spec.

vanit.

Eccles. c. 2. f. 3.

Proinde non homo ; sed bestia fuit ille, quem nonnemo ita describit : " novi in Belgio extitisse virum quendam copiosum, qui cum hortos cultissimos in Urbis pomario haberet, salute à medicis deposita, per hortum sellâ gestatoriâ se circumferri curavit ; & inter gestan-

dum eheu ! crudele fatum, exclamat, quod à tanta amœnitate divellit ! ô Deus ! nunquam à te caelum petij, cur mihi invides hanc terram ? Pulchra sit licet terra, habeat licet & ipsa aliquam beatitatis speciem : tamen, si cum caelo conferatur, est veluti rudissima tironis pictura respectu Zeuxidis Helenæ, aut tabulæ Apellæ ; vel ceu unica dulcedinis stilla respectu totius Oceani. Ac propterea credo Deus, cum caeli ac terræ sit æquè Dominus, quamvis utriusque per suam immensitatem ac omnipotentiam præsens, rarissimè in sacris paginis intitulatur à vel de terra ; quasi nimis parvam reputans eam possessionum suarum portionem ; sed communiter Deus Cæli, Pater de Cælis Deus, Altissimus ; quemadmodum & nostrates Domini in titulis suis plerumque viliores pagos & villas prætereunt, præcipua tantum loca enumerare contenti, ac reliqua supplendo per tot & caetera. Et quid aliud per caetera, nisi terrena intelligere potuit Christus, dum

Lua. 12. 26.

dixit : quid de caeteris solliciti estis ? quasi dixisset : quid vobis cum terra, quid cum uno puncto ? quin potius, querite Regnum Dei, & justitiam ejus ; studete caelesti sphaeræ, studete Divinis circulis, eosque vivaciùs contemplemini, ac non tam in papyro quàm in corde per imitationem expingite ; verbo estote in hac scientia perfecti, & tunc unusquisque cum meo Ignatio dicet : quam sordet mihi terra cum caelum aspicio ! & cum Francisco ! Deus meus, & omnia !

DOMI-

## DOMINICA TRINITATIS.

ALLOCVTIO II.

DEVS ad Amicitiam naturâ suâ propendet.

*Ecce ego vobiscum sum.* Matt: 28.

M Agisne è Principis majestate sit, frequentius inter suos conspici, cum eis versari & agere, an potius omnino à conspectu populi sese abstrahere;

*Politici certant & adhuc sub judice lis est.*

Plutarchus Periclem scribit nulla alia re magis sibi auctoritatem apud Athenienses conciliasse, quàm quòd rarissimè in publicum prodiret. Bodinus Regem Indiæ sua ætate fuisse memorat, qui præter uxorem ac liberos alloquebatur neminem, neque cernebatur ulli, sed de domesticis quispiam arundine ori admotâ adventantibus responsa dabat. Alius quidam neminem nisi per vitrum alloquebatur, & ita in cavea ista vitrea majestatem se tueri posse existimabat. Contrâ Agefilaus Rex Spartanorum assiduè in propatulo & omnium oculis versari gloriabatur. Trajanus reprehensus ab amicis, quòd se alijs familiariorer faceret, quàm deceret Imperatorem, respondit: talem præstabo me Imperatorem privatis, qualem ipse privatus optassem. *Continuus aspectus*, inquit Callistratus, *minùs verendos magnos homines ipsa societate facit.* Et rursus attestante Aureliano\*: *Imperator qui domi clausus*

*est, vera non novit, & cogitur hoc tantùm scire, quod alij loquuntur.*

Sed litem hanc & problema resolvere videtur ipse summus mundi Dominus ac Monarcha, ille nimirum qui hodie gloriatur: *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; resolvere, inquam, videtur, cum non dubitet se ita communem facere hominibus, ut præsentiam suam ne quidem ad unum diem illis subtrahat: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Beatius nihil expectare possumus, quàm Deum esse nobiscum, hæc beatitatis nostræ summa, hic felicitatis terminus. Cupiebat pia quædam femina scire ex Beata Virgine, quòdnam verbum Angelicum omnium svavissimè ejus aures ferierit. Obscureta est postulanti femine Virgo, eique apparens dixit, sibi omnium gratissima & svavissima fuisse hæc duo: *Dominus tecum.* Eadem B. Eulalie *Pom. B. 1<sup>o</sup> commendavit: quando me, inquit, part. 4. A. 3. salutis Angelica salutatione, noli, si vis mihi placere, amodò illam salutationem tam cito proferre, scias me tunc gaudium summum percipere, maxime cum dicis: Dominus tecum.* Apud Hebræos communis hæc se mutuò salutandi formula fuit. Sic Angelus Gedeoni: *Dominus tecum virorum fortissime.* Sic Booz messoribus: *Dominus vobiscum.* Sed & defacto inter Germanos mos

Z

iste

Bod. 4. de  
Rep. c. 6.

Kirchn. de  
Rep. Diss.  
20.

Callist. l. 19.

\* ff. de offic.  
Præs. Vopi-  
sc<sup>o</sup> in Aur.

Pom. B. 1<sup>o</sup>  
part. 4. A. 3.  
C. 4<sup>a</sup>

Ind. 6.

Ruth. 2.

iste precandi in usu est. Hinc Rex Sue-  
 ciae Gustavus ante praelium Lucense  
 suis non aliam dedit tesseram, quam :  
 † Gott mit *Deus nobiscum.* † Quanquā ille non cū  
 vns. omnibus aequaliter est, ut acutè pro suo  
*Aug. supra ingenio notavit Hipponensis Doctor.*  
*illud Matt.* Nam cum Justis, & *in Justis est sicut pro-*  
 6. Pater, tector, adjutor, & amicus; *in reprobis si-*  
 noster. *cut pavor, horror, & inimicus, id quod*  
 praesenti sermone prosequar, simulque  
 docebo Deum naturā suā ad amicitiam  
 propendere, eamque nobis unice ex-  
 petendam esse.

Cū multis ineffabilem Dei essen-  
 tiam nominibus exprimere vellent ve-  
 teres Hebraei, inter alia nomen ei מְקוֹם  
*Makon* quod est locus indiderunt, quasi  
 indicarent illum esse communem re-  
 rum omnium locum, extra quem exi-  
 stere nusquam possint. Hinc Paulus  
 in Actis: *non longè abest ab unoquoque*  
*nostrum; in ipso enim vivimus, movemur,*  
*& sumus.* Hoc est, ut explicat Corne-  
 lius à Lapide, sumus in ipso tanquam  
 in continente & loco. Deus enim si-  
 cut est ævum ævorum, ita est & spati-  
 um spatiorum, & locus locorum. Imò  
 ut ait S. Augustinus: *est quasi mare*  
*quoddam immensum per infinita spatia*  
*extensum, in quo mundus, & omnia qua*  
*in eo sunt, innatant quasi spongia in Oceano.*  
 In Deo ergo quasi pisces in aqua toti  
 immersumus; in Deo quasi in aethere  
 infinito vivimus, & toties quoties au-  
 ram attrahimus, Deum attrahimus, in-  
 tra Deum stamus, & habitamus, cum  
 illo toti penetramur. *Ipsè (verba sunt*  
*Lyrani) est nobis intimior, quam nos ipsi,*  
*quoniam ipse conjungit principia intrinse-*  
*ca, quibus unusquisq, nostrum substantia-*

*liter constituitur.* Amicis, quos voca-  
 mus intimos, id solenne est, ut se pe-  
 netrare cupiant. Sic duo amici (ut  
 refert Plato) simul iter instituentes,  
 cū in Vulcanum casu incidissent, &  
 ab eo instantè urgerentur, à se, quid-  
 quid in hoc mundo potissimum cupe-  
 rent, efflagitarent, responderunt: nos  
 ambos camino tuo inijce, ut funda-  
 mur; aut in incude ita contunde, ut è  
 nobis duobus unum efformes. Divi-  
 nissimæ tres Personæ: *Pater, Filius, &*  
*Spiritus Sanctus,* unum sunt inter se  
 per naturam, cupiunt tamen etiam u-  
 num esse, & quodammodo in unum  
 conflare nobilium. S. Gertrudi dixit  
 aliquando Deus: *ego qui sum purus &*  
*merus amor, ita desidero ut uniaris mihi*  
*indissolubili unione, sicut homo desiderat*  
*retinere halitum & spiritum suum, sine*  
*quo nequit vivere.* Et libro 1. vitæ c.  
 4. sic de ea loquitur: *ego totus sum illius,*  
*ac tali amore divinitatis meæ illi sum in-*  
*separabiliter unitus, quasi in eodem me-*  
*tallo conflata vi ignis uniantur aurum &*  
*argentum.* Nempe deliciae illius ma-  
 ximæ, ut S. Lutgardi revelavit, esse  
 cum filijs hominum. At numquid se  
 ipso satis beatus? Ut quid igitur con-  
 versatione cum hominibus, sibi infini-  
 tē inæqualibus pro complemento suæ  
 felicitatis opus habet? Ethica quæstio  
 est: an inter inæquales dari possit vera  
 amicitia, & respondetur negativè.  
 Rursum alia quæstio proponitur: *an*  
*beatus amicis egeat?* & respondetur af-  
 firmativè. *Quis enim esset fructus in pro-*  
*speris rebus (ait Seneca) nisi haberes ami-*  
*cum, qui illis aequè ac tu ipse gauderes?*  
 Deus igitur hoc ipso, quod beatissimus  
 sit

lib. 3. vitæ.  
26.

Vernul. In  
sit. moral.  
l. 4. c. 4.  
c. 12.

fit, non satis habuit se, naturamque suam communicare ad intra divinis personis, nisi etiam eandem communicaret ad extra hominibus per gratiam habitualem, per quam eos è statu inæqualitatis elevat, ut, teste S. Petro, efficiantur consortes divinæ naturæ: gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, ut per hac efficiamini divinæ consortes natura. Est gratia, ut docent Theologi, supernaturalis quædam qualitas animæ infusa, adeo præstans & excellens, ut per eam proximè & summè participemus divinam naturam, itaq; Dei amici fiamus, ut verissima inter nos & illum amicitia intercedat, quem admodum docet Svarez. Præcipua, ut reliquas taceam, conditio est amicitia, idem velle atque idem nolle, juxta illud Sallustij: idem velle atq; idem nolle ea demum vera amicitia est. Et illud Ciceronis: amicitia est voluntatum summa consensus. Non vult defacto Deus, nisi quod Justus; nec Justus, nisi quod vult Deus, adeo ut non tantum unus ille, sed omnes Justi hoc quasi proprio nomine appellari possint. Quod vult Deus, \* & Deus vicissim: Quod vult Iustus. Rogavit illum aliquando Abraham circa Sodomitas: quid si tibi inventi fuerint quinquaginta Iusti (& sic deinceps descendendo usque ad decem) non delebis locum istum? Respondit: non delebo. Et quamvis postea deleverit, id factum, quia Abraham ulterius non petivit; communiter enim sentiunt Interpretes, si perrexisset petere etiam usque ad unum, Deum in Sodomitas in gratiam Abrahami servitutum non fuisset. Blossius Tiberij Gracchi amicus

cum, quid in gratiâ ejus fecisset, interrogaretur: Omnia, inquit. An etiam templa incendisset? nunquam id ipse ait, voluisset, si voluisset tamen, fecissem. Si nos quæreremus ex Deo, quid in gratiam Abrahami sui intimi amici fecerit, meritò responderet; omnia: qui enim proprium filium suum semini ejus dedit, quomodo non omnia cum illo donavit? Sed si præterea quæreremus, cur Sodomam & Gomorrhaim incendit? diceret: nunquam ipse contrarium voluit, aut petijt; si voluisset tamen, non fecissem. Alberti II, Imperatoris symbolum fuit: amicus optima vita possessio. Et Socrates apud Laërtium dicere solebat, nullam possessionem amico fideli pretiosorem esse; hinc apud Scythas, teste Luciano, ditissimus habebatur, qui optimos amicos possideret. O quam veriùs de amico Deo dixerò: Deus optima vitæ possessio. Hunc qui per gratiam habitualem possidet, meritò ditissimus, meritò beatus censendus est. Si enim amicorum omnia sunt communia, quomodo non omnia habebit, qui Deum rerum omnium Dominum amicum habet? Fons, unde bona promanant, est cum benigno Deo familiaritas, inquit Philo; & D. Ambrosio teste, nihil ei deesse potest, cui adest omnium plenitudo. Hinc Justus & ipsi quidam Dij sunt, ut patet ex illo Christi dicto: ego dixi; Dij estis, & filij Excelsi omnes, qui gloriari queant cum Apostolo: omnia possumus in eo qui nos confortat. Sed horresco, dum verba illa ejusdem Domini in mentem revoco: nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus est. Itane Diabolus

Rom. 8. 32.

Phil. de migrat. Abraham.

Ambr. l. 2. de Jacob. &amp; vita beata 6. 5.

2. Pet. 1.

Svar. 2. 2. g. 23. a. 1. Valentia &amp; a. li. Sallust. in Casil.

\* meminit illius Martirol. Rom. 26. Octobr. Gen. 18.



bolus in cætu Deorum? quis ille Diabolus? utique Judas Iscariotes. Cur ita? *hic enim erat traditurus eum*, subdit Evangelista. Ecce fœdifragum! ecce perfidum! cui meritò exprobetur: *amicæ ad quid venisti? istane amicitia fides? hoc officium? tunc amicum tuum, quem defendere ad sanguinem debueras, in manus hostium tradis? tunc ei, pro quo mori, & extrema pati te oportebat, mortem tam ignominiosam concilias? hæc benevolentia? hæc pro acceptis beneficijs gratitudo? Iuda osculo filium hominis tradis? ô signum sacrilegum*, (liceat cum Augustino exclamare) *ubi ab osculo incipitur bellum, & per amicitia indicium, amicitia rumpitur Sacramentum*. Juda Diabole quid agis? Diaboli continuo fiunt, quotquot Dei amici esse desinunt, quotquot fœdus cum Deo rumpunt, gratiam habitualement peccato mortali commutant, id quod etiam divinitus cuiusdam Personæ ostensum, quæ hominem à commisso adulterio Diabolica facie personatum spectavit. Ah qualis commutatio! qualis conversio! fieri ex Justo scelestum, è Deo Diabolum, è cœli hærede orci mancipium, è beato miserum! Etiãne cum ejusmodi Deus est? Est equidem; sed, ut suprâ ex Augustino dixi, *ut pavor & horror*. Et sic manebat cum Juda, cui identidem minabatur: *va homini illi per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset*. Nequeunt amicè simul habitare peccatum & gratia. Conduxerat aliquando spatiosas ædes carbonarius, & fullonem angustius habitantem, ad se ut migraret, invitabat. Negavit fallo, quòd fieri non posset, ut unâ viverent: nam quæ ego, inquit, abluendo nitida reddidero, ea tu fuligine replebis. Nigrius quolibet carbonario peccatum est, gratia contra omnium candidissima. Quomodo itaque in una eademque domo habitare possint, siquidem quæ gratia abluendo nitida reddit, ea peccatum fuligine & maculis replet. Hinc ubi primùm introivit in Judam Satanas, Christus ad illum: *quod facis*, inquit, *fac citius*. Ioan. 13. 27. Quid verò per hoc significare voluerit, egregiè exponit D. Ambrosius, nempe, *ut quia introierat in illum Satanas, ipse de Abel & abiret à Christo. Ejcitur itaq; & excluditur, eò quòd jam cum Domino IESV esse non possit, quia cœperat esse cum Diabolo*. Et quantopere ex ejus præsentia & ingressu sit denigratus, satis innuit Evangelista, cum dicit: *exiit continuo; erat autem nox*. *Non solum exiit; sed continuo & nocte exiit. Nec mirum, si notis tenebras habebat, qui Christum deserbat*. Sed observandum præterea, qua occasione exiverit: *cum accepisset buccellam*. Cum accepisset, non autem cum comedisset, ut rectè animadvertit D. Thomas: *fortè, inquit, in mensa dimisso pane nullam traxit moram. Cujus quidem ratio esse potest, quòd Diabolus, qui jam intraverat in cor Iudæ, timens, ne si panem comederet, eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum IESV esse, non permisit Iudam panem comedere. Quæ enim conventio Christi ad Belial? Similiter Divus loquitur Hieronymus: quomodo dies & nox misceri nequeunt: sic nec justitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & Antichri-*

Aug. serm. 127. de tēp.

Cantip. l. 1. c. 30. §. 40.

Matth. 26. 24.

Hierō. l. 2. in Iovin.

*christus. Si peccaverimus, & per peccati januam ingressus fuerit Diabolus, protinus Christus recedit.*

Gloriatur apud Matrem hirundo, quod elegantem & commodum sibi amatorem turdum reperisset. Imò, inquit Mater, non bene illi tecum conveniet: tu frigus ferre nequis, ille calor; tu ver optas & quæris, ille brumã. Gloriatu quandoq; anima peccatrix se repudiato Deo congruum sibiq; similem amatorẽ Diabolum reperisse. Sed ò misera & infelix anima, nescis, cum quo amicitiam inieris, nescis quẽ inveneris. Pessimẽ certẽ simul convenietis; nam ille flamas amat, tu aquas; ille tenebras, tu lucem; ille tormenta, tu blandimenta; ille amara, tu dulcia; ille vermes, tu delicatos saporẽs; ille foetores, tu odores; ille lutum, tu plumas; ille ferreas compedes, tu aureos torques; ille carcerem, tu libertatem; ille mortem, tu vitam; verbo ille infernum, tu paradysum. Non potest peccatori cum Dæmone bene convenire, quia vera amicitia juxta Ethicos tantum inter bonos est. *Vera amicitia*, inquit Cassiodorus, *inter bonos tantum oritur, inter meliores proficit, inter optimos consummatur.* Hinc Plato amicitias inter improbos vocabat *animarum calamitates*. Et D. Augustinus: *sunt, inquit, amici ex certa amicitia, qua nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia: sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo sibi videntur conjuncti, conscientia malã sunt ligati; cujusmodi ferẽ sunt viarum prædones, expilatores domorum, latrones & malefici, quorũ societas & amicitia sola qualisqualis lucri spe nititur, quod tamen si*

vel ex aquo non partiantur, vel majus aliunde promittatur, protinus arma in seipos vertunt, & mutuis invicem vulneribus, imò & cædibus grassantur. Sic amicum hominis Dæmon se simulat, sed propter proprium lucrum: Deus contra, qui nullius eget, in amore hominum aliud non spectat, quàm illorum ipsorum bonum: propriẽ enim amare nihil aliud est, quàm velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiam si ad se ex his nihil redeat, ut bene Tullius. Ergo AA. unusquisque nostrum cum Guilielmo Parisiensi exclamet: *va mihi, si tu Deus non fueris mecum, vel ego tecum. Beatum, & beatissimum me credo Domine, si te sentio esse mecum; sed tædet me mei, & odio ipse mihi sum, quoties sentio me non esse tecum. Quamdiu sum tecum, sum etiam mecum; non sum autem mecum, quamdiu non sum tecum; & va mihi quotiescumq; non sum tecum, sine quo nunquam esse possum.* Cum S. Gregorius Agrigentinus Antistes Jerosolymam Sanctorum locorum visendorum causã profectus, in quoddam Palæstinæ cænobium divertisset, videns Monachos, cœlestium rerum contemplationi deditos, totos à terra sursum veluti attondi, vehementi cœpit pudore suffundi, atque etiam in lacrymas resolvi. Id cum Præfectus Monasterij notasset, suspicatus eum ideo gemere, quòd longius à suis abesset; fili, inquit, ne animum nimio mærore obruas, confide in Deo; brevi reditus patebit in natale solum. At ille respondit: *non ea causa mæroris est, quòd longè absim; sola præsentis Dei contemplatio ad illum repellendum mihi satis est. Dum enim cogito*

*Cic. l. 2. de finib. Guilielmus Paris. in Meditat.*

*Metaphr.*

*Aug. hõ. 38.*

me continenter in eius versari conspectu, affatim solaty accipio. Id unum me angit, quod tam longe absim a vita religiosa perfectione. Quamdiu in hoc Mundo degimus, omnes peregrini & exules sumus; (omnis enim, ait S. Augustinus, qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est Mundi, & dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena) multas gemendi & flendi causas habemus, ut idcirco vallis lacrymarum sit vita nostra, imò lacrymarum mare, cujus litus est mors, cujus scopuli pericula, cujus venti tentationes, cujus guttæ sunt momenta: solatij tamen affatim capiemus, si continenter in DEI conspectu ac præsentia versemur, si Deum nobiscum habeamus. De Samuele

1. Reg. 3. 19. testatur sacra pagina: Dominus erat

cum eo, & ideo omnia mala præsertim spiritualia à Samuele exulabant. \* Discipuli illi in mari periclitantes ubi primum Christum præsentem habuerunt, eumque in navim accipere voluerunt, statim omni periculo sunt defuncti, statim navis fuit ad terram, in quam ibant. Cedit quippe omnis perturbatio, cunctaq; pericula desinunt, cum Christus adest inquit D. Cyrillus. David ex Dei præsentia adeo sui securus & audax factus est, ut auderet gloriari: si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quæ securitate ut gaudeatis, diligenter universi studete, ut per gratiam habitalem sit semper

Dominus vobiscum.



DOMI-

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.  
CHRISTVS in S. Communione officia boni hospitis  
explet.

*Fecit cenam magnam.* Luc. 14.



**E**A Magnatum hujus sæculi natura est, ac genius, ut, cum in omnibus magni esse, viderique satagant, tum vel maximè in convivijs suam patere velint magnificentiam. Hic opipara instruuntur symposia, hic Persica edulia, hic Attica bellaria, hic tragemata dulciaria, hic omnimoda gustus apponuntur illicia, nè quid desideretur, quod, sive ad convivarum palatum, sive saljarem faciat ad luxum. Excelluerunt alijs hoc in genere veteres Romani, qui majestatem suam non minus in epulis quàm prælijs: non minus in cibis quàm armis, constare volebant. Siquidem in gulam ingeniosi, in id unum incumbabant, ut novum, ac novum convivandi genus instruerent. Fuère, qui totos convivantibus apros apponerent, id quod non parùm miratur Satyricus:

bat, inquit, & istam consuetudinem, ut convivia per singulas literas juberet disponi, scientibus servis, velut in quo erat anas, anser, aprugna, attagen, anguilla; item, pullus, perdix, porcellus, perna, & quæ in eam literam generat eduliorum caderent, & sic de cæteris. Quid sumptuosius canà Vitellij? de quo ita Svetonius: *famosissima super ceteras fuit ei cena data adventitia à Fratre, in qua duo millia piscium lectissimorum, septem avium apposita traduntur.* Hanc quoque, exuperavit ipse dedicatione patina, quam ob immensam magnitudinem clypeum Minervæ dictitabat. In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum, cerebella, linguas phanicopterum, murænarum lactes, Carpathio usq; fretog, Hispanico, per navarchos, ac triremes petitarum commiscuit. Tantus erat Romanorum in convivando luxus, quorum gulæ, ut testatur Svidas, angustus erat noster Orbis; sed

Sveton. c. 13.

*Even. Sat.*  
1.

*Quanta est gula, qua sibi totos - -  
Ponit apros, animal, propter convivia natum.*

*- - gustus elementa per omnia querunt  
Nunquam animo pretijs obstantibus - -*

Sed satyrico magis calamo notare debuisset eos, qui tot mensis inferebant, missus, quot alphabeti numerantur literæ, eà lege, ut primo missu solæ illæ locarentur dapes, quæ à literarum principe sumerent principium, ut de Ælio Spartiano scribit Ælius verus: "habe-

Deus summus cœli, terræque Monarcha, uti in nullo ab hominibus vinci se patitur, sic multò minus in convivando videri vult inferior. Instruxit & ipse convivium eà magnificentia, cui parem hæctenus orbis non spectavit, ubi,

ubi, non tam ciborum, sive ab aëre, sive à terra, sive à mari petitorum multitudine, quàm unius divinissimæ escæ pretio certat, quæ sola ejusmodi sit, ut *omnis saporis contineat suavitatem*. Si quem attagenis cupidò tangit, attagenem sapit, si cui perdicis edendæ orexis assurgit, perdicem imitatur, si Phasianus palatum proritat, Phasiacas affert cupedias, ut jam non immeritò vocetur *Cana magna; homo quidam fecit canam magnam*. Venite nunc univèrsi, & convivas agite.

I. Est & hoc magnatibus familiare, ut solenniora convivia, qualia sunt nuptiarum, ad tempus cænæ differant, & in seram producant noctem. Simile quid egit Rex Darius, quando *fecit canam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Media, & Persidis, & omnibus purpuratis, & Prætoribus, & Consulibus, & Præfectis sub illo, ab India usq; Ethiopiam, centum viginti septem provincijs*. O mira Dei erga homines ingenia! Primâ mundi ætate, tanquam manè, solummodò jentaculum quodpiam apparavit, dum panem duntaxat usualem, vinumque Melchisedechi ad edendum proposuit. Alterâ ætate, sive in lege scripta, tanquam in meridie, instruxit prandium, ubi præter panes propositionis Agnum Paschalem assum, *cum lactucis agrestibus* exhibuit, in vicem bellariorum addens dulce manna. At verò novissimâ ætate, sive in lege gratiæ, tanquam sero, fecit cænâ, & quidem cænam magnam, in qua non jam *carnes hædorum, aut virulorum*, sed suum ipsius corpus ad manducandum præbet. O verè Sacrum

*Exod. 12. 8.*

convivium! accumbite convivæ, jam strati circum mensam prostant tori, jam promptus ad osculum stat hospes, jam in vasis calida vaporat, jam oleum in myrothecijs fragrat, parata sunt omnia. Meministis haud dubiè, questum aliquando Dominum, quòd, dum apud Simonem convivam ageret, non pro more exciperetur convivarum. *Simon, intravi, inquit, in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, sed nec osculum; nec oleo caput meum unxisti.*

*Luc. 7.*

At, at, quæ inurbanus præterijt Simon, hæc hodie Christus ipse hospitibus suis civilitatis exhibet officia. Quippe, primò antequàm ad hanc cænam accedant, pedum eis lotionem instruit, in qua ipse lotorem, ipse ministrum agere non dubitat, uti egit jam tunc, cum primos in monte Sion convivas habuit piscatores. Testatur hoc D. Ambrosius, dum ait: *quis præferendus magis omnibus videtur esse, quàm Christus, qui pedes suis lavare consuevit hospitibus, & quoscunq; sua receperit domo, ac mensa, pollutis non patiatur habitare vestigijs?* Nemo hic, obsecro, nemo, politicè dicam, an rusticè, verendum sit Petrus, nemo lotionem detrectet; alioqui certò audiet: *si non laverò te, non habebis partem mecum*. Illotis hîc non tantùm manibus, sed & pedibus manducare nefas, siquidem mundus totus sit oportet, qui ad mensam accedit Angelicam. Nec civile est, luto & pulvere sordidarum accumbere, ubi floridi accumbentibus parantur lectuli. Mos erat antiquis, ut Lipsius egregius antiquitatum collector tradit, non, uti nos assidendo, sed in lectis

II. Ante Eucharistiæ sumptionem Christum nobis pedes lavat.

*Ambr. l. 6. in Luc. c. 9.*

*Joan. 13. 8.*

purpu-

purpurâ instratis cubando, cœnas suas celebrare. Priusquam autem, inquit ille, accumberent, lavabantur, atque togas mutabant vestibus, quas à re, cœnatorias dixerunt. Tum etiam soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent; hinc nonnemo convivarum apud Martialem canit,

Mart. l. 3.

Epig. 50.

*Deposui soleas - -*

Horat. l. 2.

Ser. sat. 8:

Et alius apud Horatium convivium relicurus, surgit à mensa

*Et soleas poscit - -*

Alanus a-

puudCornel.

in Cant. 1.

Y. 16.

Habet & suos Eucharistica cœna lectulos; *lectulus* enim, inquit Alanus, *Christi dicitur caro*, & hic, sponsa attestante, totus est *floridus*, quia *caro Christi*, quæ prius in vita *floruit*, per mortem *effloruit*, & per resurrectionem *refloruit*: habet suas cœnatorias, imò nuptiales vestes, ut patet ex Matth: c. 22. ubi cuidam exprobratur: *amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Sed ne singula prosequar, lubet ipsum lotionis mysterium profundius animo subintrare. D. Ambrosius videtur, per eam intelligere Baptismum, dum ait: *Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis.* Et in illud Luc. 22. *introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram aqua portans, sequimini eum, &c.* O aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris! Et rursus, in libro: de ijs qui mysterijs initiatur: *Petrus plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum; quando eum supplantavit serpens. Idco planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur.* At numquid denuo, qui ritè baptizati sumus,

Amb. in Ps.

48.

cap. 6.

ante Eucharistiæ sumptionem baptizabimur? an non Ecclesia severissimè vetat Baptismum iterari? Nodum hunc egregiè resolvit Eximius quidam Sacrarum literarum & Patrum interpres ita discurrens: "colligo ad Eucharistiæ requiri Baptismum, non solum quoad substantiam, cum sit janua omnium Sacramentorum: sed etiam quoad effectum innocentiae, ut nonnisi cum innocentia baptismali, omnibus expurgati maculis ad hoc Sacramentum accedamus: & ideo non immeritò Apostolorum Princeps sacram Eucharistiæ sumpturos cum infantibus materna ubera appetentibus comparat: *sicut modò geniti infantes lac concupiscite.* Nusquam tamen meliùs contractas post Baptismum maculas expurgamus, nusquam certius infantiam & innocentiam amissam recuperamus ac in Sacramento Pœnitentiæ, quam vel idcirco baptismum Eucharisticum rectè dixerò, quia Eucharistica mensa sive necessariò sive congruè præmitti debet, ut dignè accumbamus. Nam qui peccato mortali inquinatus est, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas communicandi & Confessarius desit (quo casu Pœnitentiæ vicem supplet contritio) uti definivit Tridentinum, & contrarium docentes anathemate percutit. Venialia autem, quamvis non ponant obicem gratiæ sanctificantis, reddunt tamen saltem venialiter malam ipsam sumptionem, uti docent Svarez, Layman, & alij. Proinde non immeritò tantam hic munditiem quadam Persona † requirit, qualis re-

Fræc. Mæ.

doz. a in

l. 1. Reg.

c. 6. n. 21

annot.

22. Sect.

2.

1. Pet. 2. 2.

Trident. sess.

13. c. 7.

Can. 11.

† Nierens.

de adorat.

in spir. l. 3.

cap. 11.

A a

qui-

quiritur ad visionem D/E I, ad quam nemo admittitur peccato veniali notatus.

Imò, magis, inquit, sollicitè nos preparari decet ad Eucharistiam, quam si in gloriam Dei ingressuri essemus. Quod ita probat: "Jesvs

" lavit pedes discipulorum, etiamsi mundi jam essent, cum corpus suum con-

" cessurus erat illis; at verò cum eos as-

" sumpsit in montem Thabor, ad mani-

" festandam gloriam suam, lotionem

" non adhibuit, nec istam munditiam

" spectavit. Toties ergo & nobis ante

" communionem pedes lavat, quoties

" per Ministrum suum Sacramentaliter

" noxas remittit, quomodo etiam B. Vir-

\* Ernestus  
in Mari-  
ali c. 132.

" ginem ad similem lotionem cooperari

" docet Archiepiscopus Pragensis \* ita

" scribens: " nec minor est humilitas

" Matris ipsius (CHRISTI) quæ cum sit Re-

" gina Cœli & Mundi Domina, hoc tam-

" en sibi officium, velut altera Abigail,

" elegit in domo Dei, ut laveret pedes ser-

1. Reg. 25.

" vorum suorum quotidie, quia cum Deo

" jam regnans nostra excusat clemens

" mala.

Illud insuper in hac lotionem singula-

re, quòd lavandus ipse pro sui munda-

tionem materiam & liquorem suppeditare debeat. At qualem? num buty-

Job. 29. 2. 6.

rum, quo lavabatur Job ita in fimo

gemens: quis mihi tribuat, ut sim juxta

menses pristinos, quando lavabam pedes

meos butyro! sed butyrum & lacticia

poenitentibus non congruunt. Num

aquam rosaceam & balsaminam? Sed

hæc mulierem & mollitiem olet. Num

guttas roris antelucani, è quibus magno

Vincent. l.  
25. c. 53.

labore collectis Dominici Sylvij Vene-

torum Ducis uxor balneum sibi instrue-

re solebat? Sed hoc luxum nimium

spirat. Marià, mihi credite, aquâ

pœnitentes optimè baptizantur, qui-

bus identidem accinitur: magna est ve-

lut mare contritio tua. Quòd si mare

ab amaritudine etymologiam trahit,

amara quoque sit oportet, qualis erat

Petri, dum egressus foras flevit amare:

qualis B. Francisco Borgiæ, qui, ante-

quam Eucharisticæ mensæ accumberet,

memor à Domino lotos discipulorum

pedes, minimos etiam naves exomo-

logesi lacrymis undante diluebat.

Jam ergo nobis sic ablutis, & mun-

datis, divinissimus hospes, familiare

figit osculum. Audite iterum Ambro-

sium: anima, cum se videt ab omnibus

mundam peccatis, & dignam, qua ad al-

tere Christi possit accedere, ait: osculetur

me osculo oris sui, hoc est, osculum mihi

Christus insigat. Est osculum signum

maximi amoris: nam quando alter

alterum basiat, vult suum quodammo-

do spiritum in os ejus transfundere, &

ei uniri, & notavit præ cæteris Joannes

Kirchmannus, qui, cum de Romano-

rum funeribus agit, inter cæteras cere-

monias & hanc observat, in more fuisse,

ut moriente quopiam, is, qui fami-

liarissimus habebatur, ad lectulum ac-

cederet, ori quæ amici supremum (svavi-

um) infingeret. Causam hujus obsequij

protinus subdit: animam exeuntem hoc

modo excipere, & in se transferre voluerunt.

Congruit illud Petronij Arbitri:

transfundimus hinc & hinc labellis errantes animas.

Et illud Cephali apud Ovidium de moribunda uxore:

Dum quæ aliquid spectare potest, me spectat, & in me

Thren. 2. 3.

Luc. 22. 62.

III.

In sumpti-

one Eucha-

ristiæ nos

osculatur.

l. de Sacra-

men. c. 2.

Ovid. 7.

met.

Infe-

*Infelicem animam, nostrorum, exhalat  
in ore.*

Ramir. in hoc est in postremo osculo, ait Pintus  
Cant. c. 1. Ramirez. Nimirum, ut bene Dionysius:  
*habet amor vim rumpendi, miscendi, &  
uniendi, qui significatur per osculum.* Po-  
tuitne amabo Dei Filius majoris in nos  
amoris exhibere indicia, quam cum  
non solum os suum ori applicuit no-  
stro; sed insuper in os nostrum totus  
descendere non dubitavit? Hic ille  
nos sibi intimè conjungit ac unit, imò  
penitus in se convertit; non aliter ac  
convertitur cibus in substantiam aliti  
(ut loquuntur Philosophi.) *Qui man-*

ducatur meam carnem, in me manet, & ego  
in illo; quasi diceret: fit alter ego, fit  
alter Christus, seu, ut clariùs explicat  
Evthymius: *unum corpus mecum efficitur.*  
Idem confirmat S. Cyrillus ex-  
plicans illud Christi ad Patrem de Di-  
scipulis. *ut sint unum, sicut & nos unum*  
*sumus*, ubi docet nos per sumptionem  
Eucharistiæ fieri unum cum Christo, &  
per Christum unum cum Deo. Simi-  
liter Tertullianus: *Christo, inquit, con-*

corporei sumus, quoties de Deo saginamur.  
Tertull. de Experta est hoc S. Agnes, quæ dicebat:  
resur. c. 8. *jam corpus meum corpori ejus sociatum  
est.* Expertus Joannes à Cruce Ordinis  
Carmelitarum post S. Tereciam,  
præcipuus assertor, qui & ipse ex fre-  
quenti Eucharistiæ usu, cultuque singu-  
lari in illam totus transierat, nam dum

Hadrian. tertio ab obitu anno particula carnis  
Lyraus de imit. Chri- de ejus corpore præcideretur, in ea ap-  
sti patient. parebat nunc Christus Salvator cruci  
l. 2. c. 5. affixus, nunc Venerabilis Sacramenti  
hirotheca, coram qua ipse genibus ni-  
xus videbatur. Idem, credo, in spi-

ritu præviderat Jacob Patriarcha, dum  
abiens ex Bethel (ubi scalam illam pro-  
digiosam viderat) secum ipse sic ferè  
locutus est. *Si fuerit Dominus mecum,  
& custodierit me in via, per quam ego am-  
bulo, & dederit mihi panem ad vescen-  
dum, erit mihi Dominus in Deum.* Pa-  
gninus vertit: *erit mihi Deus in Deum.*  
Vnde nonnulli probabiliter inferunt:  
Patriarcham nequaquam de pane usu-  
ali, sed de pane Eucharistico propheti-  
cè locutum: quasi diceret; si dederit  
Deus posteris meis ad vescendum car-  
nem Filij sui sub specie panis, erit no-  
bis Deus in Deum: hoc est, converte-  
tur in nos; & nos pariter faciet Deos.  
Meritò igitur hoc SS. Sacramentum  
vocatur *amoris pignus*; quia hic Deus  
seipsum nobis quodammodo oppigno-  
rat, ut protestetur, quòd, cum dilexif-  
set nos, dilexerit in finem.

Sequitur tertia convivarum cere-  
monia, *Vnctio*. Ungebant capita ve-  
teres ante accubitum, tum, ut inter-  
cænandum svaviùs redolerent (quem-  
admodum de Magdalena ait Evangeli-  
sta, quòd, cum effudisset unguentum,  
nardi pistici pretiosi super caput re-  
cumbentis Jesu, *repleta sit domus ex o-  
dore unguenti*) tum confortandi cere-  
bri, & capitis gratià, quò ad ferendum  
largiorem haurtum, evaderent aptio-  
res. Odores enim grati, quia calidi ce-  
rebrum frigidum & contractum suo  
calore & lenitate calefaciunt, resol-  
vunt, & roborant, quo fit, ut faciliùs  
fortiusque vaporibus vini indeque e-  
brietati resistat. Multa hujus con-  
svetudinis apud Autores extant testi-  
monia, Horatius ita alicubi canit:

I V.  
ungit.



- Horat. l. 2. *Huc vīna & unguenta, & nimium*  
od. 3. *breves*  
*Flores amena ferre jube rosa.*
- Idem cū Mæcenatem ad cænam in-  
virat :
- l. 3. od. 29. *Tyrrhena Regum progenies, tibi*  
*Non ante verso lene merum cado*  
*Cum flore, Mæcenas, rosarum, &*  
*Pressa tuis balanus capillis*  
*Iam dudum apud me est - -*
- Cic. 2. Ca- Cicero in Catilinaris: quis, inquit,  
til. *ferre possit, incertos homines fortissimis vi-*  
*ris insidiari, ebriosos sobrios? qui mihi ac-*  
*cubantes in convivijs, vino languidi, con-*  
*fecti cibo, fentis redimiti, unguentis obli-*  
*eructant sermonibus suis cadem honorum,*  
*atq; urbis incendia. Imò eò usque lu-*  
*xus processit, ut vel pedum vestigia*  
*unguentis illinerent, quod Neronem*  
*ab Othone doctum factitasse refert.*
- Plin. l. 13. Plinius: *vidimus, inquit, etiam vestigia*  
nat. hist. c. 3 *pedum tingi unguentis, quod Marcum*  
*Othonem monstrasse Neroni Principi fe-*  
*rebant. De Atheniensibus verò Athe-*  
*dipnos. c. c. næus: fuit consuetudo quadam Athenis,*  
*ut qui delicijs dediti essent, etiam pedes un-*  
*guentis perungerent. Philostratus ad*  
Philost. l. 3. *Hyphalidem fluvium arbores nasci*  
vita Apol. *tradit, à quibus unguentum distillat,*  
lony. *quo in nuptijs Indi perungi consue-*  
*runt, tantique ab illis æstimari, ut, nisi*  
*eo nubentes toti peruncti fuerint, im-*  
*perfectæ nuptiæ, & Veneri minimè*  
*gratæ putentur. Habet cœlestis spon-*  
*sus sua unguenta, habet opobalsama,*  
*quibus convivas ungat, de quibus spon-*  
Cantic. 13. *sa: trabe me post te, curremus in odorem*  
*unguentorum tuorum. Doctor melli-*  
*fluus hæc unguenta ait esse divinas*
- consolationes, & spiritualem latiti-  
am, quam pia anima vel maximè in  
S. Communione percipit. Sic enim,  
in verba Sponsæ commentatur: *cur-*  
*rimus, cū internis consolationibus & in-*  
*spirationsibus visitati, tanquam in suaveo-*  
*lentibus unguentis respiramus. Hic cum*  
Psalmista dicere quisque potest: *unxit*  
*me Deus oleo latitiæ. S. Catharina Se-*  
*nenfis quoties summum illud Sacramen-*  
*tum vel vidisset, vel sumpsisset, inestima-*  
*bilis odoris suavitates sentiebat, tantumq;*  
*gaudium in ejus animo exiebat, ut non*  
*raro in ejus pectore cor exiliret, idq; cum*  
*tanto sono, ut sociæ circumstantes clarissi-*  
*mè audirent. Nec erat sonus ille usita-*  
*tus, sed valde singularis & præter natura*  
*morem. Solebat autem Sancta Virgo*  
*dicere Thoma Confessario suo: tantum-*  
*gaudium obtinet mentem meam, ut val-*  
*de admirer posse durare animam in cor-*  
*pore; adiebatq;: tantum ardorem sentio*  
*in anima mea, ut ignis materialis mihi*  
*frigere potius, quam urere videatur. S.*  
*Monica post sacram synaxim delicijs*  
*tota similiter peruncta exclamabat: cor*  
*meum, & caro mea exultaverunt in De-*  
*um vivum. Quid hic ago? volumus in*  
*cælum. S. Franciscus inter commu-*  
*nicanum, teste Divo Bonaventura, Bonav. in*  
*quasi spiritu ebrius in mentis ut plurimum ejus vitæ*  
*rapiebat excessum. S. Philippus*  
*Nerius, cū quotidie faceret, adeò li-*  
*quidus è sacri sanguinis haustu haurie-*  
*bat voluptates, ut eum eò mysterij ven-*  
*tum erat, miris modis gestiret, atque*  
*exundantem inagno cordis astu latiti-*  
*am vix caperet; itaque avidè saugebat,*  
*ut sacro calici aurum, quo argentum*  
*super induci solet, sa pius lingendo de-*  
*ter-*

Bern. ser. 21  
in Cant.

Psalm. 44. 8.

Raymund.  
in ejus vita.Bonav. in  
quasi spiritu ebrius in mentis ut plurimum ejus vitæ  
rapiebat excessum. S. PhilippusRho var.  
hist. l. 3. c. 1.  
S. 11.

ter-

tergeret. Cumque tantis animi motibus imperare jam non posset, primo Ministrum propius accedere vetuit, ne conspiceretur; verum, quia curta ea erat providentia, petita Pontificis venia secreto in cubiculo faciens, pleneque auro utens, ubi divina protulerat verba, facessere omnino jubebat; deinde duas, tresve solidas horas vel stans, vel extremam jam senectam sella sedens, in eo tripudio exigebat. Nec praterendum putavi Magdalenam Pactiam Carmelitanam, quae in odorem unguentorum Eucharisticorum, seu vera Christi sponsa curebat; adhuc puella, quo die caelesti mensae Mater accubuerat, ab ea ne latum quidem unguem discedebat, quin lateri solito diligentius se applicabat. Re animadversa interrogare libuit, quid ita faceret? tum Magdalena intimum ex latentis DEI vicinitate sensum voluptatis haurire, atque incredibili quem sentiret odore se recreari mira simplicitate respondit. Curramus ergo & nos frequentius in odorem istum, aut potius volemus sicut columbae, quas odore trahi & capi

scribit Magnus Basilius, dum memorat Priscos, ut peregrinas columbas in sua columbaria pellicerent, consuevisse nonnullas e domesticis balsamo perunctas emittere. *Vnus sit nobis dolor hanc escam privari* \* quae omnis gaudij & laetitiae fontem continet, ut jam longe ante occinuerat David, dum canebat: *dedisti laetitiam a fructu frumenti & vini, hoc est, interprete D. Ambrosio: data est laetitia in corde nostro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine.* Veteres ungebantur in convivijs, ne inebriarentur: at noster divinus hospes convivas ungit, ut inebriet, quos etiam ita hortatur: *comedite amici & bibite ad hilaritatem, & inebriamini charissimi.* Hinc illa sic inebriatorum juba:

*IESU Sole serenior,  
Et balsamo suavior,  
Omni dulcore dulcior,  
Et cunctis amabilior;  
Cujus gustus sic afficit,  
Cujus odor sic reficit,  
In quo mens mea deficit  
Solutus amanti sufficit.*

\* Chrysof.  
hom. 60. ad  
popul.

Psal. 4. 7.

Cant. 5. 1.



DOMI-

## DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

## CHRISTVS Mercator animarum.

*Erant appropinquantes ad Jesum peccatores. Luc. 15.*



T inter pares facilis est consuetudo; sic inter inæquales rara est conversatio: similis plerumque simili gaudet, & quò altiùs quempiam sua evehit fors, tantò magis infra sepositos facit despiciere. Principum virorum nota censetur, non posse à quolibet accedi: si quis obscurior illorum adyta temerè ingredi præsumeret, næ is continuò temeritatis pœnas in pelle, imò in capite suo lueret. Assveri severum edictum fuit: *omnis sive vir, sive mulier, qui non vocatus intèrius atrium Regis intraverit, absq. ulla cunctatione statim interficiatur.* Sed nihilo mitior in veteri lege fuit ipse Deus, cuius hæc etiamnum hodie scripta lex prostat: *non videbit me homo & viues.* Pauperculi Bethsamitæ, quòd solùm curiosiùs aspexerint arcam Domini, percussi sunt universim quinquagies mille & septuaginta. Quod videntes ceteri clamare cœperunt: *quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* At fortunatiores ceteris animadverto hodiernos Publicanos & peccatores, quibus Deo non tantùm appropinquare, cum eo familiariter agere & conversari, verùm etiam manducare & epulari licerit. *Erant appropinquantes ad IESUM Publicani & peccatores.* Qualis hæc mutatio, aut potius exinanitio divinæ Majestatis! quod moti-

vum habuit Deus, ut societatem cum adeo abjectis hominibus iniret, à quibus Apostolus ejus cavere jubet, ita scribens: *si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejuamodi nec cibum sumere.* Hodie verò Pharisæi ipsi contra Christum murmurant: *hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Vulgatum proverbium est:

*Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.*

quod tamen in Christum minimè quadrare præsentì allocutione ostendam, causamq. veram docebo, cur peccatoribus tam familiarem se faciat, nempe quia ipse mercator animarum, & hæ ipsius divitiæ sint. Interim si & vos esse vultis venales, non multùm vobiscum de pretio laborabit, quin & plus dabit, quàm valeatis.

Dum quispiam forum & nundinas pertransit, ubi merces expositæ sunt, dum inter officinas empturiens obambulat, nôstis, ut in eum nundinatores irruant, eum circumdent, ad se certim pro se quisque vocent, & tantùm non trahant, merces obtrudant, dilaudent, deprædicent. Dei unigena in hunc mundum è coelo descendens, descendit ad quoddam veluti forum, & locum mercium, mercaturus Patri suo hu-

*Esth. 4.*

*Exod. 33.*

*1. Reg. 6. 19.*

humanum genus cujus ille possessione per peccatum quodammodo spoliatus erat, & cujus aded fuerat sitiens, ut sitire potest mercator pretiosissimam aliquam gemmam. Hinc Matth: 13. dicitur: *simile est Regnum Caelorum homini negotiatori querenti bonas margaritas.* Porro margarita omne pretium superans nostra cujusque anima est, quam ipse capitalissimus illius hostis Dæmon apud Jobum ita appetiat, ut dicat: *pellem pro pelle, & cuncta que homo habet dabit homo pro anima sua.* Super quæ verba ita B. Salvianus: *dilectissimam debere esse animam suam homini etiam Diabolus non negavit, & qui avertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur; idem tamen carissimas esse debere cunctis animas suas confitetur.* Carissimas certè esse oportet, quas Deus, aliàs ditissimus, pro divitijs habet, ut loquitur Gregorius Nazianzenus.

*Petrus Damianus l. 1. ep. 2.* Et Petrus Damianus: *anima, inquit, est pretiosissima Deo pecunia.* Qui multos thesauros ac pecunias habet, quàm sæpe de illis cogitat, quàm sollicitè revidet, quàm frequenter computat, & ad calculos revocat, ne fortè aliquid deperierit. Quò facit illud Sapientis;

*Eccl. 5. 11. saturitas divitis non sinit eum dormire: & illud: ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Omnino sic se res habet cum Deo respectu hominum. Præceperat aliquando Moyfi numerare populum, *per cognationes, & domos ac familias, & capita ac nomina singulorum à vigesimo anno & supra.* Necdum anni spatium transierat, iteratò numerari jussit. Id quod meritò miratur Oleaster & quærit ex Deo: non est Domine impletus annus

quo eos numerare præcepisti, & jam iterum eos supputare vis? Quid est, quòd eos tam crebro numeras? Sed mox sibi ipsi satisfacit & respondet: *qui Dei ingenium novit, ei mirum videri non debet, quòd tam sæpe revocari ad calculos populum jusserit.* Quid quòd more avarorum animabus nunquam fatietur, perindeque in illum ac in aliquem numularium faciat versus notorius:

*Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.*

*Et: quò plus sunt pota, plus sitiuntur aqua.*

Matth. 7. quiritabundus oclamat: *quàm angusta porta est, que ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Quomodo amabò pauci, cum ejus Secretarius, & thesaurorum omnium conscius non dubitet palàm fateri: *vidi in caelo turbam magnam, quam nemo, quantumvis bonus Arithmeticus, dinumerare poterat.* Istàne paucitas? Respondet ad hoc Salonijs: *non satiantur oculi ejus divitijs, quia nostram semper desiderat salutem.* Plus dico: libenter nos planè intra se & viscera sua absconderet. Est enim & hæc Mercatorum ingeniosa praxis, ut ubi eos loca prædonibus infesta transire contigerit, pecuniam & aurum suum ne in manus prædonum veniat, ori imponant, imò quandoque etiam deglutiant. Hinc Romani Milites, cum Hierosolymam Titus obsideret, Judæos transfugas ferro dividebant, ut in intestinis aurum, quod devoraverant, inquirerent, intraque biduum duo Judæorum millia hoc modo cæsa memorat Fulgofus. Sic etiam

*Fulgentius l. 9. c. 4.*

etiam Balduini II. Hierosolymorum Regis milites, Turcas plurimos, quos expugnatâ Cæsareâ ceperant, auri spe exenterârunt. Novit Mercator animarum Christus plurimos Tartareos prædones peccatrici animæ insidiari; idcirco vult eam (ne direptioni pateat) quodammodo glutire & sorbere, ut subtiliter id ipsum in anima scelestissimi Judæ annotavit recens quidam

*D. Nyssen.* Prædicator. Accesserat ille ultimùm ad IESVM, sacrilego osculo eum deosculaturus. Tetra scelerum mephitis ab ore exhalabat, sub lingua ejus sedebat impietas, & sicut novacula acuta concinnabat dolos: tamen ut ex S. Brigittæ revelationibus habemus, bonus IESVS ultro se ad osculum Judæ inclinavit, eò quòd is brevioris staturæ esset.

*l. 4. revel. c. 66.*

*Anselm. de Evang. ser. c. 7.*

Quod & S. Anselmus confirmat Christum sic alloquens: *accedentem ad osculum sanctissimi oris tui cruentam bestiam non es averfatus; sed os, in quo dolus inventus nõ est, ori, quod abundavit malitiâ, dulciter applicuisti.* Consuetum passim est, ut alter alteri osculum in maxilla, vel fronte, non verò in ore figat. Quid igitur mysterij est, quòd IESVS os suum ori Judæ applicet? Id nimirum quod precedente Dominica de Romanis dixi, quia animam ejus paulò post de corpore exituram & in manus Dæmonis venturam hoc modo excipere & intra se abscondere voluit. Quod tamen adeò celeriter facere non potuit, quin in ipso osculi, & ut ita loquar, absconsonis actu, à supervenientibus latronibus caperetur. Et hoc credo est quod Jeremias opplorat: *Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris.*

*Thren. 3.*

Quasi diceret: captus est ob peccatores, ob pecuniam, ob divitias suas. Quamvis illæ ipsæ fortius eum ligârint, quàm funes Iudaici, sunt enim divitiæ, ut ait Chrysostomus, *vinculum grave, servus tyrannus, omnia imperans in perniciem illorum, qui illis serviunt.* Dicebat aliquando ipse CHRISTVS: *qui facit peccatum servus est peccati:* at ego vice versa de illo possum hodie dicere. Qui peccatores ita studiosè conquirat, & recipit, servus est peccatorum. Omnia enim imperant in perniciem illius. Hi sunt, qui ei Imperârunt stabulum, famem, sitim, labores, dolores, flagra, spinas, crucem, denique ipsam mortem, omnia in perniciem illius.

*Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere, dicebat S. Paulus. Quid ita Paule? Non ergo Christus in hunc mundum venit ut regnaret super Israël, siquidem promisit Angelus; & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis? Non venit ut populum suum de captivitate & jugo Romano eriperet? non venit ministrari? non venit miracula patrare? Non utique: sed venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. At insanisne iterum? iterum te multa litera ad insaniam convertunt, ut tibi aliquando exprobravit Festus. Quomodo tu primus? tunc sceleratior Herode, Nerone, Iuda proditore, aut immani aliquò Busiride? aut fortè, quod Hæretici aliqui commenti sunt, anima Adæ primi hominis, & primi peccatoris in te transfusa est? S. Thomas hîc ait, non voluit.*

*hom. 13. in 1. ad Corinth.*

*1. Tim. 2.*

*V. D. Thõ. in hîc locis*

voluisse Apostolum dicere, se esse omnium omnino peccatorum primum; sed tantum respectu illorum Judæorum, qui Christum à Pilato crucifigi postularunt, ac postea conversi ac poenitentes gratiam adepti sunt. Alij probabilius censent, eum ita sua ipsius peccata aggravasse, ut aliorum omnium leviora putaret, sicut, qui gravi dentium aut capitis dolore laborat, putat dolorem suum esse maximum. Ita S. quoque Franciscus se omnium sceleratorum alpha nominabat; rogatusque quomodo id cum veritate affirmare posset; respondit: si Deus maximo latroni illam gratiam fecisset, quam mihi; is multo melius eam fuisset usus, sanctiorque ac ego evasisset. Quid ad hæc Auditores? Quam longè verius inter peccatorum primos ego vos censuero! Nec est, quod mihi, ob talem de vobis opinionem, succenseatis; ubi enim magis abundat gratia, nonne ibi magis & delictum abundat? Gratia præ multis divites æstis; (adeo ut usurpare hic possim illud Evangelicum: *vobis datum est nosse mysterium regni Dei; ceteris autem in parabolis*), gratia, inquam, divites estis, quâ si non, ut decet, utimini, quibus non (audeo dicere) Barbaris, Turcis, Scythis, Judæis deteriores eritis? Si enim Turcæ hos Cœlitum in se experirentur favores, si hanc Dei, quam vos habetis, notitiam, si hanc Sacramentorum copiam, virtutum occasionem, inspirationum, vocationum, & auxiliorum vehementiam haberent; quàm multi ex illis Sanctorum Syllabo adscribi mererentur, quàm multi essent Alexij, Nicetæ, Nivardi, Stani-

slai, Ludovici, Hermanni! *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omnium autem, cui multum datum est, multum queretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, ait æterna veritas. Quod est idem ac dicere: si Turca & Studiosus idem specie peccatum committant, gravius puniendum hunc præ illo, idque propter intensiorem malitiæ cognitionem, quam habet Studiosus præ Turca. Hinc pia aliqua persona per ecclasiam profundius in Inferno situatos vidit, qui plura auxilia ad bene operandum in hac vita habuerunt. Sed mellifluum Doctorem audite: in Paulo dicente: *fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Dominus IESVS venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; hoc consolationis & fiducia accipite fratres, ut ad Dominum jam conversos non nimis cruciet præteritorum conscientia peccatorum, sed tantam humiliet vos, sicut & ipsum. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Misericordiam etiam consecutus est Petrus, qui non ignorans, sed apertos habens oculos peccavit.*

Quærit Chrysoström: *quid est peccatum ad Domini misericordiam?* Et respondet: *tela aranea, que vento flante nusquam comparet.* Unica vocula peccavi, Davidis difflavit peccatum; unicum propitius esto Publicano ad obtinendam veniam suffecit. Unica lacryma compedes & catenas Dæmonis sa-

Luc. 12. 47.

Bern. ser. 3. in fest. A. post. Petri & Pauli.

Chrysoström. hom. 2. in Psalm. 50. 2. Reg. 12. 13. Luc. 18. 13.

Spec. exēp. V. Contri-  
tio ex. 11.

pe dissolvit. Refert magnum Specu-  
lum Exemplorum, Virum quendam  
vitæ licentioris, templum subinde,  
quod nunquam aut rarò solebat, in-  
gressum, ut celebris famæ Ecclesiasten  
una ductus curiositate audiret, quando,  
Deo ita disponente accidit, ut Ecclesia-  
stes in illud inprimis vitium, cuius iste  
conscientiâ vel maximè laborabat, a-  
criùs inveheretur; atque, cum fortè  
flexis in hominem oculis vidisset eum  
gravi adstrictum catena à Cacodæmo-  
ne teneri, eundem fixiùs intuens, per-  
git in crimen illud vehementissimè de-  
clamare, & ostendere illius sectatores  
esse vera Dæmonum mancipia, catenis  
implexa infernalibus. Interim Pecca-  
tor ille tangi horrore sceleris sui, solvi  
in suspiria & singultus, diffluere lacry-  
mis, idque tam felici successu, ut cum  
una lacrymarum gutta in catenam de-  
cidisset, subitò eam diffregerit, Dæ-  
monem fugarit, & hominem crimi-  
num catenis solutum Christo reddide-  
rit. Nihil tam proprium est Deo, ac  
*misereri semper & parcere.* Nihil tam  
juvandum Jesu, ac peccatores recipere,  
qui Sanctæ Mechtildi aliquando indi-  
gnata, quòd peccator, pro quo supplex  
acciderat, à suo malo instituto recede-  
re nollet, ita respondit: " dilecta mea  
" mihi compatere, & ora pro miseris  
" peccatoribus, quos tanto redemi pre-  
" tio, & summo conversionis eorum de-  
" siderio tam longanimiter expecto. Ne-  
" que me minori modò in eos amoris af-  
" fectu crede Patri meo assistere, quàm  
" cum olim me illi in crucis ara gratam,  
" victimam obtuli. Nihil mihi com-  
" mendatius, quàm ut omnes peccatores

per veram ad me pœnitentiam conver-  
tantur. Sanctæ verò Gertrudi secum  
cogitanti, ecquid ex ijs, quæ à Deo ipsa  
susceperat beneficijs, hominibus mani-  
festare esset consultius, hæc suggestit:  
multum è re hominum foret, si intel-  
ligerent, ac præsentì semper memoriâ  
tenerent, me Filium Virginis, salutis  
eorum causâ, Patri meo advocatum,  
assistere, ac quoties cor suum ex huma-  
na fragilitate polluunt, toties cor ipsi  
meum innocens & castum pro eorum  
emendatione repræsentare; si verò ma-  
nu peccant, exhibere utramque meam  
clavis perforatam: atque ita tandem  
ad omnia, in quibus delinquunt, præ-  
sto esse, & ad placandum Patrem, me-  
am innocentiam offerre, quò illi ali-  
quando tacti pœnitentia, faciliorem  
veniam consequantur. Alio tempo-  
re, cum hæc eadem Sancta Virgo pro  
concione audisset, salvari posse nemi-  
nem, qui non actum aliquem amoris  
Dei super omnia elicuisset, secumque  
pensaret, perpaucos esse, qui ita dispo-  
siti è vivis migrarent, ita illam allocu-  
tus est: *ego me fidelibus in agonia consti-  
tutis, qui mei aliquando cum amoris sui  
aliqua testificatione meminerunt, ex sin-  
gulari bonitatis meæ prerogativa, tam ex-  
hibeo suavem & amabilem, ut momento  
temporis inde ad se conversi, ingentem  
concipiant de offensa illa mea bonitate do-  
lorem, quo peccata sua delent, & salvan-  
tur.*

Ergo, ut cum D. Ambrosio conclu-  
dam, *quoniam tam misericordem habe-  
mus Dominum, qui etiam gravi ignoscit  
errori, convertamus nos à vitijs, non re-  
cedamus à lege.* Sit nobis hoc ipsum  
effi-

lib. 3. in  
mat. c. 4.

l. 3. in fin. c.  
30.

Ambr. l. de  
Elia & je-  
jun. c. 20.

efficacissimum motivum ad non peccandum, uti fuit Jacobo Patriarchæ, qui ex divina misericordia non tantum in peccandi temeritatem non prorupit, sed potius ad quandam peccandi timiditatem se contraxit; cum enim Deum sibi maximè propitium expertus est, tunc pavens exclamavit: *quàm terribilis est locus iste! ac stupens*, inquit *Chrysothom.* Chrysothomus, propter magnam misericordiam Dei timuit. Timuit & David, dum poenitens cecinit: *quia apud te propitiatio est, propter legem tuam sustinui te Domine*, vel, ut Vatablus vertit: *quia apud te clementia est, propterea timeris.* Magis enim quodammodo, ut non nemo loquitur, Dei misericordia timenda est, quàm justitia. Nam, qui justitiam offendit, habet misericordiam tanquam singulare asylum, ad quod confugiat: qui autem misericordiam offendit, ad quam aram se recipiet? Non cum profectò vel ipse sanguis Christi juvabit, uti contigit cuidam adolescenti dissolutis moribus, qui cum sapius à fido Sodali de serâ poenitentia commoneretur, eam sub tempus mortis præsumptuosè differebat. Non diu post, in gravem morbum incidit, iterumque ac iterum de instituenda confessione, propositâ Dei misericordiâ, quam toties sanus & valens in futuram conversionem prætezebat, admonetur. Sed surda aure, omnia bene momentis Socij consilia accipiebantur. Hic itaque tristis ab ægroto ad nocturnam quietem sese re-

cepit, secundum quam visus est sibi videre Christum, eo habitu quo à Pilato populo ostensus est, ægro adstantem, & ita alloquētem: *ecce lacerum spinis caput, & totum vulneribus saucium corpus; sed ecce apertum latus.* His tibi, etsi indigno, parta paratâq; est Dei misericordia, si modo vitam tuam præteritam detestatus ad me convertaris. Ad hæc æger: scio, inquit, Domine, magnam esse misericordiam tuam, sed neq; minorem esse justitiam, cui cum nullo meo merito satisfacere possim, non video, quomodo hæc salvâ à misericordia peccatorum veniam sperare valeam. Imò, addit Christus, à misericordia mea vales & debes veniam sperare. Sed cum nihilominus miserandus adolescens totum se justitiæ rigori desperata salute traderet, tandem Christus indignatione plenus, expressum dextrâ de vulneris latere sanguinem in moribundi faciem coniecit cum dicto: *hic sanguis meus in die iudicij testis erit oblatus tibi à me misericordie, quam per insanam obstinationem tuam ac summam ingratitude contempsisti.* Hoc terribili viso expergefactus socius accurrit, hominemque mortuum ac recenti sanguine conspersum reperit. Quæritis, unde tanta obstinatio & diffidentia? Non aliunde sanè quàm ex nimia præsumptione. Plerumque enim qui valens de misericordia Dei præsumit, moribundus de eadem, desperat ac diffidit.



## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

## Piscatio Mundi.

## Nihil cepimus. Luc. 5.



I. quod senili licet oculo, acute tamen perspexit magnus ille Eremi Pater Antonius; si inquam, Mundus universus plenus est retibus ac plagis, quis evadet? Quacunque incedas, ubique infidiæ, ubique tendiculæ, ubique pedicæ latent, *suppositæ* non tam cineri quàm pulveri *doloso*. Nimirum stat firma Sapientis sententia: *nescit homo finem*, finem dicam an laqueum suum; *sed sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines*. Ea est rerum, quæ cælo subjacent, misera sanè conditio, ut nihil sui adeò securum sit, quin capturam meruat. Sic auro nec intra terræ viscera, gemmis nec intra maris profunda sat tuta est custodia; sic saepe avis in libero aère libertatem perdidit, & quantumvis fugax cervus vel in ipso asyli sui loco invenit captivitatem. Haud tamen scio, an ullum in capturam magis pronum sit genus, quàm piscium: *frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum*, ait scriptura. Hinc Principes etiam viros, summosque Mundi Monarchas tanta subinde piscandi tenuit voluptas, ut nonnulli aureos etiam hamos, quid hamos? retia, tota aurea hunc in usum sibi fieri fecerint, quemadmodum de Nerone scribit Svetonius. Quid quòd Augustorum omnium Alpha Augustus, eodem teste, piscando saepe otium fallere con-

sveverit? ut nihil dicam de famosissima Reginarum Cleopatra, quæ cum Antonio pisces, perinde ac gemmas, piscari solita Vinatores sub aquis disponebat, qui ad frequentis ostentationem capturæ pisces captantis hamo occultè affigerent. Sed non terreni solum Principes studium hoc in pretio habuerunt: Deus ipse sic illo est oblectatus, ut posteaquam terræ fieri incolla, regnumque suum, quo totum complexurus erat orbem, primùm instituire coepit, alios habere noluerit aulicos, quàm piscatores. *Venite post me*, ait Andreae & Petro, *faciam vos fieri piscatores hominum*. Quid hoc mysterij? itane pro eodem accipiuntur *piscis & homo*? Audistis jam ex Salomone: *sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines*: homo enim nimisquam affine hamo nomen gerit. Quod si id vobis non sufficit, audite & Eusebium dicentem: *omnes pisces sumus, quicumque in baptismo natavimus*. Hic ego jam de piscium istorum captura agerem, ni metuerem cum hodiernis piscatoribus vacua referre retia, & cum dolore non tam ingeminare, quàm ingemere illud triste: *nihil cepimus*. Opto equidem unice cum devoto quopiam Concionatore\*: "faxit Deus, ut gemmeo verbi divini hamo ita maris profunda scruter, ut vel unum pisciculum in Christi culinam deferam: labori sat-

Sabell. l. 11.  
c. 4.

Eccl. 9.

Prov. 1. 17.

Mat. 4. 19.

Euseb. in  
Luc. c. 24.

\*Max: Sã  
deo l. 1.  
cõment.  
de mort.

ma-

magnum pretium responsurum arbitraretur: tamen quia vel ipsi Deo nimis difficilis ac sterilis hæc accidit piscatio (pauci enim sunt, qui se à Deo capi volunt) illud potius in præsentiarum tractabo, qualesnam hi ipsi pisces piscatores agant. Nec nova cuiquam videbitur hæc mea propositio, qui attenderit & aves ab avibus, & feras à feris capi, ut proinde non minus sit piscis pisciculus, quam homo homini lupus.

Tria potissimum piscandi genera describit antiquus Poëta Manilius, magisterium eorum assignans natis sub signo piscium, videlicet: hamum, rotam, & nassam quam carcerem vocat, dum ita canit:

Manil. l. 4. *Et placidum ductis everrere rotibus  
æquor;  
At uncas celare cibis, & carcere  
fraudem.*

sed non omnibus propitio datur piscari Glauco: sæpe (liceat mihi Tragici versus paulum immutare)

Sen. Herc. *- - exesis pendens scopulis  
fur. Hic deceptos instruit hamos,  
Aut suspensus spectat pressâ  
Præmia dextrâ. Sentit nullum  
Linea piscem.*

I. *Quinam aureo hamo piscantur.* Attendamus nunc eos qui cum Nerone aureo hamo honores ac titulos, primas sedes, & accubitus piscantur. Quam illi totas sæpe noctes pervigiles laborant, sequendo suam solenne principium: *qui dormit, pisces non capit; hoc est, qui silet, honores non obtinet.* Quot quantosque sumptus non profundunt, quos non prestant, quanta

humilitate (dicere debebam vilitate) etiam cum atriensibus & mediastinis agunt. *Ambitiosus*, inquit summus Pontifex, *humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, visis sese inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit ac amplexatur, applaudit & adulatur; bene novit illud Poëticum:*

*Et si nullus erit pulvis, tamen excutit illum.*

Talem sacra pagina describit Absalonem, de quo hæc memorat: *valde mane consurgens stabat juxta introitum porte, & salutabat ingredientes, manum eis porrigebat, & osculum infigebat, causas quoque eorum audiebat, & quasi destitutos Iudice miserabatur, & eis compatiebatur.*

Quorsum hæc omnia tam operosa? tam Regis filio indigna? ut suffragium subditorum pro eripienda Patri corona emendicaret. Talis C. Julius Cæsar, qui ut Consulatu potiretur, nullam largitionis aut officiorum in quemquam genus publicè privatimque omisit. (a) Talis L. Cornelius Sylla, qui Plutarcho teste populi favorem partim blandimentis, partim largitionibus mercatus, Prætor factus est. (b) Talis C. Claudius, qui jam quinquagenarius, ut Imperator fieret, militibus singulis quaterna dena sestertia promisit. (c) Talis Galeacius, qui Mediolanensem Præfecturam ingenti pecuniæ summa à Wenceslao Ignavo Imperatore obtinuit. (d) Tales qui nobilitatem caro nimis emunt, ut ille, quem perstringit Poëta recentissimus: (e)

Innocent. III.

2. Reg. 15.

a Sueton. in Cæsare.

b Plut. in Sylla.

c Sueton.

d Cuspinia.

e P. Balbin. in exam.

Meliss.

Vnam

*Unam Aquilam Marcus duodenis  
millibus emit.*

*Caro, ais; imò etiam non nisi picta  
fuit.*

Et quid demum omnibus his studijs, infomnijs, vigilijs & hamis lucrantur, & capiunt? date veniam dicto, omnino nihil. Demonstrare assertionem, hanc possum ex ipsis veritatis fontibus Evangeliorum libris, ubi duos aliquos piscatores honorum piscandorum studio ita accensos, aut potius immerfos lego, ut suæ prorsus conditionis immemores, nescio quali arrogantia ausint à Christo Domino petere, imò quodammodo mandare: *da nobis, ut unius ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.* Quid amplius amabò, ac sublimius postulare poterant? nihilominus tamen in suprema cæna cum reliquis contribulibus audierunt: *usque modò non petistis quidquam.* Itane verò, ó Magister bone, non petierunt quidquam? Nihil ne petierant, qui in tuo regno primos honores postulârunt? repeto denuò; nihil omnino; quia ut subtiliter Carthaginensis observavit Doctor: *solum bonum spirituale estimari debet aliquid.*

*Mar. 10. 37.* *Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.* Et quia Carthaginensis Magistri mentio subijt, alium quoque huic per omnia disparem ab eadem Vrbe libuit adducere. Annon is erat, qui cum præ nimio tumore nollet intra pellem se suam & nostræ mortalitatis septa continere, sed præstantius quid supra quàm naturæ sors pate-

*Joã. 16. 24.* *retur, de se evulgare cogitaret, pluri-  
mas ad discendum idoneas volucres  
fertur coëmisse, easque in tenebricolò,  
& abdito loco solùm unam hanc can-  
tilenam docuisse: Annon est Deus. An-  
non est Deus. O insanam hominis ar-  
rogantiam! qui ut pro Numine se or-  
bi venderet, scholas avibus aperuit; nec  
tamen quod tam stolidè aucupabatur,  
cepit; nam dictæ aviculæ, etiamsi ver-  
ba illa longa consuetudine & exercitio  
fuissent complexæ, & eadem in caveis  
existentes, velut Magistro suo placitura  
sæpius occinerent; tamen ubi postea a-  
liæ aliò in diversas plagas, atq; ad pri-  
mam libertatem dimissæ sunt, conti-  
nuò naturalem cantum repetiverunt,  
longum vale mittentes Annoni, cujus  
neque nomen, neque disciplinam me-  
moriâ servârunt. Ita nimirum ludun-  
tur mortales, cum maximè gloriosos  
titulos, & perennantem captant fa-  
mam. Hi verè dicere possunt cum  
Petro: *nihil cepimus. Carnalis enim glo-  
ria, inquit Magnus Gregorius, dum ni-  
tet, cadit, dum apud se extollitur, repen-  
tino intercepta sine terminatur. Sic ab  
infimis nebula densescendo se erigit; sed  
exortus hanc Solis radius, ac si non fuerit,  
abstergit.* Expertus est id Evtropius,  
qui apud Arcadium, quantum Sejanus  
apud Trajanum aliquamdiu valuit;  
sed paulò post eundem fortunæ ac ho-  
norum exitum cum Sejano sortitus:  
nam quòd contumeliosus in Eudoxi-  
am Augustam se gessisset, Consulatus  
honore spoliatus & in Cyprum depor-  
tatus est, nomen ejus ex fastis expun-  
ctum, simulacra omnia abolita, tandem  
graviorum criminum compertus ca-*

*S. August.* *in Ioan.* *Et quia Car-  
thaginensis Magistri mentio subijt, a-  
lium quoque huic per omnia disparem  
ab eadem Vrbe libuit adducere. Annon  
is erat, qui cum præ nimio tumore nol-  
let intra pellem se suam & nostræ mor-  
talitatis septa continere, sed præstan-  
tius quid supra quàm naturæ sors pate-*

*Alian. l.* *14. var. hist.*

*Zehentner  
verm. cõf.*

*Greg. l. 16.  
Moral. c. 5.*

*Sigon. l. 16.  
Imp. occid.*

Chryſoſtom.  
tom. 5. in  
Eutrop.

pite pœnas luit; in quem ita patheticè declinat Orator aureus: *ubi nunc, & Eutropi inclitus ille Conſulatus ſplendor? ubi illuſtres illa faces? ubi applauſus illi & chorea, epulæ, & facti conventus? ubi corona & anlea? ubi ſtrepitus urbis & illa Circenſium ſpectatorum fauſta acclamationes, atq; adulationes? ubi nunc fucati illi amici? ubi comotationes & cæna, ubi paraſitorum examen? ubi illi potentatus tui cultores ad gratiam omnia dicere ac facere affecti? Omnia illa NIHIL fuerunt.*

II.  
Qui reti-  
bus.

Sed ecce quosnam iſtiæ video venuſtâ ſpecie, cæſarie Phœbeâ, eleganti corporis cultu retia ſua explicantes? Agnoſco Veneream turbam, cui tantò majus cum aquis eſt comærcium, quòd matrem aqueam, & mari genitam habeat. Gratioſi Piſcatores, quibus veſtitus ipſe rete eſt. Quid enim aliud ſunt tot illæ in veſtibus ligulæ, fibulæ ſimbriæ, & id genus ornamenta, quid, inquam, aliud ſunt, niſi totidem retia ac plagæ ad capiendos malè amantes dicam, an muliebres animos? Muliebris enim eſt piſcatio, quæ à corporis petitur ornatu. *Negotij quantum, ait Comicus, in muliere una eſt! Quæ noctes, diesq; omni ætate ſemper ornantur, lavantur, poliuntur.* Et alter Comicus:

- - Noſtin, mores mulierum?

*Dum poliuntur, dum comuntur annus eſt.*

Gravant ſeſe gemmis, unionibus, monilibus, armillis, ut in gibbum ſæpe incurventur; pedibus, ut ſubtiles videantur, calceos adeo arctos & ſtriſtos circumdant, ut ſine magno doloris ſen-

ſu nequeant incedere; ſtringunt corpus circulis & arctis adeo thoracibus, ut ſpiritum agre trahant, plusque inde moleſtiæ percipiant, quàm ſi zonam cilicinam ſuper nudo geſtarent corpore. Et quid tandem in hæc ſua tam ſplendida retia capiunt? nihil omnino præter turpiſſimum Cacodæmonem. Rem miram narrat Polonicarum rerum celebriſ Scriptor Cromerus. In Cracoviendi tractu ad lacum quendam peramplum Tartareis ſpiritibus infeſtum, vicini cum Sacerdotibus, vexilla, cruces, & reliquias ſacras, quibus Dæmonum vis propulſaretur ferentes, piſcandi gratiâ convenerant. Immiſſo autem reti, primo quidem tractu contendentibus piſcatoribus, tres piſciculos, altero nihil niſi rete convolutum, tertio denique monſtrum horrendum caprino capite, & inſtar ignis oculis flammantibus extrahunt. Quo viſo territis ac diffugientibus cunctis qui aderant, ſpectrum illud ſub aquas denuo immerſit ſeſe, ac toto lacu diſcurſans, terribilem ſtrepitum edidit, quin & afflati ab eo nonnulli fœda ulcera è piſcatione tam infauſta retulere. Tetrum Piſcatores hi cepere Cacodæmonem; & hic quoque Piſcatoribus Veneris hodie pro præda eſt. Quid dico? Infernum totum in retia ſua trahunt, mox ipſi in eo mergendi. Bene enim de talibus illuſtre Angliæ lumen Morus dixit: *quàm multi in hoc ſeculo eo labore infernum mercantur, cujus vel dimidio cælum lucrati fuiſſent.* Et cuidam Matronæ, quòd ſe totos dies ornare conſueſſet, in faciem dixiſſe fertur: *niſi Deus tibi pro hoc tanto labore infer-*

Cromer. l.  
p. hiſt. Polø.

Plantus.

Terent.

*infernum repeudet, magnâ, me iudice, te injuriâ affecerit.* Et rependisse enim-

*Verò legitur apud Valerium Venerum; ubi devota quâdam Domina Deum as-*

*l. 1. c. 1.*

*fiduè precabatur, ut scire liceret, quâ in re potissimum feminæ ipsi displicerent. Ergo subinde inter orandum, rapta, & ad Tartari locum deducta, vidit ibi Comitissam sibi olim notam in gravissimis pœnis constitutam; quæ simul ut vivam Sociam animadvertit, miserabiliter clamare cœpit: va mihi misera! ego fui semper abstinens, feci multas elemosynas, & alia charitatis & pietatis Christiana opera; & solummodo propter ornatum mei corporis nimium, & studium me comendi & ornandi fui justè condemnata: siquidem eo ornato scandalofo multis fui causa & ruina peccati, provocando eos ad concupiscentiam mei, & scandalizando etiam servos Dei sanctos & castos. Tum altera: ergo hoc est, quod maxime Deo in feminis displicet? Ita est, inquit illa, quia vanus ille ornatus inflammat homines ad pessima desideria & omnem Dei offensam. Moxque à dnobus Dæmonibus ferreis uncis abrepta, & in caldarium plumbo liquefactum injecta & immersa est. Jam si in feminis hoc ita Deo displicet, tam severe puniuntur & plectitur, quomodo non displicebit in Juvenibus, quos eadem quæ feminas sui comendi & ornandi tenet cura? Nolo hic plura dicere, cum me satis alibi dixisse putem, quando ex probatis testibus attuli malum Dæmonem esse ejusmodi retium autorem & artificem, ut proinde mirum non sit, quod in ijs inventiatur.*

*V. Dom. 2.*

*Adv.*

Et quis iste priori per omnia absimilis piscantium cuneus sese obijcit, tetra macie, pallentibus genis, illapsis profundè oculis, crine impexo, intonsâ barbâ, neglectis vestibus, ore taciturno, sed ad prædam mirum quantum hiant? Euclionis avari turba est. Disponunt hi nallas suas longo ordine, laxant & expandunt retia sua quàm latissime, quasi omnia ad se tracturi quidquid vicini habent, quemadmodum verba illa Matthæi, *relictis retibus suis* explicat Albertus M. *Per rete*, inquit, *notatur avaritia, quippe est rete Diaboli, quod expandit super faciem universæ terra.* Et quid demum capiunt? nihil præter aquæ modicum, quæ tamen extracta rursus per retia & nallam effluit ac elabitur. *Omnes quasi aqua dilabimur super terram*, ajebat prudens illa Thecritis; in quæ verba nonnemo \* annotat fortunas & opes similes esse aquæ, tum quia facile labuntur, tum quia non secus ac aqua quò arctiusprehenduntur, eò citius quodammodo exarscunt. Et Magnus Basilius: *fluxa*, inquit, *est divitiarum natura, suos possessores torrente rapido ocys prætercurrit. Hodie hujus est ager, cras erit alterius. Respice civitatis domos, quot nomina ex eò tempore, quo fuerunt adificata sortita sunt: aurum è manibus habentis se fluens semper ad alium transfertur; magisq; aquam manu circumplexam retinere continenter possis, quàm divitias conservare.* Similiter ferè D. Ambrosius: *fluenta sunt, qua miraris, quomodo veniunt, sic transeunt & recedunt. Quid pretiosius regiâ purpurâ? & tamen aquarum duntaxat ac piscium est species illa,*

III.  
Quinallâ

2. Reg. 14.  
14.

\* Franci.  
Mendoza  
in l. 1. Reg.  
c. 2. n. 36.

Ambr. in  
Psal. 61.  
idem l. 5.  
hexâ. 6.

illa, qua fulget, aquarum est, quod in Re-  
gibus adoratur; imò instar spuma, ut  
loquitur Oseas Propheta, dum ait: *transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aque.* Ita transi-  
vit, & diffluit cum fortunis suis Ru-  
finus ille apud Arcadium Prætorio Præ-  
fectus, qui quòd avarissimus esset, ma-  
nusque & nallas ad opes capiendas ni-  
miùm tetendisset, à militibus interfe-  
ctus est. *Capite resecto & lapide in os  
ejus immisso, hasta id infixerunt, & in  
sublime sustulerunt. Dextram quoque  
ejus abscissam, per urbem circa opificum  
officinas circumtulere verbis his uten-  
tes: DATE STIPEM INEXPLEBILIS AVA-  
RITIÆ VIRO. Cræso Lydorum Rege quis  
opulentiore? cui divitiæ adeo affluebant,  
ut aurum & argentum in lateres fun-  
deret, teste Herodoto: & ecce eadem  
qua affluerunt ratione diffluerunt,  
transieruntque ut spuma; captus enim  
à Cyro Cræsus omnibusque exutus,  
quod reliquum ætatis superfuit, in servi-  
tute vixit. Quid Andronicum Senio-  
rem Orientis Imperatorem referam?  
Hic à Cæsareo paludamento ad incitas  
planè redactus est, cum à nepote An-  
dronico juniore captus, non haberet  
quo se satis tegeret: cumque agrotan-  
ti frigida potu medici interdicerent,  
vix uno aureo coq; mutuatio aliquid*

Ose. 19. 7.

Niceph.  
Callist. l. 13.  
hist. c. 1.

Herodot.

Gregoras l.  
9.

dulcium liquorum sibi comparare po-  
tuit. Nonne omnes illi mentò queri  
ac dicere poterant: *quid nobis profuit  
superbia, aut divitiarum jactantia quid  
contulit nobis? lassati sumus in via iniqui-  
tatis, noctu diuque corradendis opibus  
ac numis insudavimus, & ecce transie-  
runt omnia illa tanquam aqua, tanquam  
spuma, aut bulla; nihil cepimus.*

Sap. 5. 8.

Qui ergo aliquid vult capere san-  
ctum illum non tam piscatorem,  
quàm venatorem imitetur Macedoni-  
um. Scribit in ejus vita Theodoretus,  
quendam militiæ ducem in montem,  
qui sancto viro incolatum præbebat,  
venandi gratiâ cum canibus, venabu-  
lis, & omni venatorio apparatu con-  
scendisse. Cùm autem procul homi-  
nem vidisset, & quisnam esset à dome-  
sticis accepisset, confestim equo desi-  
liens eum accedit, rogatque, quid illic  
ageret? Tu verò, reponit Senecio, cu-  
jus rei gratiâ huc te contulisti? ut feras  
venarer, ait ille: & ego, respondit,  
meum Deum hîc venor, & capere eum  
gestio. Rectissimè tu sapias ô Sene-  
cio: quicumque aliud præter De-  
um captant, velint nolint,  
coguntur dicere:

*nihil cepi-**mus.*

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

ALLOCVTIO II.

Ars capiendi homines.

*Eris homines capiens. Luc. 5.*

Mnū pretiosissima cūm  
censeatur libertas, qui sit,  
ut alienæ libertatis insi-  
diatores plerumq; egeni,  
& inopes incedant? Noctes atq; dies

- - manet sub Iove frigido

Horat. l. 1.  
Carm.

Venator tener a conjugis immemor,  
Sen visa est catulis cervæ fidelibus,  
Sen rupit teretes Marsus aper plagas;

& tamen præter viridem, herbeumq;  
vestitum, quid amabò splendidius præ-  
ferebat? Imò venatores plerumque ho-  
mines improbi sunt. Audet enim di-  
cere Hieronymus: *Esau venator erat,*  
*quia peccator erat; & penitus non inveni-*  
*mus in scripturis sanctis sanctum aliquem*  
*venatorem.* Aucupe, qui inter virgula  
sefe occultans aves in laqueum suum  
trahit, quid egentius? quid spoliatus?  
Piscatorem num quis opulentum ac di-  
vitem vidit? plerumque id genus ho-  
minum vile, abjectum, inglorium,  
nec suscipiendis magistratibus, urbi-  
busque regendis idoneum censetur.  
Nimirum quæ

*Non bene pro toto libertas venditur*  
*auro,*

multò minùs violentos sui raptores  
faciet ditescere. Nihilominus tamen  
una aliqua lucrosissima & planè inso-  
lens hodie instituitur piscatio, videlicet

hominum; dicitur enim piscatori Pe-  
tro: *ex hoc jam eris homines capiens.*  
Et rursus tam illi, quàm Fratri: *venite*  
*post me, faciam vos fieri Piscatores homi-*  
*num,* ubi Glossa ordinaria inquit: *mu-*  
*tatur intentio, non piscatio. Fit mare se-*  
*culum, pisces homines.* Anno superio-  
re exposui, quomodo hi ipsi Pisces, qui-  
busve instrumentis piscatum exerce-  
ant: hodie exponam, qualiter iisdem  
instrumentis capiantur.

Primò retia, quibus facillimè homi-  
nes capiuntur, sunt oculi. De his ita  
Ambrosius: *ipsi nobis oculi retia sunt,*  
*& ideo scriptum est: ne capiaris oculis*  
*tuis.* Et infra: *multa retia sunt; ocu-*  
*lus tamen laqueus amatoris est.* Et ve-  
rò habent non parvam similitudinem,  
rete, & oculus, ut idcirco Anatomici  
quandam in oculo tunicam vocaverint  
*reticularem,* retiformem, sive retinam.  
Irrerita est prima his retibus à Tartareo  
Piscatore Eva, quando vidit, *quòd bo-*  
*num esset lignum & pulchrum oculis aspe-*  
*ctuq; delectabile.* In quam S. Bernardus  
ita declamat: *quid tuam mortem tam-*  
*intente intueris? Quid spectare libet, quod*  
*manducare non licet? Oculos, inquis, ten-*  
*do, non manum: non est interdictum, ne*  
*videam; sed ne comedam.* At si culpa  
non est, culpa tamen occasio est. *Laten-*  
*ter in cor tuum serpens illabitur. Auget*  
*curam, dum incitat gulam.* Acuit cu-  
riofsi-

I.  
Retia sunt  
oculi.  
Ambr. l. de  
penit. c. 14.

Hier. in Ps.  
90.

riositatem, dum suggerit cupiditatem; offert prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit paradysum.

Judic. 16. 1.

Irretitus Samson fortissimus, dum vidit mulierem meretricem. Irretitus Holofernes Assyrius, qui uti Judith orabat: (capiatur laqueo oculorum suorum in me) visâ illâ statim captus est in oculis suis. Irretitus ille infamis amator, qui suam ipsius sortem lamentatur apud Propertium:

Propert. l. 1. eleg. 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit oculis.

Irretitus unus alius apud Maronem, qui oggemit:

Virg. eclo. 8.

Vt vidi, ut perij, ut me malus abstulit error!

Gvazzus de civili conversat. L. 4. refert ab Artifice aliquo Venerem dormientem expressam cû hac epigraphe:

Cave viator, excites somno Deam,  
Sua aperiens tua namq; claudet lumina.

aitque nigris oculis inesse vim maximam ad illaqueandum, atq; apud Italos maximè illos laudari, & tales fuisse Veneri. Apud Ultramontanos tamen cæruleos primas tenere, quales Homerus Palladi fuisse scribit, quæ idcirco Dea *Glaucopys* ab eo vocatur. Malim ego vos cæruleis potius, quàm nigris oculis irretitos. Semper enim in nigro colore mortuale quid inest; cæruleus contra pro cœlesti habetur. Trahit quidem quamplurimos nigricantibus oculis Cypria Venus; sed instar Basilisci intoxicat; instar ranæ pi-

scatricis illaqueat, instar veneficæ fascinat. De Basilisco ita Ludovicus Ves: Basilisci oculi ad id tantum efficaces memorantur, ut quæq; visâ inficiat; imò etiam solo visu animantia interimat, quin & se ipsum visu proprio interimit. Armatus enim homo sese speculo contectum exhibet Basilisco: ille sese prospectans reflexu radiorum suorum perimitur. De rana piscatrice sequentia Philosophus.

Arist. l. 9. animal. c. 37.

Rana piscatrix est, cui gemina fila ante oculos dependent, quæ capilli speciem referunt, sed postrema rotundis quibusdam præpilantur, quasi esca causâ additis: locis itaq; arenosis, aut faculentis obturbato solo sese abscondit, piscaturq;: attollens enim illa sibi præpendentia fila, dum pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa subtrahens fila allicit, attrahitq; cum eis & pisciculos, in osque ducit. Porro de veneficis id vulgò notum est, si quem, & maximè infantes ac pueros, vel aspiciant, statim fascinum inducant, cujus generis sunt feminae in Scythia, quæ vocantur *Vitia*, & Rhodi populi *Telchines* dicti, qui omnia aspectu suo fascinant. Vnde illa Poëtæ querela:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Virg. ecl. 3.

Solent autem Matres ac Nutrices hujusmodi pestibus avertendis certa quædam amuleta pueris è collo suspendere: veteres in sinum, talium fascinatorum spuebant, ut colligitur ex illo Tibulli:

Hunc puer, hunc juvenis turbâ circum Tibull. l. 1. cumsteterit arctâ, el. 2.

Despuit in molles & sibi quisq; sinus.

Cc 2 Sed



Sed optimum, contra omnes ejusmodi noxios aspectus amuletum meo. iudicio est, diligens suorum cujusque oculorum custodia. Nam sicuti alibi prodest laqueum videre, ne capiaris; ita hic contra minimè capitur, qui minimè est oculatus, minimeque advertit ad laqueum. Et utinam non advertisset Juvenis ille Eremita apud Raynaudum, nunquam certè fascinatissimè fuisset. Ingressus ille cum Abbate suo in urbem, ubi feminas obvias habuit, in eas curiosius oculos conijcens, solite quasivit, cujusmodi eæ res essent? Cui Abbas anseres esse respondit. Reversus postmodum puer in eremum fletu puerilique ejulatu omnia complere, singultibus lustra lacessere, & quasi agrotanti similis languere cepit. Ad quem dum Abbas solatij causa reviseret, animumque afflictum dicit leniturus, quæreret, quid vellet? Anserem, inquit, volo Pater mi, quam in civitate vidi. Hoc mihi tot lacrymarum causa. Qua petitione senex consternatus, extemplo luculentam suos paranesi adhortatus est, oculos diligenter custodirent, cum etiam innocens ille puer, cui ignotæ hætenus femina, liberaliore oculorum licentiâ sit captivatus. *Ne respicias mulierem, ne forte incidas in laqueos & retia illius,* monet *Eccli. 9. 3.* Sapiens. Vbi Chrysostomus notat non prohiberi simpliciter aspectum, id enim nonnunquam fit ultro, sed ne curiose intueamur, ne contemplationi immoremur, cujusmodi regulam etiam S. Augustinus suis dedit: *Oculi, inquit, vestri etsi jaciuntur in aliquam feminarum, desigantur in nulla.* Et S. Hieronymus Rusticum Monachum etiam in matre aspicienda cautum esse vult: *Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris.* Id quod etiam fideliter servabat B. Aloysius Gonzaga, qui adhuc puer cum Matre propria loquens, nunquam oculos in vultum ejus defigebat, sed modestè demissos tenebat. At verò æterna Sapientia Christus Glaucopys, quoscunq; cœlestibus suis oculis respicit, vel à quocunq; vicissim respicitur, huic aliud quàm vitam immittere non potest: *Petrus, (Augustini verba sunt) dum insidiaretur gregibus aquoreis piscium in mari, ipse in rete incidit Salvatoris.* Sed quod illud fuit rete? Vtique carulei ejus oculi. *Ambulans Iesus juxta mare vidit duos Fratres.* Vidisse satis erat, ut caperentur: sic enim & Matthæus, sic sincerus Nathanaël, sic Zachæus, alijque capti sunt. Matthæus hæc de se: *vidit Iesus hominem sedentem in telonio, ait illi: sequere me.* Nathanaëli ex Christo quærenti, *unde me nosti?* responsum est: *primquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Quod idem erat ac dicere: novi, & ad me traxi, quia vidi. De Zachæo Evangelista: *suspiciens, inquit, IESVS vidit illum, & dixit: Zachæe festinans descende.* Quam autem salubris fuerit ille aspectus, patet ex eo quod sequitur: *quia hodie salus domui huic facta est.* Alterum instrumentum capiendis hominibus utile est hamus; nam salomone teste: *sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines.* Quis ille & qualis hamus? dona ac munera; de quibus ita Poëta:

Imi-

Hier. ep. 4. ad Rustic.

Aug. ser. 4. de SS. Petro &amp; Paulo.

lo.

Matt. 4.

Matt. 9.

Ioan. 1. 46.

Luc. 19. 5.

II. Hamus sunt dona.

Raynaud. ocul. myst.

Eccli. 9. 3.

Chrys. hom. 3. de verb.

Esaia.

Aug. reg. 3. c. 21. tom. 1.

Mart. l. 5.  
epig.  
l. 6. epig.

*Imitantur hamos dona - -*  
Et rursum: *Munera magna quidem mi-*  
*sit, sed misit in hamo;*  
*Et piscatorem piscis amare potest?*

Potest enim verò & amat, præsertim si hamus sit aureus: hoc non tantum pisciculi, sed maximi etiam pisces attrahuntur, quales sunt Magnates, juxta illud recentioris Poëtæ:

*Magnates quasi Magnetes; hi fer-*  
*rea, verum*  
*Ad se Magnates aurea cuncta tra-*  
*hunt.*

Eccl. 8. 2.  
Sueton.

Et illud Sapientis: *multos perdidit aurum, & usq; ad cor Regum extendit;* hoc est, etiam corda Regum penetrat & captivat. Caligula Imperator, auro ita adhamatus erat, ut subinde super immensos auri acervos nudis pedibus incederet, subinde toto sese corpore volutaret. Hastingius quidam, apud Comminæum, Edvardi Regis Angliæ familiaris, cum à Ludovico XI. Galliarum Rege sui demerendi causâ ingentem aureorum, qui cataphraëtis equitibus signantur, summam sibi dono missam aspiceret, exclamavit: *Ludovice captivum me tenes; quis enim valet tot armatis, an hamatis potius, resistere?* Pisces inhamantur comedendo escam, quâ hamus occultatur;

Mart. l. 5.  
ep.

*- namq; quis noscitur*  
*Avidum vorat à decipi scarum muscâ?*  
Et quid aliud munerû acceptio, quàm comestio quædam est? hinc illud tritum: *in fauces injicere, in fauces recipere;* scilicet dona. Sed ô fatalem escam, quæ rarò prenditur sine vulnere, &

quod plus sine suspensio! *prendere e-* Novarin.  
*nim & pendere non nisi unâ inter se literâ adag. n. 992*  
*discrepant,* ajebat Edmundus Cantuariensis; nec facile piscis aliquis hamum, prendidit, quin pependerit. Apprehendit Judas in hamo triginta argenteos, & mox velut pisciculus è filo pendit; Orci q; culina exenteratus cecidit: *suspensus crepuit medius, & diffusa* Act. 1. 18.  
*sunt omnia viscera ejus.* Similiter acceptis donis suffocata est quædam Virgo Ephesina apud Brusonium, quæ Brenno Gallorum Duci patriam prodere, de proditoribus. *de proditoribus.* spondit. Consensit Brennus; sed occupatâ urbe, ubi copiam ejusmodi rerum, quæ ad muliebrem mundum pertinent, collegisset, per milites omnia in Virginem proijci jussit, sicque eam donando suffocavit. Præclare Novarinus: *propinquus est suspensio, qui prater fas munera accipit.* Et Moyles sicuti dixerat: *maledictus qui pendet;* Deut. 21. *ita dixit: maledictus qui accipit munera,* & 27. quasi indicare vellet, alterum ab altero minimè abludere. Huc facit & illud Sapientis: *qui dat munera, aufert animam accipientium;* aufert enim communiter Justitiam, quæ secundum Philosophum est virtutum præclarissima, & ipsa est omnis virtus: sine virtute autem quid aliud est homo, quàm cadaver sine anima? Exclamaverat subinde ad uxorem Pater Samsonis Manue: *morte moriemur, quia vidimus Deum.* Judic. 13. *Cui respondit mulier: si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset.* At hodie multi Judices qui alios occidere deberent, ipsi occiduntur; cum enim aliena vendunt crimina, cum de manibus reo-

reorum libamenta suscipiunt, sua faciunt esse peccata, inquit Cassiodorus; *Jacob. 1. 15.* peccatum autem, ut notum ex Apostolo, generat mortem.

Sed etiamne Deo familiare hamo piscari? Author Imperfecti negare id videtur, cum ait: bene Apostolica instrumenta piscandi retia vocantur, qua captos non perimunt, ut hami, sed reservant.

Divus Epiphanius tamen Deum totum esse hamum affirmare non dubitat, B. Virginem sic alicubi alloquens: ave gratia plena hami esca, spiritualis siquidem in te hamus divinitas. Rectissime profecto; nemo enim magis homines capere satagit, quam Deus. Qui enim proprium filium, qui pretiosissimam, ejus Matrem, ceu aliquam hami escam, tam gratiose nobis objecit, quomodo

*Rom. 8. 32.* non omnia cum illis donavit? Dum aurum, dum gemmas, dum lapides pretiosos habemus, omnia nos habere putamus: & quid aliud sunt divina Sacramenta, gratia justificans, habitus supernaturales virtutum, dona Spiritus Sancti, nisi exquisitissimi quidam thesauri, de quibus B. Agnes sic apud D. Ambrosium gloriatur: ornavit inestimabili dextro cherio dexteram meam, & tollum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inestimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atq; coruscantibus gemmis. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me: ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi daturum, si ei perseveravero, repromisit. Ostendere aliquid delectabile, est trahere. Sic ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & tra-

*Amb. l. 4  
epist. 34.*

hitur, inquit Augustinus. Et Christus de suo Patre: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. (utique sicut piscem objecta esca) & ego resuscitabo eum. Quid ita? ergone in ipso tractu mors? Est equidem: nullus enim absque vulnere piscis hamo extrahitur; & sicut dona hominum, sic & multo magis divina sauciant, imò mactant, juxta illud vulgatum: mactare beneficijs. Ita mactari se clamabat S. Franciscus Xaverius, cum diducta subinde à pectore vestecopiam cœlestium gratiarum ultra sustinere non valens, anhelus repetebat: satis est Domine, satis est.

*Aug. tract.  
26. in Ioan.  
Ioan. 6. 44.*

III.

Sed jam tandem nassa tertium piscandi instrumentum sese objicit, inquam ut facile intratur, sic difficulter exitur. Dæmon hic miram in capiendo felicitatem habet; ultrò enim homines in ejus nassam (quæ peccandi occasiones sunt) currunt; nec tamen inde facile exeunt. Hinc sæpe audimus hunc illumve dicentem: non possum me ex hac vel illa peccandi occasione extricare, difficile mihi hanc illamve personam, societatem, cōversationem pravam deserere; sum in nassa. Impius, ait Salomon, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Per profundum S. Chrysostomus intelligit peccandi consuetudinem, quæ necessitatem quandam peccandi affert, neque permittit peccatorem eò reverti unde ex-ciderat. Et homil. 22. in Genes. grave, inquit, est, dilecti, grave capi laqueis Diaboli: anima enim postea quasi in retibus & nassa comprehensa trahitur, & à mala consuetudine obruta contemnit.

Nassa occasio vitij & virtutis.

*Prov. 18. 3.*

*Chrysof. ep.  
ad Theodo.*

peni-

Hugo in Ps.  
13.

Nassa Bo-  
hemis  
Wrsf  
dicitur.  
V. Dubra-  
vium hist.  
Bohem.

l. de regres-  
su anim. ab  
inferis c. 2.  
Gen. 3.

Eccl. 7.

penitentiam, vel ut Hugo, contemnit conscientiam. Familia celebris in Bohemia fuit Werfovicensium, qui nassam pro insigni habebant. Hi nimisquam versuti erant, quia ut ipsi regnarent plurimas Ducibus Bohemæ insidias tetenderant, plurimas nassas posuerant. Et verò non exisset inde dolorosa venatione, (piscationem potius dixero) captus Jaromirius, nî è cœlitibus D. Joannem Baptistam; è domesticis fideliorum reliquis Howoram liberatores nactus fuisset. Nempe verissimum est quod dixit Hugo Eterianus: homo ad capiendum aptissima venatio. Quis Dæmone versutior? quis fraudulentior? (serpens enim callidior erat cunctis animantibus) habet ipse mille artes pisciculos in nassam alliciendi, quos tamen non intendit nisi perimere. Plurimum autem hac in re imitatur Crassum illum Romanum, qui murænas suas nolâ convocare solebat. Pulsat Dæmon nolam suam, & ecce pisces agmine pleno ad eum currunt. Mysterium accipite ex sacro Paræmia ste. De fenestra, inquit, domus mea per cancellos prospexi, & video parvulos, considero vecordem juvenem. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, apprehensumq; deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur dicens: idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, & reperi: intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Egypto: aspersi cubile meum myrrha & aloë, & cinnamomo. Veni fruamur cupitis amplexibus; non est enim vir in domo sua, abiit viâ longissimâ. Et ita irretivit eum

multis sermonibus. Ipseque statim eam sequitur, ignorans quod ad vincula stultus trahatur. Vel ut Symmachus legit: exultans super vinculis, vel ut alij, super tintinnabulis. Erat enim quondam puellis levioribus in usu, ut calceis tintinnabula & nolas applicarent, quò Juvenes ad se intuendum excitarent, & in sui amorem provocarent, id quod etiam mollem & semineum Gabinium factitasse testatur Cicero in Pisone. Verè tintinnabula Dæmonis meretrices dixerò, quæ tam multos homines Orco capiunt. Nam ut acutè dixit Italus Prædicator: "Dæmon Deum æmulatur; ille voluit homines piscari per viros, iste vult piscari eos per feminas. Ille ut pisces deferat in cœlum; iste ut coquendos deferat in Infernum.

At proh dolor! quàm pauci respectivè in Dei nassam & sagenam vocati intrant. pauci enim electi queritur Christus; pauci escâ illâ saluberrimâ, cujus meminit David: venite gustate quoniam suavis est Dominus, trahuntur; quam tamen si vel modicum gustarent, profectò non amplius ex hac nassa exire cuperent. Qui enim te ô Deus gustant, magis esuriunt; qui bibunt, adhuc sitiunt. Opus tamen & hic astutiâ est. Hinc etiam in Apostolis suis calliditatem, serpentinam Christus requisivit, cum eis dixit: estote sicut serpentes. Et Paulus coram suis Corinthijs gloriatur: cum essem astutus dolo vos cepi. Hoc est, ut D. Thomas explicat, artificiosâ solertiâ, & cautâ prudentiâ vos à gentilitismo ad Christianismum converti. Quem in hoc negotio egregiè imitari noverat S. Franciscus Xaverius Indiarum

Laured.  
„ silv. tid.  
„ Mere-  
„ trix.  
„

Psal. 33. 9.

Eccl. 24.  
29.

2 Cor. 12. 16  
Thom. 22.  
q 55. a. 4.  
ad 1.

Horat.  
Tursell.  
l. 2. vita  
cap. 3.

rum Apostolus, cum personam aliam  
atque aliam sapius induit, quò sese in-  
animos Barbarorum insinaret; nolá-  
que & ipse usus plurimos hac arte pi-  
sciculos in nassam Christi convocavit.  
Audire lubet vitæ ejus Scriptorem :  
" humanæ salutis avidior Xaverius",  
" novas subinde excogitans juvandorum  
" hominum rationes, ad omnia descen-  
" debat. Illud autem in tali viro admi-  
" rabile, & utilius, quàm speciosius in-  
" stitutum. Homo id ætatis atque au-  
" toritatis, vias plateasque cum *tintum-  
" bula* circumibat; puerosque ac servos  
" ad Christianam doctrinam convocans,  
" ad viarum angulos & compita subinde  
" tali carmine incolarum pietatem exci-  
" tabat. Fideles Christiani, liberos ve-  
" stros, servosque, pro vestra in Chri-  
" stum caritate, ad Christianam discipli-  
" nam dimittite. Ad hanc rei novita-  
" tem maximi puerorum ac mancipio-  
" rum undique se proripientium, alio-  
" rumque hominum concurrebant gre-

ges. Quos ille omnes in eadem B. ,,  
MARIÆ quasi agmine adductos Cate- ,,  
chismum modulans docebat. Nec ,,  
minùs industrius Piscator fuit Noster. *Rho var.*  
item P. Emmanuel Ortega Xaverianæ *bist. lib.*  
charitatis æmulus, dum in ipsas aquas *c. 3. §. 3.*  
spe prædæ insiliebat. Crescunt per- *Nostra.*  
Peruvium amnes insanum in modum,  
collectisque imbris rapidi, ac violenti,  
barbarorum casas & pagos non se-  
mel abripiunt, multis haustis morta-  
libus. Id cum fieret, Emmanuel sese  
fluvio committere minimè dubitavit,  
nandoque Indos fluitantes assequi, ut  
jam jam morituros suprema expiaret  
absolutione. Numquam sincerior,  
mihi credite, atque in negotio salutis  
dulus est; hinc juvat esse captiosum. Si  
enim, ut ille ait, *Greg. Nat.*  
*divinissimum* censetur cooperari Deo in  
*salutem animarum*, suum operæ præ-  
tium fecit, qui in nassam Christi  
vel unam traxit ani-  
mam.



DOMI-

## DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

## Ira stultitiæ soror.

*Qui dixerit: fatue, &c. Matth: 5.*



Ti mirum est in tanta hominum frequentia tam paucos sapientiæ operam dare; sic magis mirum omnes velle videri sapientes. Dicebat aliquando Socrates: si præconis voce è theatro juberentur cuncti fullones & futores stare, ij assurgerent soli, qui artes illas profitentur: si verò sapientes consurgere juberet, omnes omnino illico starent. Ita nullus quamvis stultus sutor, aut vilis reperitur cerdo, qui se non multum sapere putet, & dicat, etiam sibi cerebrum esse, nec in sola Gracia sapientes nasci. Sed cerebrum quidem omnibus est, plurimis tamen non in capite, verum, quod Italicum proverbium sonat (ha il cervello sopra la beretta) supra pileum. Non unus hodie *octavus* numeratur *sapiens*; *stultorum* quippe, teste mortalium Sapientissimo, *infinitus est numerus*, quamvis nemo in eo numero centeri velit. Compellare quempiam stultum adeo grave scomma est, ut ipsis inferni ignibus judicetur piandum: *qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehenna ignis*. At si licet scapham appellare scapham, cur non stultum vocare stultum liceat? Ipse certè Christus hoc titulo proprios subinde insignivit discipulos, cum eis minus sapienter de resurrectione sua discurrentibus in faciem dixit: *O stulti!* Quidquid sit tamen, nemo liben-

*Ecl. 1. 15.*

*Luc. 24. 25*

ter suos sive animi, sive naturæ audit, defectus: sic si cœcum appelles cœcum, aut luscum voces luscum, utrumque gravissimè exacerbis, & offendis. Prodest nihilominus sæpe opportuna defectuum exprobratio, tum nimirum, dum non lædendi, sed corrigendi gratiâ fit. Ut enim Medicus amicè cum ægro agit, si morbum ei suum indicat; ita non amicus esse non potest, qui alteri vitium exprobrat, ut corrigat. Et hinc illi solùm ad gehennam damnantur, qui fratres suos stultos & fatuos ex immoderata irâ & animo convitiandi appellitant, quos tamen ego veriores stultos in præsentî sermone pronuntia- bo, ubi ostendero iram nimiam esse germanam stultitiæ sororem.

Duplicem Philosophi in homine appetitum constituunt: alterum concupiscibilem, irascibilem alterum. Ille fertur in objectum ut bonum vel malum sensibile absolutè; hic in objectum ut bonum vel malum arduum & difficile, generatque spem, desperationem, timorem, audaciam, & iram. Est autem ira appetitus irascentis ad præsens malum vindicandum perturbatio. Iuxta Ciceronem libido puniendi ejus, qui injuriâ læsisse videtur. Passio, si quæ alia, regi nescia, facillimèq; rationem prævertens; hinc merito Seneca: *nulla celerior ad insaniam*

*Cic. Tuscul. quest.*

*Sen. de ira c. 35.*

D d

nia

nia : Hinc Poëta : *ira brevis furor est.* Hinc Flavius Crispus pro symbolo : *homo non homo iratus.* Hinc M. Gregorius : *per iram sapientia perditur.* Et Magnus Dalmata : *ira est signum insipientie, quia quamvis aliquis existimetur sapiens, si iracundus sit, insipiens arguitur.* Quibus omnibus apprimè consentit divinus Sapiens, cum ait : *ira in sinu stulti requiescit.* Campensis vertit : *solent ferè esse stulti qui proni sunt ad iram.* Apud stultos enim tam facilis est ira, ut eam non secus ac aliquis chartam è sinu extrahant, dum minimà re offenduntur, vociferantur, tumultuantur, litigant, furunt. Et verò si, quod Dion verissimè dixit : *stultus est qui non est animi sui dominus*, quis irato stultior, qui sibi ipsi iraque suæ nescit dominari, qui, ut loqui solemus, totus quantus est extra se, & apud se non est, (a) qui, ut ait Chrysostomus, in illo furore suo non secus ac mente captus quid faciat non advertit. *Videas iratos (verba ejus sunt) velut insanos turpiter in medium precipites ferri.* Cum enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, ardent oculi, in compositè manus moventur, ridiculè prosiliunt pedes, monitoribus & rixam dirimere conantibus insultant, in eosque nulla ab insipientibus differentia irruunt; & cum hæc faciunt, tanquam amentes nihil sentiunt, nihil intelligunt; sed asinorum more, calcibus morsibusque invicem insultant. Ecce non tantùm stultis, sed insuper *Asinis* iratos confert orator aureus. Stulti enim multùm asinos referunt in eo, quòd æquè stolidi & stupidi, haudquam mitiùs ac illi tractentur, quòd ad plagas & fustes damnati, in quos illud Plauti meritò recitavero : *Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costa callent, quos dum ferias tibi plus noceas; eo enim ingenio hi sunt flagritruba.* Quidam furiosus, ut refert antiquarius scriptor Cælius, percutere volebat agasonem. Cum hic exclamasset : *Atheniensis sum, alter effervescente amplius iram fustibus asellum adortus, cum bile & minis vociferabatur; at tu Atheniensis non es. Athenas certe (quod sapientiæ seminarium est) ipse vix viderit, ac proinde non minor asinus, qui stolidum pecus tam stolidè & stultè ceciderit.* Nec absimilis huic Ajax Telamonis filius, qui, propter arma Achillis mortui Vlyssi in præmium virtutis data, in furorem versus armenta loro cædebat, existimans se interficere Græcos; ac tandem proprio gladio incubuit. (a) Alius mulæ calcitranti præ ira recalcitrabat. (b) Evrylochus quidam arrepto cum carnibus veru ad forum usque cucurrit, coquum suum persequens. (c) Quæ major infania?

Eleganter per proverbium Hebræi *בַּבַּיִתְּךָ בַּבַּיִתְּךָ בַּבַּיִתְּךָ* *baccis, baccos, baccas*; in crumena, in calice, in ira indoles & ingenium hominis ostenditur. In crumena quippe cognoscitur ejus avaritia vel liberalitas; in calice sobrietas, vel ebrietas manifestatur: in ira, prudentia vel stultitia; prudentia quidem in dissimulanda offensa, stultitia in subita excandescencia. Nam quòd bene observavit Salomon : *fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimu-*

Plaut. in Pseudolo.

Cæli. l. 23. antiq. lect. c. 20.

a Sophoc. in Ajax.

b Plut. in comm. c. 2. var. lect. c. 21.

Prov. 11. 15.

simu-

*simulat injuriam, callidus, id est prudens est.* Sic Saul à prudentia ex eo maxime commendatur, quod in sui inauguratione dissimularet se audire scommata filiorum Belial, dicentium: *num saluare nos poterit iste?*

1. Reg. 10. 27

Habet hanc præ alijs sibi maxime propriam qualitatem stultus, quod nunquam sibi ipsi constet, nunquam unus, sed semper alius & alius, atque à se ipso, ut versicolor vestitus ejus denotat, quodammodo diversus sit, juxta illud: *stultus ut luna mutatur*, quæ modò pallida, modò rubicunda apparet, nunc plena & rotunda, nunc corniculata, nunc falcata, & quasi abscissa. Planè sic iratus, de quo Ambrosius: *quomodo potest unus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione gravi exaestuat, nunc vultu exaerescit, nunc pallore immutatur per momenta varius & discolor?* Similiter Lactantius: *cum, inquit, in animum ira incidit, velut seiva tempestas tantos excitat fluctus, ut statum mentis immutet, alternis vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens.* Elcana mitissimus ex eo maxime in scripturis laudatur, quod fuerit unus: *fuit vir unus de Ramathaim sopherim.* Cur non quidam, quod conformius Latinitate & bonæ Syntaxi dicendum videbatur? Origenes hic pro sua ingenij subtilitate mysterium evolvit, & ait: *Vide si hoc non pertinet ad laudem Iusti, quod dicatur de eo: erat vir unus. Nos, qui peccatores sumus, non possumus hunc titulum laudis acquirere, quia unusquisque nostrum non est unus, sed est multi. Intuere vultum alicujus irati, nunquid ille unus, &c.?*

Eccli. 27.  
12.Amb. l. 3.  
ep. 25. ad  
Vercellens.  
Eccles.  
Lactant. l.  
de ira Dei  
c. 5.

1. Reg. 1.

Porro inter eos qui facillimè irascuntur Ludovicus Vives aquæ potiores numerat, idque ob tenues spiritus incendio iræ aptissimos. Et quibus tam proprium aquam bibere ac stultis, vina enim illis propinare, est illorum insaniam magis accendere. Bibunt & irati aquam, cujus meminit Iobus: *bibunt quasi aquam iniquitatem*, quam sibi alios fodiendo effodiunt. *Scriptum enim est*, ait Ambrosius: *vir iracundus effodit peccatum*, pro quo Hebræus legit *גורגורא*, quod est gutture attrahit, veluti potum. Et D. Iacobus: *ira viri justitiam Dei non operatur*, hoc est, ut S. Clemens explicat: *ubi est ira, ibi non est Dominus, sed amica Satana.* Vel ut quidam alius: *ira non operatur id quod justum, æquum, rationi consonum, & sanctum est.* Per iram enim, verba sunt citati Ambrosij, *justitia relinquuntur, quia dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur. Per iram concordia rumpitur. Per iram gratia vitæ socialis amittitur; quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat. Quod & ipsum stultitiæ non minimum est argumentum; quæ enim cum stultis societas? quæ conversatio? qui plerumque ut rixosi & furiosi ab alijs segregantur, adeo ut dixerit Salomon: *expedit magis urse occurrere raptis festi-**

Iob. 15. 16.

Prov. 15.

Iacob. 1. 20.

Clem. l. 2.

constit. c. 37

Amb. de S.

Ioseph. q. 5.

Prov. 17. 12.



bus, quàm fatuo in stultitia sua, quasi diceret, satius est incurrere in ursum, quàm in stultum. Versus enim quandoque, ut ex historijs habemus, objectu virginis & infantis mansvescit, quod stulti & irati non faciunt, qualis insanissimus, omnibusque Orci Furijs peior Herodes, in quem est ille Ecclesiæ versus: *Herodes iratus occidit multos pueros in Bèthleem, Iuda civitate David.*

*Liv. dec. 1.*

Qualis ferocissima Tullia, quæ ne objecto quidem proprij Patris corpore mitior facta, carpentum super illud agere non exhorruit. Qualis Horatius, qui obviam in porta sororem plusquam ursinâ rabie jugulavit. Apud Romanos ferocibus tauris fœnum è cornu suspendebatur in signum ferociæ, & aliorum cautelam, hinc illud:

*Fœnum in cornu gerit.*

Et: - - *cornu ferit ille, caveto.*

Similiter stultis hodie appenduntur, nolæ, & flagella, ut qui illis occurrunt, tempestive declinent, nî velint batui.

Vtinam idem mos in biliosis servaretur, utinam ijs fœnum & nolæ de pileo suspenderentur, securiores multò incederemus, nec tor credo hodie sanguinarias cædes spectaremus, & audiremus. Quàm sæpe auditum est hunc illumve in platea, in angiportu, in bivio cæsum, quòd in furiosum aliquem forte fortunâ impegit, seseque ad eum vel levissimè attriverit. Non patitur attractum furor, quia igneus, nec atteri sustinet, quin instar silicis scintillas de se spargat: qui procul ab irato, *procul a fulmine.* Hinc rectè sapuit Sidonius quidam dicaculus apud Sabellicum; dum causam rogatus: cur à

*Sabel. l. 9.  
c. 11.*

M. Crasso incessendo pertinaciter abstineret, qui aliàs nulli rogatorum, parceret, respondit: quia Crassus fert fœnum in cornu.

Quid quòd nec ullam amicitiam cum iracundis contrahendam moneat Sapiens: *noli esse amicus homini iracundo.* Cur ita? quia (ut loquitur Autor libri de amicitia apud Augustinum,) *non diu leges amicitia vel jura servabit: non enim ad amicitiam sunt idonei nimis iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi; quæ quatuor in electione amici notanda sunt. Difficile est eum, quem sæpe iracundia furor exagitat, non aliquando assurgere in amicum.* Quis amicior Alexandro quàm Clitus? & tamen ut levi de causa ab eodem lanceâ trajectus est! Factum sic ferè describit Curtius: "In

*Prov. 22.  
24.*

*Tom. 4. 0.  
perum Aug.  
gust. de a-  
mic. c. 12.*

*Curt. l.  
8. c. 3.*

convivio, cum Alexander immodicus æstimator sui, celebrare quæ gesserat, cœpisset, gravis etiam eorum auribus, qui sentiebant vera memorari: Clitus verò Philippi acta, bellaque in Græcia gesta paulò intemperantiùs præsentibus priora præferens, commemorasset; Rex velut patienter audiret, quibus Clitus obtinebat laudes ejus, ingentem iram conceperat. Ceterum cum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente, magis exasperabatur. Itaque rapta ex manibus armigeri lancea, Clitum percutere conatus, à Ptolomæo & Perdicca inhibetur, qui medium complexi, & obluçtari perseverantem morabantur. Ille militum fidem implorans, comprehendi se à proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat; signumque tubâ

„ tubâ dari, ut ad Regiam armati coi-  
 „ rent, jubet. Tum verò Prolo-mæus &  
 „ Perdiccas genibus advoluti orant, ne  
 „ in tam præcipiti ira perseveret, spati-  
 „ umque potiùs animo det, omnia po-  
 „ stero die justius executurum. Sed clau-  
 „ sæ erant aures obstrepente ira. Itaque  
 „ impotens animi procurrit in Regiæ ve-  
 „ stibulum, & vigili excubanti hastâ ab-  
 „ latâ constitit in aditu, quo necesse erat  
 „ ijs, qui simul cænaverant, egredi. Ab-  
 „ ierant ceteri: Clitus ultimus sine lu-  
 „ mine exibat. Quem Rex, quisnam es-  
 „ set, interrogat. Eminebat etiam in  
 „ voce sceleris, quod parabat atrocitas.  
 „ Et ille non jam suæ, sed Regis iræ im-  
 „ memor, Clitum se esse, & de convivio  
 „ exire respondit. Hæc dicentis latus ha-  
 „ stâ transfixit, morientisque sanguine  
 „ aspersus: I nunc, inquit, ad Philip-  
 „ pum, & Parmenionem, & Attalum.  
 Facti tamen ubi ad se rediisset mox e-  
 um poenituit, adeo ut præ nimio dolo-  
 re illam eandem hastam è corpore ja-  
 centis in se retorserit, infixissetque pe-  
 ctori, ni vigiles qui accurrerant, obsti-  
 tissent. Nimirum plerumque furori  
 comes it poenitentia, nam

Horat. l. 1.  
 epist. ep. 7.

— qui non moderabitur ira  
 In festum volens esse, dolor quod suase-  
 rit & mens,  
 Dum poenas odio per vim festinat  
 inulto.

Plutarch.

Tum primùm post cædem factam mul-  
 ti suam agnoscunt stultitiam, tum co-  
 mas cum Alexandro vellicant, ora la-  
 niant ungvibus, caput solo allidunt,  
 ingeminantes illud: ô quam stulte egi!  
 Quippe, ut bene dixit Plutarchus, qua-

cunque irâ commoti faciunt homines, ea  
 necessum est cæca sint & imprudentia, &  
 omnino errata. Non enim fieri potest, ut  
 concitatus irâ ratione utatur.

Dum Ioseph Patriarcha Fratres suos  
 ex Ægypto pro adducendo Patre di-  
 mitteret, hoc unum eis sollicitè com-  
 mendavit: ne irascamini in via. Quod  
 observans D. Ambrosius: quam bene,  
 inquit, docet ab iracundia præcaven-  
 dum! quòd ea possit etiam amantes sui se-  
 parare germanos. Et separavit enim  
 verò luctuosissimè geminos fratres Li-  
 minæos familiæ nobilissimæ ac vetu-  
 stissimæ, qui per æstatem ruri cum no-  
 ctu à cæna sub Iove patulo fortè obam-  
 bularent, deque diversis rebus diversa  
 inter se loquentes coelum subinde in-  
 numeris pictum stellis suspicerent, al-  
 ter eorum per jocum dixit, precari se  
 tot sibi boves esse, quot stellas fulgere  
 conspiceret; ad quæ alter mox item  
 per jocum: utinam mihi pratum esset  
 instar coeli latum; & simul ad fratrem  
 conversus: ubi tu tuos pasceres boves?  
 In tuo illo prato, respondet iste. Quid  
 si ego nollem? reponit ille: te etiam  
 invito pascere. Tunc me invito? in-  
 quit; & ita altercando risu in iram, ira  
 in rixam & serium furorem conversa,  
 dum neuter alteri vult cedere, exertis  
 utrinque gladijs, quibus malâ fortunâ  
 ambo erant accincti, se invicem crude-  
 liter confoderant. Nonne isti maximi  
 fuere stulti, qui de ente rationis ita  
 contendebant? O quòd demum vespa-  
 niæ non perducit stultissima cholera!

Sed ecce quæ à me dicta sunt hæc-  
 nus, in contrariam planè partem re-  
 torquere videtur Philosophorum Prin-  
 cepts,

Gen 45.25.

Amb. l. de  
 Ioseph. c. 13.

Bernardin.  
 Scardone?

*Arist. l. 5. Ethic.* ceps, sic alicubi docens: ira vacuitas minimè laudabilis: nam qui non irascuntur pro quibus oportet, & ut oportet, & cum oportet, & quibus oportet, fatui sunt, nam neque sentire, neque dolere videntur. Ira, inquit Tullius, data est homini quasi *cos fortitudinis*; vel, ut Magnus Gregorius: quasi *virtutis instrumentum & ancilla*; vel, ut Nemesius: quasi *satellitum rationis ad executionem vindictæ malorum*. Est naturæ apprimè utilis ad facta ardua: est in homine quod miles in Republica. Sine illa enim quis se heroem probabit? quis generosus, quis audax, quis magnanimus audiet? quis facinus memoriâ dignum attentabit? quis bello & prælijs aptus erit? Columba quia felle carent, ideo imbelles, solâque accipitris conspectâ umbrâ fugiunt. Leones contra quia plus ceteris animalibus biliosi, propterea fortissimi, & magnanimi. Hæc tamen & similia objecta nihil omninò mex adversantur sententiæ. Ira enim (Angelici Doctoris verba sunt) *dupliciter se habet in homine; quandoque enim prævenit rationem & irabit eam secum ad operandum; quandoque verò sequitur rationem, & est quasi instrumentum ipsius: prior nunquam non mala est; posterior sæpe necessaria, tum nimirum, dum non tam nostra, quàm DEI gloria læditur. Et ad hanc nos incitat David: irascimini & nolite peccare, hoc est, ut idem S. Doctor exponit: irascimini contra vitia aliorum, & tamen nolite peccare, eos inordinate corrigendo, quia debet ira dirigi per rationem. Vel ut S. Augustinus: irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, id est agite pœnitentiam, & ulterius peccare desinite. Quasi diceret: flagra & funes contra vos ipsos expedite, asinum vestrum, pigrum videlicet ac deses corpus (sic enim illud appellabat S. Franciscus) verberibus afficite, stimulis urgete, ac pungite, cruentate, inediâ macerate, onerate laboribus; verbo, sic irascimini, & sapietis,*

Psal. 4. 6.



DOMI-

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.  
Prandia sicca maximæ hospitalitatis argumentum.

*Manducaverunt.* Marc. 8.



Væ res ad conservandam humanâ societatem potissimum facit, est ferè hospitalitas, & amica aliunde adventantes excipiendi ratio. Sicut enim barbariem sapit, hospitem domo excludere; ita publica species humanitatis est, ut peregrinus in hospitio non egeat, ut suscipiatur officiosè, ut pateat adventanti janua, ait officiosus Ambrosius; & ejusdem auditor Augustinus: ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet esse hominem, & maxime hospitio suscipit hominem. In primitiva Ecclesia inter Christianos (qui omnis feritatis expertes esse debent) hæc virtus ita viguit, ut Tertullianus, veluti Catholicae fidei & communionis symbolum, dicat contesserationem hospitalitatis. Per quam contesserationem intelligit certum aliquod signum, quasi Christianismi tesseram, quod qui exhibebat, à Christianis ubilibet locorum tanquam confrater perbenevolè excipiebatur. Hinc Peregrinus impostor apud Lucianum, quia sat sibi viatici in hospitalitate Christianorum sciebat, Christianum se finxit, atque ita longas peregrinationes citra crumenæ propriæ diminutionem obiit. Et magnus Pachomius non ex alio motivo Christianismum suscepit, quam ex visa (cùm adhuc Ethnicus sub Licinio stipendia me-

reret) Christianorum Thebanorum in commilitones suos hospitalitate. Sed si verum: *qualis Rex talis grex*, quid mirum Christianis tantam hospitalitatis esse curam, cùm eorum caput Christus, à quo cum hominibus agere cœpit, ferè nunquam fuerit sine hospitibus? quorum tanta plerumque confluebat frequentia, ut jam quatuor, jam quinque, sæpe etiam plura millia censerentur. *Conveniebant enim ad eum, undique*, ait S. Marcus. Hospitalitatis præcipua & apud omnes gentes receptissima est lex, hospites ad mensam vocare, prandium aut canam ijs instruere, dapes apponere: nemo enim ferè à se honoratum existimat hospitem, nisi cum eo ut minimum panem & salem comederit. Quamvis hodie per Germaniam major potibus, quam cibis habeatur honos. Insigniter hospitalis censetur, qui insigniter ad pocula urget, qui prægrandibus cyathis advenam recentemque hospitem salutatur; frequentior nunc per mensas volat querela: *non habent quod bibant; quàm: non habent quod manducent.* Quid igitur mysterij sit, quòd Evangelistæ nullam in hodierno prodigioso Christi convivio potùs mentionem faciant, sincerè pandam, ubi contra comunem sensum ostendero, prandia sicca maximæ hospitalitatis esse argumentum.

Atque

Ambros.  
de offic.

August. de  
verb. Apost.

Tertull. l.  
de præscri.  
c. 20.

Lucian. in  
ejus vita.

Marc. 8.  
45.

Atque illud primum cum primis mirabile in mentem venit, quod quotiescunque Deos alicubi hospitatos lego, nunquam eos non siccè cernasse inveniam. Diverterant subinde Angeli, (filios Dei Iobus appellat) ad divitem Abrahamum, quos ille quàm lautissimè tractaturus, festinavit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum, & optimum, deditque puero, qui festinavit & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & posuit coram illis. Et ubinam manet haustus? Itane adeo dives Patriarcha non habet in cellario suo vinum, præsertim eum ejus majores primi vineas colere cœperint? Vinum credo illum habuisse, sed quia Noëmum vino inebriatum noverat, parum aut nihil apposuisse, ne tantis hospitibus, ut observavit Ambrosius, aliquam ebrietatis daret occasionem. Rectè, ait, illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorum. Patrum suum imitatus & Lot, cum Angelos ad se divertere compulisset, fecit eis convivium, & coxit azyma, & comederunt. Biberint etiam fortasse, sed quàm temperantissime, & quod dicere solemus, pitissando tantum: sublimes enim animæ instar volucrum, pitissant magis quàm bibunt, taceo hauriunt.

Eliam Thesbiten è fuga oppidò lassum non lautius refecit Deus, quàm subcinericium panem apponendo, & quidem hordeaceum, ut Clemens Alexandrinus opinatur, & vas aquæ. Cur non vas meri? Revera, inquit Hieronymus, non poterat Deus conditum ei merum mittere: non quidem defectu potentia, ut qui omnia ex nihilo fecit, sed defectu congruentia, neque enim justo viro lautius epulum congruebat. Potuit & Danieli (eiusdem Doctoris verba sunt) de regis ferculis opulentior mensa transferri; sed Abacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum, adeoque siccum. In famosissimo illo Assveri convivio, hoc vel maxime laudatur, quod nemo nolentes cogere ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, ut sumeret unusquisque quod vellet. Qui mos etiamnum in nonnullis Provinciis, benèque ordinatis aulis viget, ubi potus nulli affunditur, nisi poscenti. Rectissimè profectò: urgere enim ad pocula hospitem, potumque superfluum importunè ingerere, est non tam hospitalitatem, quàm hostilitatem exercere. Ioannes Fridericus Matensis refert, suo tempore in quadam celebri civitate Imperij convivium institutum, in quo sequentes leges observandæ erant. 1. Ut omnes biberent immanes scyphos, quin eos mensæ superimponerent; 2. ut omnes haustus unico ductu glutirent; 3. ut ante Solem orientem nemo pedem è convivio efferret. Proh qualis hospitalitas! quam ne quidem porci optarent. Non video sanè, quid accidere possit hostilius: nimio quippe haustu alterum obruere, est directè illius perniciem ac mortem quarere, ut bene annotavit D. Ambrosius, eiusmodi bibones sic ferè increpans: vocatis ad convivium ut amicos, & emittitis ut inimicos. Rogas ad jucunditatem; cogis ad mortem: invitatis

Iob. 1. 6.

Gen. 18. 6.

† Noë post diluvium primus vineam plantavit.

Amb. l. de Elia c. 14.

Gen. 19. 4.

3. Reg. 19.

Clem. l. 3.

pedag. c. 7.

Hier. ep. 22

ad Eustoch.

Esth. 1. 8.

Matens, c. 11. lib. de ritu bib. ad sanct.

Ambros. de Elia &amp; jer. jun. c. 14.

vitas

*vitae ad prandium; efferre vis ad sepulchrum: vina pretendis, venena suffundis: omne enim quod nocet venenum est; tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat; quin etiam major vis vini quam veneni est; denique vino venenum excluditur, non vinum veneno.* Et mox expendens illud Moysis: *fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile, docet rectè vinum vocari venenum insanabile; quia multi, inquit, reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ebrietate.* Ambrosio consentit Hieronymus, dum Evstochium suam ita monet: *hoc primum moneo, & obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat, pro veneno.* Et alibi: *vinum sponsis Christi tanquam venenum suspectum sit.* Consentit Petrus Chrysologus dicens: *ebrietas & vinum Demon blandus, venenum dulce.* Agnovit & Cyrus, qui etiamnum puer, cum per jocum in quodam Astyagis convivio pincernae officio fungeretur, vinum pro more gustare noluit, quod venenum illi inesse diceret. Causam rogatus ab Astyage, respondit: cum tu Rex die tuo natali amicos exciperes, planissimè comperi, venena Sacam pincernam vobis infudisse. Primum enim quæ nos pueros facere prohibetis, ipsi committebatis, omnes nimirum clamabatis, cum volmet mutuo planè non intelligeretis; quin & ridiculè admodum canebatis, ac quamvis canentem non audiretis, sacramento tamen confirmabatis, optimè hominem canere. Præterea cum quisque robur suum prædicaret, ut primum tamen saltaturi assurgebatis, tantum aberat, ut saltare possietis ad

numerum, ut etiam erigi nequiretis. Neque vel tu omnino Regem esse te memineras, vel illi, quod imperium tibi in ipsos esset. Sapienter proinde Antrocydes Philosophus Alexandro Macedoni scripsit: *vinum potaturus Rex memento te bibere sanguinem terræ: sicut cicuta homini venenum est; sic cicutæ vinum.* Cicuta hausta sensus hominis sensim sopit, & tandem extingvit; proinde si quis ad eam bibendam alterum urgeret, num ille amicus, & non potius pessimus hostis putaretur? Si ebrios aspiciamus, quid aliud cum Cyro colligere poterimus, quam cicutam & venenum eos bibisse? Nam (ut iterum præclarè hypotyposi Ambrosius) *incerti illis visus, instabilis gressus; umbras sæpe transiliunt sicut foveas. Nutat his cum facie terra, subito erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, & resonantia fluctu litora. Canes si viderint, leones arbitrantur & fugiunt. Alij risu solvuntur incondito, alij inconsolabili dolore deplorant, alij cernunt irrationabiles pavores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est: excitari nullis vocibus possunt, quantolibet stimulando impulsu petas. Unde bene Ieremias huiusmodi hominem tanquam superfluum creaturam, adeoque velut mortuum, descendendum putat. Nec aliter Chryso-*

*Plin. lib. 14. c. 5.*

*Ambrosii de Elia c. 16.*

*Chrysost. hom. 57. ad populum.*

E e efferri

Deut. 31. 33.

Hieron. ep. 22. ad Evstoch.

In reg. Mo. nach. c. 31.

Chrysolog. serm. 26.

Xenophon de institut. Cyri lib. 1.

offerri videmus? Zenonem Imperatorem narrat Cedrenus, cum se pro more multo mero ingurgitasset, quadam nocte velut mortuum jacuisse. Quod Ariadna ejus uxor animadvertens, iussit eum sepulchro inferri ingenti lapide superposito. Simili (licet non tam crudeli) officio usam mulierem Belgicam scribit, ut solet facetè, Angelinus Gazæus, quæ suum maritum somno, vinoque profundèmersum, linteo veluti cadaver manibus pedibusque ligatis involvit, feræ lampades, omnemque funebrem apparatus, convocatis etiã ad spectaculum vicinis, circum disposuit, fictis interim lacrymis, & scæmineo ululatu totam domum personans:

*Heu mi marite! mi marite! vitales  
Nec opinus auras morte tam cita lin-  
quis?*

Dum ille tandem à crapula (& ut vera putabat ab Inferis) redivivus,  
*votum.*

*Ter & ter altum vovit omne per vi-  
tam.*

*Instar mephitis execrariet vinum.*

Ita certè sicut terra mortuis, sic vinum ebrijs sepulchrum est; hinc illud Poëta:

Virg. 2.  
Æneid.

*Invadunt urbem somno, vinoque se-  
pultam.*

Clim. gra-  
du 26.

Et illud: mero aliquem sepelire, pro eo quod est inebriare. Climacus verò; qui undique, ait, corrupto vino foetet, cogita infelicem animam in tali corpore tanquam in sepulchro defossam. Quidam capitis reus, dum ei optio daretur mortis genus quod vellet eligeret, in cado

vini Malvatici submergi petijt, svavissimè sic se sepeliendum existimans. Sic hodierni bibones svavissimè se putant sepultos, cum interim à vino ad flammæ aternas, & inextingvibiles rogos sæpe transeant. Quot enim hæctenus in ebrietate cæsi! quot ex equo, è scalis prolapsi! quot apoplexiã percussi! quot nimia humorum abundantia oppressi & suffocati! qui omnes rectã, ut dicimus, viã ad Orcum concessere, quia pœnitentiã in eis nullus omnino sensus fuit, sed nec esse potuit. Qui à morte in alijs deprehenduntur vitijs, ait celebris Ecclesiastes, \* modò vel brevissimum gemitus sanctioris spatium obtineant, de admissis culpis dolere queunt, & cœlum brevi lucta diripere, quod ebrii nequeunt, qui nec tempore nec ratione uti possunt. Ebrium sic finire, est aternum interire. O igitur pessimum latronem ebrietatem, qui simul & animam & corpus jugulat! Et corpus quidem tametsi iterum iterumque à crapula refurgit, semper tamen refurgit debilius. Videmus enim eos qui pridie ebrii fuerant, postera die quasi larvas mortuales incedere, nam, ut loquitur Chrysostomus, perinde ut mortui multis velaminibus & institis ligantur, &, quod ait Plinius, pallor illis & gena pendula, oculorum ulcera, tremula manus, labantesque pedes & furiales somni, ex ore halitus foetidi, ac ferè omnium oblivio, mors memoria, prudentiæ, & mentis. † Hinc pbrænesis periculosa, hinc calculi gravis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Quod si sapius  
eve-

\* Drexel.  
in Joseph.  
c. 14. §. 4.

Chrysostom.  
29. in Mat.  
Plin. l. 14.  
c. 22.

Ambr. sup.

eveniat, tandem necesse est omnem nativum ignem extingvi, qui per tot suffusiones sensim minuitur, & deficit. Memorat Paulus Diaconus quatuor senes inter se certasse (ut olim mos erat) bibendo annos suos, hoc est tot pocula, quot quis annos numerabat. unus bibit 58, alius 63, tertius 87, quartus 92. Bibunt defacto ebriosi annos suos, eosque in vino quodammodo ebibunt, dum sibi vitam (quam per sobrietatem longum protendere poterant) voluntariè decurtant, ac detruncant. Quid Alexandrum Magnum tot victorijs celebrem, tot triumphis illustrem, tot provinciarum imò Orbis totius Dominum tam maturè sustulit? Ebrietas. "Quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes per quas victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum ac salvum dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculeaneus ac fatalis scyphus condidit, ait supra citatus Prædicator. Quid Holoferni Assyrio mortem acceleravit? ebrietas. *Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* Quid Balthastarem cum optimatibus suis perdidit? Hæc eadem pessima ebrietas. *Vnusquisque enim secundum suam bibebat arietem.*

Verissimè Sapiens: *qui temperans est adyciet vitam.* Notum fortè multis hominis plusquam centenarij exemplum, qui à nonnullo ex Purpuratis rogatus, quo medio vitam ad tot annos produxisset, respondit inter alia: nunquam ebrius fui. Et apud Lotichium Thomas quidam Parrus in Anglia ex pago Alberburio in Salopiæ comitatu oriundus

ad annos centum quinquaginta duos vitam admirabili sanitate & viribus corporis produxisse memoratur. Anno quarto supra centesimum adhuc procreationi liberorum suffecit, transivitque vigesimo supra centesimum ad secundum matrimonium. Vnde tanti senij beneficium? Simplici victu, ait historicus, & lacticinijs potissimum, sine ulla medicorum opera utebatur. Vno ac cerevisia etiam crassiore, ac lupulo infecta semper abstinuit. "Adeo natura vili & parabili sumptu in longum producit, neque alibi facilius, quam in hospitio sobrietatis seram & validam senectutem reperias. O si in nostra Bohemia plures idem dicere possent, non tot credo juvenum funera efferri videremus, plures quàm modò canitie venerandos spectaremus! Et verò quid sit, quòd in pagis & montibus plerumque frequentiores senes, quàm in urbibus reperias? In promptu causa est: *vinum non habent*, aquam, vel ut Plautinianè loquar, *poscam potitant*, de qua hoc aliquando Ingolstadiensis Academia in publicis thesibus tulit judicium: *aque potus optimus, saluberrimus.* Et hinc ego etiam existimo in hodierno Evangelico convivio alium potum non fuisse. Sed si quis aquam vino multum hodie præferre vellet, metuendum ne à populo in flumen præcipitaretur. Si enim Lycurgus Rex Thracum à suis in mare dejectus est, quòd primus aquam mero miscuerit: quanto magis qui usum vini penitus tollere vellet. Tantum est illius pretium, tantus amor! Interim tamen, an minor sit hostilitas alteri aquis, an vino mergere, vos ipsi judicate.

Drexel. ,,  
in Aloë. ,,

,,  
,,  
,,  
,,  
,,  
,,  
,,

Judith. 13.

4.

Lotich. part. 2. lib.

25.

Plaut. in Milite.

Drexel.

sup.



## DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Lingva politica falsa pectoris clavis.

Attendite à falsis. Matth: 7.

Clavis pe-  
ctorū lin-  
gva. P. Ra-  
dan Orator  
extemp.



Vriosa hominum mens, ut rerum occultissima quæq; indagine sua per- vestigare non cessat; tum vel maximè pectorum arcana scrutari fatagit. Quisque scire avet, quid in alieno lateat pectore, quæ sententia intus sedeat, quis erga se affectus, quæ cogitatio, quod studium. Sed enim, tot circa cujusque pectus pendent seræ, tot prætentantur portæ, tot coeunt valvæ, ut ne quidem subtilissimi spiritus, & cuncta aliàs penetrantes Angeli illuc sese penetrare valeant: solus & unus Deus hanc sibi laudem reservavit: *ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Ut quid igitur passim tanquam Criticus perstringitur Momus, quòd fenestram in humano corpore desiderasset? nōne id è Reipublicæ humanæ & societatis bono, nōne operæ pretium fuisset? tunc enim facile sincerus, tunc fictus pateret amicus, tum meliùs hostiles noscerentur animi, pellucere insidiæ, fraudes & doli perspicerentur, occulta transparent odia, distingverentur figmenta. Nihilominus tamen frustra ad scrutandum arcanum requiritur fenestra, dum suppetit clavis: *clavis enim pectorum lingua est*, inquit recens Orator: per quam sufficienter adyta cordis referantur, intima animi sensa recluduntur, secreta panduntur, cogitata revelan-

Jerem. 17.  
10.

tur. "Et sicut ea quæ in tenebris ab- dita sunt, celantur, donec lux affulgens ea indicet: ad eundem modum cogitationes nostræ reconduntur in loco invisibili, donec vox & loquela cunctas retegat, inquit Philo Iudæus. Prisci sæculi hæc fuit benignitas, ut facilis esset expectoratio; omnia cordialiter agebantur, & dicebantur, hinc Tullius: *credendum est, veteribus & priscis, ut ajunt, viris. At heu pietas! heu prisca fides!* ubi nunc invenienda es? quis modò est, qui sincerè suum pectus pandere, qui ex corde loqui velit?

Lib. quod  
desur pot.  
inf.

Cic. qq.  
Acad.

*Annis mille jam peractis  
Nulla fides est in pactis,  
Mel in ore, verba lactis,  
Fel in corde, frans in factis.*

Aliæ hoc tempore excogitatae sunt pectorum claves, & quidem falsæ, de quibus nunc agendum.

Inter cetera humanæ calliditatis inventa, mirabilis quidam literarum scribendarum modus adinventus est, juxta quem omnia contraria & contradictoria receptæ verborum significationi scribi possint; ita ut epistola, non intelligatur nisi ab eo, qui illius, ut vocant, *clavem* novit. Sic aliquis cum videbitur laudari, maximè vituperabitur, & ex verbis virtutes notantibus, pessima legentur vitia. Extat talis epistolæ paradigma apud Henricum

Spondan. cum Spondanum ad annum Christi  
 a. 1499. n. 1499, ex Trithemij steganographia  
 10. Trithē. (quem à Magia vindicat) datæ ad Vi-  
 steganogr. giliū, estque hujusmodi: *Latorem*  
 6. 17. l. 1. presentium ad te mitto, *Vigili amanti-*  
*me, hominem profectò cunctis adornatum*  
*virtutibus, omnibus eruditissimum, in*  
*scripturis estimatum, tantæque venustate*  
*morum redimitum, quod vix illi similem*  
*aliquando his oculis vidisse memini. Opti-*  
*imum Mathematicum, Philosophum acu-*  
*tissimum, literatissimis viris comparan-*  
*dum, sapientiâ et studio omnes Tevtonicos*  
*exercitatissimos transcendentem. Vnde*  
*dignus est nobis meritò visus laudabilis li-*  
*teratorum virorum, omniumq; honorum*  
*excipiendus: quippe nobilis et literatissi-*  
*mus, qui omnibus queat utilis esse in tra-*  
*dendis varijs doctrinis rerum miranda-*  
*rum. En quis hic aliquid vituperij la-*  
*tere putaret? quis non in optima for-*  
*ma laudatum hunc hominem crederet?*  
*& tamen sensus epistolæ est iste:*  
*Cave istum, quia homo malus est, & de*  
*nullo bene loquitur. Hanc artem licet in*  
*sensu physico perpauca; in sensu certè*  
*moralì quàm plurimi hodie nove-*  
*runt: sciunt enim acuto, & celeri lin-*  
*gviæ suæ calamo, ita interna cordis sen-*  
*sa scribere, ut in amico sermone occul-*  
*tent odia, in encomijs convitia, in of-*  
*ficijs officias, in foederibus technas, in*  
*fide perfidiam, in pace bellum. Hero-*  
*dianæ hic stylus curiæ est, quem non-*  
*parùm hoc ævo expolivit politicorum*  
*peffimus Machiavellus, è cujus schola*

similia ferè in aulis teruntur præcepta:  
*nullum tibi ex animo amicum existimes,*  
*neque tu sis ulli: ita tamen comis & blan-*  
*dus esto singulis, perinde quasi neminem*  
*non ames: saluta blande, complectere per-*  
*amanter, cede viam. Honoris & amoris*  
*titulos repete; lauda affatim, pollicere*  
*largiter; promissis stare rusticorum puta.*  
 Item: *fraus necessaria est omnibus, qui-*  
*cunque ex parvis iniurijs crescere conan-*  
*tur: quæ tantò minùs turpis est, quanto*  
*quis magis illam poterit occultare, & ho-*  
*nesto aliquo prætextu tegere.*

Herodem hic versatissimum, & ver-  
 sutissimum reminiscamini. Inaudie-  
 rat quidpiam à Magis de recens nato  
 Iudæorum Rege, mox (ut in pejus sem-  
 per suspiciosa est ambitio) quasi de  
 sceptro suo ageretur, turbati animis,  
 convocare Scribas, consulere Legis-  
 Doctores, sciscitari, ubi Christus nasce-  
 retur. Cùmque ex scripturis locum  
 didicisset, destinatam ei eadem officio-  
 sâ adoratione tecturus, cùm inveneritis,  
 inquit ad Magos, *renuntiate mihi, ut &*  
*ego veniens adorem eum.* Quis Dyna-  
 starum illorum non sincerè locutum  
 putasset, visâ præfertim tantâ ejus reli-  
 gione, sacrarum scripturarum fide, &  
 reverentiâ, hospitalitate, comitate,  
 autoritate? Sed non noverant, nec in-  
 telligebant, illius loquendi *clavim*, in-  
 tellexit autem Angelus, qui eos in so-  
 mnis monuit, *ne redirent ad Herodem.*  
 Clavis illa non erat lingua, sed fel; lo-  
 quebatur enim non ex pectore; sed ex  
 vesica fellis.

Rem miram narrant Indici annales  
 de P. Rocho Gonzalez Societatis I E S V  
 illustri Martyre, qui cùm in Paraquaria  
 crude-

Machiav.  
 l. 2. disp. de  
 rep. c. 13.

Rho var.

hist. l. 6. c.  
 5. §. 16. No-  
 fra.

crudeliter à Barbaris lapideâ clavâ jam confectus jaceret, jamque

Bencius de  
s. Martyr.

l. 5.

caput ex humero male fultum utroque pependit,

voces aliquas iram divinam denunci-  
antes ex corde proferre auditus est, ut  
Barbari attoniti dicerent: *impostor hic  
adhucne loquitur?* nihilo tamen prodigi-  
o tanto mitiores, cor illud sincerissim-  
um & charitate plenum, evulsum &  
jaculo transfixum in rogam injecere;  
sed nullo crudelitatis emolumento:  
non enim amburi potuit, consumpto  
quantum extabat calami, quia simile,  
ut norunt Philosophi, non agit in simile.  
Grande isthoc prodigium fuit; verum  
nescio, an non sit grandius, audire  
quempiam hac tempestate ex corde lo-  
quentem. Plurimi cum Herode lo-  
quuntur ex felle, quorum os, ut ait

Psal. 10. 7.  
13. 3.

Psalmista, *plenum est amaritudine.* Vel  
certè meras loquuntur vulpes, quia, ut  
Satyricus:

Persius  
Sat. 1.

*Astutam vapido servant sub pectore  
vulpem.*

Luc. 13. 31.

Sic alterum Herodem Christus proge-  
niem vulpinam appellare non dubita-  
vit, cum Phariseis monentibus: *exi &  
vade hinc, quia Herodes vult te occidere,*  
respondit: *ite, & dicite vulpi illi, &c.*  
Habet hoc proprium vulpes, quòd  
cum maxime blandiri putatur, nocere  
cogitet. Talis quoque vulpes Antio-  
chus Epiphanes, qui ad Hierosolymæ-  
os Quæstorem mittens, *locutus est ad  
eos verba pacifica in dolo, & crediderunt  
ei. Et irruit super civitatem repente, &  
percussit eam plagâ magnâ, & perdidit*

1. Machab.  
1.

populum multum ex Israël. Talis vul-  
pes Alcimus, quem cum Iudæi sincere  
& ex corde locutum putarent, dicen-  
tes: *homo Sacerdos de semine Aaron ve-  
nit, non decipiet nos*, præsertim cum eis  
juraverit; *non inferemus vobis malum,  
neque amicis vestris.* At ille perjurus ac  
perfidus comprehendit ex eis sexaginta  
viros, & occidit in una die, secundum  
verbum quod scriptum est: *Carnes San-  
ctorum tuorum, & sanguinem ipsorum  
effuderunt in circuitu Jerusalem, & non  
erat, qui sepeliret.* Talis in Germania  
Hatto Archiepiscopus Moguntinus.  
Svasserat hic Alberto Comiti de Bam-  
berga (qui Conradum Franconem Du-  
cem Ludovici III. Imperatoris fratrem  
oppresserat) svasit inquam, ad placan-  
dum Imperatorem descenderet, se me-  
diatorem ad reconciliationem ineun-  
dam fore, & interposito etiam jura-  
mento Albertum incolumem reductu-  
rum. Iam iter ingressis, Hatto ut Al-  
bertum incolumem in arcem ex pacto  
reduceret, conversus ad illum: non  
fatis, inquit, nobis prudenter consuli-  
mus, qui impransi descendimus in ca-  
stra, quin redimus ad jentandum. Al-  
bertus nihil dolosi suspicatus, facile as-  
sentit, & redijt cum illo. Vbi veniunt  
in castra, abreptum jussit Imperator  
gladio feriri. Archiepiscopus ubi pro-  
ditionem perfecit, se ex oculis moritu-  
ri subduxit. Nec inferior his omnibus  
Cæsar Borgia, qui nimiâ regnandi li-  
bidine stimulatus, cum Gvidobaldî  
Ducis Metaurensium, cui inhiabat, ter-  
ram, aperto Marte petere non auderet,  
neque Venetos, ut ditione ipsum pa-  
triâ pelleret, permissuros arbitraretur;  
sed

1. Machab.  
7. 14.

Cranzius  
l. 2. Me-  
trop. c. 25.

Gvicciard.  
lib. 5.

sed nec haberet ullam suscipiendi belli causam ( Gvidobaldo omnibus in Patrem suum obsequijs, in se officijs gratiosissimè functo ) bellum se Camertibus inferre simulavit, ut ad fines Vrbinatum, quâ iter faciendum erat, citra Gvidobaldi sinistram suspicionem, velut aliò tendens, cum exercitu accederet. Atque ut se bono in illum animo esse magis declararet, suisque eum opibus simul exueret, auxiliares ad id bellum copias pro amicitia jure postulat. Quibus à Gvidobaldo facilè impetratis, & missis, repente hostili impetu in eas irruit, magnâque celeritate Vrbinum Ducis sedem contendit, parùmque aberat, quin ipsum Gvidobaldum potestatis suæ faceret, & captivum abduceret. O vulpem millies ipsam capi dignam! si enim à Sponso capi jubentur vulpeculæ, quæ demoliuntur vineas, quantò magis, quæ demoliuntur & supplantant homines. Deus certè vehementer eas abominatur; nam abominatio Domini cogitationes mala, inquit Sapiens: hoc est, interprete Salazar, Deus vehementi odio prosequitur dolos & insidias, quas ad proximorum perniciem impij assumunt; malitia quippe & dolus sunt planè synonyma, & idcirco filio doloso nihil erit boni, vel ut Syrus; viro fraudulento non erit bonum.

Disceptatur etiamnum inter Eruditos, quænam lingua omnium princeps fuerit. Communis sententia docet fuisse Hebraicam sive Iudaicam: non defuit tamen, qui Germanicæ, sive Belgicæ primatum attribueret, probans id ex nomine Adam, Adam

enim, inquit, dictus est quasi Aithem/ quod Germanis spiritum significat, & in Genesi legitur Deus inspirasse in faciem primi hominis spiraculum vite. Ingeniosa magis, quàm vera probatio. Nihilominus si primorum hominum, & Patriarcharum, qualis Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, &c. sinceritatem attendamus, deprehendemus eos magis Germanos fuisse, quàm Hebræos. Germanum enim & sincerum esse olim putabantur synonyma; nec aliunde etymon suum trahit Germania, quàm quòd ejus populi omnes inter se perinde atque Fratres pares existerent, tum corporum dispositione, tum moribus, ac vivendi ritibus, ut ait Aubanus. At hodie vice versa ipsi Nostrates multi sunt Hebræi; excellenter enim callent linguam Iudaicam, illam nempe linguam, quâ Iudas in horto Gethsemani locutus est, cum proditoriè Christum exosculans dixit: ave Rabbi. Passim audiuntur nescio quàm blandæ, & officiosæ salutationes, adgeniculationes, invitationes; sed labijs suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos, inquit Salomon. Quomodo intelligitur? quando submiserit vocem suam. hoc est, quando submissa, & delicatâ voce, velut humilis & supplex gratiam tuam captaverit, aut pro erratis veniam poposcerit. Vox enim demissa velut pudoris & humilitatis index solet esse gratiosa, & grata, qualis est virginum. Et verò plerumque simulatores, ut nequitiam tegant, solent compositâ & exquisitâ quadam verborum mollitie, & blanditie uti, ita ut ex ipso loquendi modo appareat sermo-

Prov. 15. 26

Ibid. 14. 15.

Gen. 2.

Auban. 1.

3. c. 12.

Proverb.

26. 24.

„ Cornel. à

„ lap. hoc

„ loco.

sermonem esse fucatum. Hocque censetur Politicum esse, quos tamen *augustissimo hoc nomine indignos* censet historiographus Lovaniensis; \* imò, inquit, *gnathones sunt & ardeliones, in civili conversatione gratiosi, moribus omnium accommodi, horarum omnium amici, urbani scurra, versuti & versipelles, qui ut tempori serviant, polypi ingenium induunt, & ut decipiant, non raro vultum mutant. Eorum summa doctrina est, simulare & dissimulare, verba dare cautè, pugnare dolosè, blanditijs certare, interim insidias struere. Machiavellistæ hi appellantur, ut nimirum infami nomine sint famosi, & ex nequitia gloriam colligant. Per quos effectum est hodie, ut exosum pene politici sit nomen, nec satis vir bonus habeatur, qui politicus. Ita ille.*

Est & hæc curiosa quæstio: quânam lingvâ serpens Evæ locutus fuerit? Non deerant, qui Gallicâ locutum putârint, quòd hæc ceteris svavior, gratior, & ad persuadendum censeatur efficacior. Vt ut se res habuerit, certum est blandissimo aliquo & mollissimo loquendi modo usum, quo mollem aliâs feminam facilè cepit, & de-

cepit. Et quid blandius, quid familiarius dici poterat, quàm: *cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradysi?* An fortè ne in aliquo lignorum comedatis mortem? sed metum inanem mittite, nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Discientes bonum & malum. Interim miseri protoplasti, dum tam facilem callido Cæcodæmoni aurem præbuerunt, non tantùm Dij facti non sunt, sed vix homines remanserunt, luculentùmque in capite vulnus acceperunt, quòd etiam in omnes posteros suos (exceptâ Virgine Sanctissimâ) transmiserunt, ut idcirco capita nostra sacramentaliter ablui, oleoque ungi sit necesse, quòd perfanentur. Nota occantatur paræmia: *fide, sed cui vide.* Nocet nimium esse confidentem, & credulum: delictu magno in amicis opus; namque

*Melopepones amici  
Nunc temporis videntur,  
Sunt plurimi probandi  
Vi unus approbetur.*

Attendite à falsis.



DOMI-

## DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

ALLOCVTIO II.

Mundi dulcedo in spinis.

*Colligunt de tribulis ficus. Matth: 7.*

Ecdum inter Doctores definita est controversia; cujusnam speciei fatalis illa universo generi humano arbor fuerit, quæ Protoparentibus tantam inducere potuit orexin, ut non obstante severissimo Dei præcepto, fructus ejus carpere & gustare attentaverint. Sunt qui docent fuisse vitem, cuius vinum non homines duntaxat, sed & ipsum Deum latificat. Alij Pyrum; Prunum alij divinant. Tostatus probabilius Malum opinatur, nixus illo textu Cantici: *sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*, videlicet Eva. Theodoretus, & cum eo plurimi, indubitanter ficum fuisse asserunt: statim enim, inquirunt, ab esu pomi nudum te videns Adam, ex folijs ficus vestem sibi confuit, eaque haud dubie de proxima & vicinissima arbore carpsit: atqui nulla erat vicinior, quam de qua jamjam comederat; illa ergo ficus fuit. In Theodoreti sententiam non manibus modo, sed & pedibus lubens transeo: ficum enim inter omnes arbuteos foetus tanta est suavitas & dulcedo, ut nihil eis dulcius; tanta edendi tentatio, ut inconstantem cadat virum. Veteres jam olim tanti fecere ficus, ut auro prætulerint, quemadmodum Hipponax Poë-

ta innuit, dum Iambo suo ita ludit:

*Si quis domi recomlat auri plurimum, Pierius.  
Ficusq; paucas, comparetq; servulos  
Duosve, tresve; judicabit illico  
Auro domi præstare ficum plurimo.*

Artaxerxes junioris Cyri frater, cum aliquando in fuga paucas ficus inopiâ alimenti gustasset, indoluisse fertur ob regalem luxum tantæ se voluptatis tamdiu expertem vixisse. Transalpinus quidam † in Italiam veniens, cum † Apud nunquam antè ficus recentes vidisset, Cornel. a utprimùm ori admovit, bursas melle Lapid. in plenas appellavit; cui concinit Poëta, Hier. c. 24. Passeratius:

*Ficus habet lactis nivei, rutilique saporem  
Mellis, & ambrosia similes cum ne-  
ctare succos.*

Cato Carthaginem, ob Africanas ficus Athen. l. 5. ceteris dulciores, Senatui Romano de- c. 3. lendam persuasit. Athenienses, alioqui sapientissimi, non erubescerant agricolis blandiri, ut ab eis ficus præcoquas obtinerent, quod Rustici in proverbium verterunt, ut commodi spe adulantem ficum petere dicerent. † † V. apud Sed sicut primis parentibus ficus nimi- Erasmus um spinosa fuit, (Spinis enim & meros proverb. fi- tribulos in ea comederunt) ita hodie, cum petit.

ff ficeta

V. Pereriu  
inc. 3. Gen.  
Iudic. 9. 13.

ficeta hujus mundi mera esse senticeta comprobabo.

†FicusHebræis **פִּיגְוִי** pag, à radice **פִּיגְוִי** panac, deliciat<sup>9</sup> est.

Si etymon *ficus* investigare volumus, sincerissimum meo iudicio dabunt Hebræi, qui illud à *delicijs* derivant, † quasi *ficus* & *delicia* sint synonyma. Quid ergo aliud nisi ficus quæsit Salomon, cum dixit in corde suo: *vadam, & affluam delicijs, & fruam bonis?* vel, ut Chaldaeus vertit: *eja probabo me in delicijs, & vivens voluptatibus fruam;* vel, ut Complutensis: *videbo bona seculi hujus, hoc est gustabo;* visus enim quia sensuum nobilissimus, sæpe pro gustu & quovis sensu accipitur, ut in Psalmo: *gustate & videte, id est sapite.*

I.

Delicia  
Visus.

\* 3. Reg. 9.  
10.  
V. 3. Reg. c.  
7. per totū.

Gustavit ea primò oculis; fatetur enim; *omnia, qua desideraverunt oculi mei, non negavi eis.* \* *Edificavit quodcunque ei placuit, ut edificaret in Jerusalem, & in Libano, & in terra potestatis sua.* Edificavit Regiam sumptu magnificentissimo tredecim annis: domum saltus Libani; aliam item filia Pharaonis, quam in sponsam acceperrat, & innumera præterea palatia omnia aspectu pulcherrima,

Ovid. 2.  
Metam.

- - *sublimibus alta columnis,  
Clara micante auro, & flammis imitante pyropo,*

qualem Solis Regiam describit Ovidius. Videre erat in marmore cælata Praxitelis opera, vermiculata in gypso Dædali artificia, tessellata in cedro Polycteti laquearia, prostantia hinc inde Phidias miracula, Ægyptias pyramides. Videre erat in parietibus aulæ Babylonica, Chaldaica peristromata, Serum texturas, Phrygum labores, At-

tali tapetia, Parrhasij cortinas. Videre erat stratum per mensas ostrum, purpurata sedilia. Videre erat thronum ex ebore grandem, & vestitum auro fulvo nimis. Nec deerant curiositati pascendæ amphitheatralia spectacula, Cyrcenses & Olympici ludi, gymnica & scenica certamina, hastiludia & interludia, comædiæ & mimi. Denique quidquid rarum & pretiosum uspiam, reperiri potuit, Salomonis oculis adduci debuit: *siquidem naves ejus ibant in Tharsis, & deferabant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pavos.*

\* *Adducbantur etiam equi præstantissimi de Ægypto, cunctisque regionibus,* quorum in stabulis continuè aiebantur quadraginta millia, curruum verò & rhedarum duodecim millia. Quid quòd Lorinus noster supputet; horum omnium, quæ in omni vita sua Salomon habuit, summam fuisse: ter mille nongentos ac tres milliones, & septingenta sexaginta quinq; millia, & nonaginta viginti quatuor scutorum motæ Romanæ argenti: quibus si addamus mille quadringenta quadraginta auri talenta per triginta sex annos multiplicata, erunt quater mille sexcenti octoginta sex milliones, ducenta triginta tria millia, centum viginti quatuor. Præter hæc verò magnam valde aliam summam habebat ex alijs multis rebus collectam, quarum iniri summa non potest, ut ex vestigalibus, negotiationibus, muneribus, qualem & quantum nullus unquam Monarcha & Respublica habuit. Et quid tandem tantorum bonorum possessori profuit, nisi, quod ipse fatetur, ut cerneret ea, *Eccl. 5.*  
oculis

2. Paral. 9.  
21.

\* Ibid. 7.  
28.

oculis suis? Quid porrò in eis vidit? *vidi, ait, vanitatem & afflictionem spiritus; vidi & expertus sum meras spinas & tribulos; vel, ut alij legunt, meram sollicitudinem, contritionem, molestiam.* Si enim, Magno Gregorio teste, *divitiæ spine sunt, quia cogitationum suarum punctiõibus mentem lacerant, quantis eum puncturis obnoxium esse non oportuit, ut tantæ oculorum concupiscentiæ, ac desiderio satisfaceret; quibus non lacerari curis, ut concepta effectui daret; quàm insomnes ducere noctes, ut parta conservaret; nunquam enim nisi expertus dixisset: saturitas divitis non sinit eum dormire.* Et ubi sunt modò illa omnia? ubi tua illa ô Salomon domus? ubi thronus eburneus? ubi palatia? ubi tam immensæ opes? quid habes de universo labore tuo? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas! Transierunt omnia. Iam nec parietinæ supersunt;*

Balde od.  
de vanit.  
mund.

*Ubi steterè Pergama,  
Nunc fluctuant arista.*

Isa. 34. 13.

aut veriùs germinant spinæ, quod vaticinatus est Propheta, qui dixit: *orientur in domibus ejus spina & urtica, & paliurus in munitionibus ejus. Collige nunc de tribulis ficus; pasce & recrea oculos in dumetis, quæ tibi sevisti.*

Amb. l. 3.  
hexa. c. 11.

Præclare dixit D. Ambrosius: *irrutiles homo licet splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, polleas licet magnis opibus, semper tibi spina proxima est, semper inferiora tua respice, super spinas germinas.* Agnovit hoc potentissimus Hispaniarum Monarcha Philippus, cum moribundus dicebat: *nihil prodest*

*Regem fuisse, nisi quòd in morte cruciet fuisse.* Agnovit Robertus Cardinalis Bellarminus, qui Purpuram sibi gratulantibus, respondebat: *nescitis, quanta sub hac purpura lateant spina.* Sed ab oculis ad aures.

II.  
Auditus.

Gustavit præterea Salomon Mundanas ficos ac delicias auribus, dum fecit sibi & comparavit quàm plurimos Cantores & Cantatrices, sive, ut Pagninus, *omnis generis instrumenta musica, quibus aula ejus assiduè personabat.* Hic erat audire buccinis certantes Milesenos Æolidas, & Tritonas; audire erat auratâ personantes citharâ crinitos Iopas, fidibus canentes Arionas, lyram peccentes Orpheos, testudine non tam chordas quàm corda mulcentes Amphionas; audire erat crembala & cymbala; fistulas & tibias; psalteria & decachorda; tympana & tintinnabula; siftra & organa: audire erat lusciniarum æmulos puellos, Sirenibus æquales puellas, Terpandri gratissimas voces, præstantissimos deniq; toto orbe phonalcos. Quid verò ex tam deliciosa Musica sinceræ delectationis percepit? *vidi, rursus ait, vanitatem & afflictionem spiritus.* Nam, ut bene Poëta:

*Enervant animos cithara, cantusque, Ovid. de  
lyrag. remed. a-  
Et vox, & numeris brachia mota mor.  
suis.*

nihilque sunt nisi aculei, vepres & spinæ animam vulnerantes, teste Hieronymo, qui Gaudentium Monachum ad Gaudet. monet, *vocis dulcedines per aures animam vulnerantes fugiat: & Furæ mandat, ut fidicinas, psalterias & istiusmodi Furiam.*

Ff 2 chorum



chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturbet ex adibus suis. Plerumque enim profani & muliebres ejusmodi cantus ad lasciviam incitant, & quod ait Nyssenus, *secum sumunt, & deducunt ad vitium*; ut proinde non minùs depravatam Salomonis cor existimem per cantores & cantatrices, quàm per meretrices. Quid quòd ipse alibi agnoverit, & dixerit: *favus distillans labia meretricis, & novissima illius acuta?* quasi dixisset: *svavis quidem & instar mellis ac ficus dulcis est meretricis & amatorius cantus; sed qui post se in animo non relinquit nisi aculeum & spinam; ut taceam quòd Musica quantumvis laudatissima aliud non sit, quàm sonus aërem verberans; qui simul ubi sonuit, transijt, ac evanuit; uno verbo vanitas.*

Prov. 5.3.

III. Gustus.

Plant. in captiv.

Gustavit tertio, imò, ut Hebræa phrasi utar, *voravit* delicias & fucus mundanas gustu. *Dij immortales! (licet in materia pingvi Plautissare) quanta hinc pecoribus quotidie pestis!*

*Quanta sumini absumendo! quanta bobus calamitas!*

*Quanta lanys lassitudo! quanta forcarijs,*

*& coquinarijs! quorum ingentes exercitus fuisse necesse est, siquidem, ut*

3. Reg. 4.23 *Scriptura testatur; erat cibus Salomonis per dies singulos triginta cori simile, & sexaginta cori farina, decem boves pingves, & viginti boves pascuales, & centum arietes, excepta venatione coryorum, caprearum, atque bubalorum, & avium alijum.*

Ambr. de Elia & jejun. c. 8. *Vacabat fumo (verbis utor Ambrosij) non coquina; sed carnificina. Pu-*

*tares pralium geri, non prandium curari; ita sanguine omnia natabant. Nihil ad hæc tua Opsodædale Apici convivia & embammata, nihil tuæ Antoni cænæ, nihil tui Carane † singuli singulis convivis appositi apri, nihil vestra Romaniani in comestando gloria; nihil Persici apparatus, nihil patinæ Vitellianæ, nihil mensæ Heliogabali, qui nunquam minùs centum sestertijs epulatus legitur; nihil Epulonis prandia, qui epulabatur quotidie splendide: nihil, inquam, ista ad lautitias Salomonicas, cujus gulæ & gustui verè angustus erat totus orbis. Non hic deerant mensis Pa-*

*vi è Samo, attagen Ionicus, \* grues Melicæ, gallinæ Numidicæ, aves ex Africa, hædi ex Ambracia, Phasianorum, cerebella, lingvæ Phanicopterum; non deerant è freto Carpathio Scari, murenæ Tartessia, thynni Tyrij, Cenchæ Pelorinæ, angillæ Benaci, Anthia maris rubri, Allosæ Tyberis, Lucrina conchylia, Rhombi Adriatici, Salmones Aquitanici; non deerant Adorea bellaria, nuces Ponticæ, pruna Damascena, pyra amerina, poma Phaliscorum, Petragoricorum castaneæ, Capuæ pepones, melones Ostienses, Ebofiæ saccharum, Circellarum lactuca, Ravennæ asparagi, Ægyptium acetum, oleum Venafra-num, placentæ Picientinæ, Lunenses casei, lac Sallinæ, sal Tragaseus. Quid dicam de vinis? de quibus ipse Salomon ita gloriatur: *côacervavi mihi scyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda.* Non illi Palæstina, quamvis oppidò præstantia, sufficiebant: sed totas vineas è peregrinis & longè petitis vitibus plantatas habebat, quales sunt Africa-*

† V. de hoc Carano Athenæum & Lipsi.

\* Horat. e. pod. od. 2.

Cibi delicati, de quibus V. offic. Text. l. 4. c. 92.

na, quæ teste Plinio, tantas ferunt uvas,  
*Plin. l. 14. c. 11* ut magnitudinem infantium puerorum  
 exuperent; quales Falernæ & Italica, botrorum bipedalium feraces apud  
*Strab. l. 2. c. 11.* Strabonem. Fervebat in pateris Chitum, spumabat in poculis Massicum, rubebat in crystallo Lesbium, flavescebat in vitro Malvaticum, nigrescebat in cratere Hispanicum; vidisses, ut  
*Amb. de E. c. 13.* Ambrosius loquitur, poculorum diversorum ordines velut aciem ordinatam, vasa exposita aurea & argentea, smaragdina, crystallina, murrhina. \* Pocillatores ex utroque sexu delectos & eximios sine numero. Et quid tandem ô Salomon in tot lautitijs, cupedijs & ficubus gustasti? Vidi & gustavi vanitatem & afflictionem spiritus. Comedi meras spinas & tribulos. Siccine tribulos in dulcedine? vepres in delicijs? Ita planè: quemadmodum enim acuti vepres, inquit  
*Chryso. hom. 45. in Matth.* os aureum, utcunque capiuntur, manus cruentant; eodem modo gustus delicia manibus, pedibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officium: steriles etiam sunt, nullum quemadmodum vepres fructum producentes, ac multò magis, quam cetera penè omnia hominem conficiunt. Delicijs enim senectus citius surrepit, delicijs sensus obtunduntur, delicijs cogitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, corpus dissolvitur; imò una morborum causa, teste Antiphane Delio Medico, est ciborum varietas. Quid quòd multitudine ferculorum sua in singulis dulcedo, palatùmque hebetatur? Notavit hoc Clemens Alexandrinus, dum dixit: corruptus & constupratus est gustus, misera & infausta quadam condendi arte, & inani in faciendis bellarijs ar-

tificio. Nec sine mysterio sedem gustus natura in cuspide lingvæ posuit, quasi hoc ipso docere vellet, cupidatam esse omnem, quæ è gustu petitur voluptatem, qualis fuit Ionathæ, cum gustans gustavit paululum mellis in stermitate virgæ; ut nimirum, quod eruditè non nemo \* notavit, dum mel percipitur, cuspis infigatur.

Et quid jam de odoratùs delicijs dicam? Non minùs hic Salomonem, Saùle deliciosum puto, qui suas habuit & ipse, & quidem longè majori copiâ unguentarias, ac pigmentarias. Inprimis vestes ejus totæ unguentis redolebant, ut Pater ejus David in epithalamio ipsi composito canit: gutta & casia à vestimentis tuis. Caput & cincinnati sudantes nardo pistico, & pulvere respersi pigmentario, gene illius sicut areole aromatum; manus & digiti distillantes myrrham primam, pedes, calcei, & vestigia balsamo rorantia, ut proinde Sponsæ ejus & adolescentulæ totæ cupiverint fieri nasus, cum dicebant: trabe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum; sicut ille Fabullus apud Catullum, ad quem sunt hi versus:

Unguentum dabo, quod mea puella  
 Donarunt, Veneres, Cupidineſque,  
 Quod postquam olfacies, Deos rogabis,  
 Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Adhæc fumabant assiduè atria odoribus Arabicis, cubilia & lecti balanum & amomum halabant, stacte, storax, galbanus ubiq; vaporabant; cinnama & ligna balsamina in focis flagrant & fragrant; ut taceam deliciosissimos hortos, seu veriùs paradisos, in quibus

\* Franc. Mendoz in l. 1. Reg.

c. 6. n. 3. I V. Odoratùs.

1. Reg. 8. 13.

Psal. 44.

Cant. 7.

Catull. hex. de 6. 13.

quibus tanta florum, herbarum, & arborum odoriferarum erat copia, ut aura illic tota non esset, nisi suavissima odorum mixtio, longè gratior ac jucundior eâ, quam Romani in Circis & amphitheatris per tubos artificiosè super spectatores efflabant.

Sed dic age, sodes ô Salomon, quid fructus è tot odoribus percepisti? *vidi & percepi meram vanitatem & afflictionem spiritus.* Pupugisti credo nasum tuum, ut pungi solent, qui olfactoriola juncos & aciculas celantia accipiunt. Nec alia fallax Mundus sui sectatoribus porrigere solet, ipsiusque ungere, pungere est. *Nihil enim immundius, adeoque nihil compunctius est animâ, quoties corpus talem habet fragrantiam. Cùm enim Diabolus aggressus delicijs eviraverit animam, tum in corpore sua corruptionis lectum oblitit unguentis,* ait D. Chrysostomus. Et sicut spinæ ac vepres ad nihil sunt utiles, ita jus civile unguenta & odores vocat *rem mortuam*, hoc est inutilem, sic enim in Pandectis sancit: *si maritus pecuniam uxori in unguenta dederit, eique eam pecuniam creditori suo solverit, mox ea de sua pecunia unguenta emerit, non videri locupletiore factam. Et si lancem ob eandem causam ei dederit, eaque lancem retinuerit, de sua autem pecunia unguenta emerit, vindicationem cessare, quia non est locupletior, quæ tantundem in re mortua impendit.* Sic Græci mortuos *ἀνεμῶν* quasi ad nihil utiles appellabant; \* & Plautus *mortualia*, pro rebus inanibus usurpat. Et potestne, quæso, major esse inanitas & vanitas, quàm fumos & vapores in pretio habere, qui auræ exiguæ flatu

avehantur & dissipantur? in quo etiam non parùm arguit unus aliquis \* opulentum Galliæ civem, qui cùm dynastam præcipuum in suam domum induceret, totum impluvium odoribus compleri, totumque aërem suffitu pretiosissimo ad exigui temporis durationem imbui curavit, ut Princeps ille in transitu olfactum recrearet. Quatuor aureorum millia in hoc expensâ. *O mortualia! ô vanitas! ô quantum est in rebus inane!*

Ultimus sensuum sese obijcit *Tactus*, in quo quantopere deliciatus sit Salomon, facillè quisque colligere poterit, qui in Regum factis legerit: *fuerunt ei uxores quasi Regina septingentæ, & concubina trecentæ.* Proh quanta tribulorum copia! si enim una uxor, Apostolo teste, sat magna est tribulatio (ait enim de conjugibus: *tribulationem carnis habebunt hujusmodi*) quid tantus uxorum numerus? Et si meretrices ac concubinæ Comici judicio \* *senticibus sunt similes*, quanta tibi senticeta, in quibus volutareris, ô miser Salomon, non coacervasti! Quid jam in te sanum ac integrum esse potest? *etenim quasi clavis & cuspidibus quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus, tuncque tribulos & spinas animo caro generat,* ait Præsul Mediolanensis. Factus es totus livor & plaga tumens, qui alijs medebaris; & nunc quis medebitur tui? excæcatus es mortalium oculatissime, ut qui tot sudas ac paliuros tibi in oculos infixisti! Quid enim mulieres alienigenas adamasti? Nonne sapius Iosue textum legeras monentis: *si volueritis cum gentibus miscere connubia, atque amicitias*

Chrysof.  
hom. 1. de  
Lazaro.

ff de donat.  
int. vir. &  
ux. l. 7. §.  
si maritus.

Plutarch.  
Plaut. Tri-  
num.

\* Cresoll.  
mystag. l. 4.  
c. 8. sect. 2.

V.  
Tactus.

3. Reg. 11. 3.

1. Cor. 7. 28.

\* Plaut. in  
Trucul.

Iosue 23. 15.

*citias copulare, erunt vobis sudes in oculis vestris. O Salomon, Salomon, quò te miseriarum tua deduxit lascivia! quanto tibi dolore stetit peritura voluptas! adeò ut de salute animæ tuæ passim dubitetur. Si modò tibi reditus ad vitam pateret, num sic denuò luberet deliciari? existimo equidem, quòd sacco pro purpura indueres; eremum, vel pauper aliquod cænobium pro palatio tibi deligeres; pro eburneo throno nudam humum; pro Musica lachrymas & singultus; pro convivij jejunia; pro odoribus foetores; pro amplexibus & osculis flagella & cilicia; milliesque ac millies repeteres: vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum, & illi soli servire.*

Et ut ad vos AA. mea sese aliquando convertat dictio, omnes & singulos, quâ possum charitate hortor in Domino, ne colligatis de tribulis ficus, ne sensuum delicias coelestibus & spiritualibus præponatis, sive ne velit in eorum numero censerì, qui esse sub sensibus delicias reputant; sensibus enim & sensibus uti idem pæne nomen, ita pungendi vis eadem: spina est omne peccatum, (cujus egregij ministri sunt sensus) quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem; ait Glossa in illud Iobi: radix juniperorum erat cibus eorum. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in specie bonorum. Sodalium, revera autem intrinsecus sunt lupi rapaces, qualis ille, de quo ita ferè in apologis suis Cyrillus; sub meridiano aestu ad canem aperto ore & inquieto pectore sui cordis refrigerium attrahentem lupus veniens dixit: ô insensate, mi-

ser, & sponte calamitati subjectus, si tantum tibi placent angustie & molestia, ut quid cum Empedocle Siculo te non projicis in fornacem? Nimirum si tantopere delectant, qua contra naturam sunt pœnalitates, expecta parùm, & in morte cuncta pœnalia reperies. Vi quid ergo in tantilla vita spretis refrigerijs ex nunc ardes? Tu in nocte, ovis quiescentibus, somnum necis: illis totà die pabulantibus, panem tantum & aquam sumis. Nocturno gelu & aestu diurno, illis spisso vellere coopertis, ac mutuo se foventibus, tu nudà pelle in aëris tempestate solus degis. Illis sine timore jacentibus, tu suspensà palpebrà hinc dentem, inde unguam in aperto vigilans pertimescis. Quanam sunt interdum delicia tua, nisi acetosum lac, intestinum foetidum, lectusque lapideus? Quid plura? infeliciores cunctis, & mundum tibi jam fecisti infernum. Surge miser, & relictis pœnis quare delicias, ut saltem, antequam vitam finias, stillicidio gustata dulcedinis delibato, experientia quid bonum sit agnoscas. Canis itaque validà hac exhortatione devictus, pro manumissione ad oviculas venit & ait: sat diu servivi vobis, & obseptus undique miserijs steti vobiscum. Vadam ergo, ut juxta lupi monita in delicijs aliquantulum requiescam. Quo audito illa gementes dixerunt: quanquam te simplices sumus, tamen rogamus, ut antiquas amicas audias, & inimico tuo in aeternum non credas. Nescis quòd callidus lupus, quem dente non deicit, arte ferit? Unde quia te rigidà vità dudum hostem acerrimum habuit, nunc per hortamenta deliciarum invadit, ut delicijs emollitum inveniat, & delicata carni inimicum dentem callidiùs insigat. An nescis, quòd deli-

licijs

Iob. 30. 7.

Ibid. v. 4.

Cyrill. apolog. moral. l. 4. c. 3.

licijs caro non solùm emollitur, sed vigor etiam animæ frangitur, vitiorum ardor acuitur, virtutum jugum curvatur, rationis splendor offuscatur? Nimirum delicia fregerunt Samsonem, virum fortissimum; subverterunt Davidem, virum sanctissimum; deceperunt Salomonem, virum sapientissimum. Igitur si delicias quaris, perniciem diligis, & in dulci flumine lethali ter vis submergi. Venenum in saccharo & ficu appetis, atq; in aternas angustias cum risu & canticis vis deduci. O non tam ovine, quàm divine dictum! quod si serio quisque recogitaret, quàm ille sensibus suis meliùs imperaret, quàm rigidior in se ipsum esset, quidquid socij & familiares contra oggarent, uti fecit Adolescens ille, de quo ita Bellarminus: "legi aliquando extitisse nobilem quendam adolescentem & delicatum, qui cum vitam valde severam arripuisset, & eo nomine ab amicis & affinibus reprehenderetur, eiq; corpusculi infirmitas & teneritudo obijceretur, sapientissimè in hunc modum respondit: ego propterea vitam istam duram arripui, quòd meæ imbecillitatis & teneritudinis optimè conscius essem. Cum enim cogitarem tam tenerum corpusculum non bene ferre posse purgatorij vel gehennæ supplicia, ego delicatus hæc minora & molliora elegi, ut illa graviora & majora evaderem. Utinam tam salubre consiliū amplexus fuisset Smyndirides ille Evangelicus! utinam didicisset sibi in hac vita haustum subtrahere; non tam crudeliter modò in Orco sitiret, non peteret guttam aquæ ad refrigerandam linguam suam! utinam, dicit alius, oculos

Bellarmin. " conc. Do- min. 4. Advent.

meos meliùs frenâssem! utinam cum lobo foedus cum illis pepigissem, ut ne cogitâssem quidem de virgine & femina, non modò tam horrida spectra, turpissimâsq; Cacodæmonum larvas pro objecto visûs haberem! Utinam, clamabit alius, aures meas sepivissem, ne lascivarum Sirenum cantus audirem; non modò tristissimos ejulatus, ah! va! heu! cogeret audire. Utinam, opprobriabit iste, nunquam mulierem oluissim, non modò intolerabiles foetores sulphuris, picis, & omne mephitis genus plenis naribus haurirem! Utinam, irrugiet non unus, utinam tactum meum ferulæ ac disciplinæ severiori subjecissem, utinam, cum Bernardo, petulantem frigido lacu compecuissem, utinam pudiciùs memetipsum tetigissem, non vociferarer modò; miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit! non cruciarer in hac flamma. Nulla hominis labia (verba refero S. Cyrilli) satis magnam vim habent, ad dicendum illorum statum atq; ploratum. Gemunt continenter & sine intermissione, sed nullus est, qui misereatur; vociferantur ex profundo; ubi hujus Mundi jaçtantia? ubi deliciae? ubi voluptas? ubi petulantia? ubi apparatus? ubi ornatus? ubi pecunia? ubi nobilitas? ubi carnis delectatio? ubi falsa illa & inutilis mulierum pulchritudo? ubi vestimentorum comptus? Versa sunt omnia in spinas, in puncturas & cruciatus; nam momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat.

Cyrrill. de exitu anim.



DOMI.

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

### Genus deliberativum explicatur.

*Quid faciam?* Luc: 16.



Amiliare est Oratoribus in principio statim dictionis de causæ suæ statu deliberare, & per figuram *dubitationis*, ut vocant, se ipsos consulere, quid faciam? quid agam? quò me vertam? Idem ego hodie usurparem, ni aliam scirem Mundi Rhetoricam, quæ, contra quam docetur in scholis, tum primùm consuevit dubitare, cùm ad finem vergit oratio. Fingunt Poëtæ convocatas ex præscripto Minervæ Scientias, iussasq; hominem definire, varios pro sui varietate de eo sensus tulisse. Dialectica inquit: *homo est breve Enthymema, quod pro antecedenti habet ortum, pro consequenti interitum.* Astrologia: *homo est quasi Luna mutabilis, quia nunquam in eodem statu permanet.* Physica: *homo est animal rationale, mortale.* Mathesis: *homo est figura Sphærica, ab eodem quo incipit puncto, in idem terminatur.* Tandem Rhetorica: *homo, ait, est oratio, cuius exordium est, nasci; narratio, dolere; epilogus, mori.* Porro orationis hujus figuræ sunt *gemitus, & fletus.* Venustè pro sua professione! sed meliùs credo dixisset, si figuram *dubitationis* apposuisset; hæc enim ita hominibus communis est, ut passim audire non sit aliud, quàm quid faciam? quid agam? quid incipiam? Sed utinam in hoc Rhetorum servarentur leges! utinam in

exordio ista occlamarentur! Alia est hodie orationis dispositio, ut videlicet tunc primùm dubitemus, cùm instat peroratio, tum consilium petamus, cùm peracta est actio. Talis tamque rudis Rhetor erat puer ille Elisei, qui cùm Samariam jam undique obsidione cinctam videret, tum primùm exclamare cœpit: *heu, heu, heu Domine mihi quid faciemus!* Talis & hodiernus villicus, qui (ut genus hoc magis agricolendis, quàm Rhetoricæ perdiscendæ idoneum est) tum primùm sibi ipsi occinit: *quid faciam?* quando Dominus ab eo aufert villicationem, officijque pro tribunali suo jam jam exigent rationem. Quare ne similis à vobis committatur error, totum genus deliberativum in uno aliquo numo docebo.

Ferdinandus Baviaræ Dux montem cudi fecerat, in qua visebatur Prudentia specie Virginis Delphino infidens, & manuum alterà bilancem tenens, subscripto hinc inde triplici lemmate: *Cognosce, elige, matura.* Virgo videbatur dicere: *Cognosce;* bilanx: *elige;* Delphinus suâ agilitate: *matura.* Optarem numum ejusmodi è collo gestaret, quisquis etiamnum secum deliberat, *quid faciam?* ut sicut Boleslaus Poloniae Rex numismatis aspectu, quod Patris referebat effigiem, in officio continebat sese, ne quid indignum tanto

6g

Patre

4. Reg. 6.  
15.

Patre aggrederetur : sic & ipse vitam ita componat suam, ne quid indignum homine ; quid dico ? Christiano, parum dico ; Academico, attente.

I.  
Cognoscendum.

Cic. l. i. offic.

Engelgrav.

p. 2. Dō:

4. Pasch:

Senec. l. de  
tranquill:

Ante omnia itaque cognoscendum est, quid de nobis ipsis statuamus. Monet hoc Christianè, quamvis Ethnicus ipse Cicero, cum libro de officijs sic loquitur. *In primis autem constituendum est, quos nos & quales esse velimus, & in quo genere vita. Quæ deliberatio est omnium difficillima: verè difficillima, quia ( ut nonnemo Recentior differit ) in eam omnes spiritus nequitiae, omnes inferni furiae, omnes tenebrarum potestates, & omnes visibiles, & invisibiles hostes, Mundus, caro, Daemon, & his omnibus longè nequiores inimici homines domestici, propinqui, ac parentes plerumque conspirant: qui omnes ut conjurati veniunt ad classis, & adolescentes de statu vitae certi quid statuere meditantur plusquam decennali errore, ut alteros Vlysses jactant, ac tandem ad Syrtes & scopulos illifos aeternae salutis naufragium facere compellunt. Duæ ranæ, ut est in fabulis, cum relicta palude solari aestu desiccata ad profundum puteum pervenissent, ibi una illarum; hinc ait, commodè manebimus: at altera; placet equidem locus, sed priusquam desiliamus, quâ ratione inde exire possimus, si quo casu puteus exiccetur, considerandum est diligenter. Videas plerosque, inquit Seneca, sine proposito vagari, qui non quæ destinaverunt agunt, sed in quæ incurrerunt; hoc est in quæ illos vel occasio, vel naturæ impetus, vel socij, pellegerunt, Incidunt*

fortè, ut levis Samson, in puellam aliquam, aut in græcantes milites, aut in cœnobium aliquod non satis disciplinatum, extemplò sine omni consideratione resolutiones faciunt, & dicunt: *hic commodè manebimus*; placet vitæ genus, placet locus, placet militia, placet persona, placet connubium. Vbi verò post aliquantum tempus, in profundo difficultatum, ærumnarum, calamitatum sese deprehenderint, ubi, uti dicimus, *herere in sicco* coeperint, tum necquicquam exitum querere, tum primùm occlamitare, quid feci? quis me malus genius ad hoc illudvè induxit? cur me demens eò angustiarum contuli? cur non meliùs consideravi? ah quid feci! Sed serò Palinodia canitur, quæ recantari non potest; frustra occlamatur, *quid feci?* ubi non tempestivè præcessit, *quid faciam?* Pulchrè iterum Tullius: *in prudentia vitandum est, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Quod vitium effugere qui volet ( omnes autem velle debent ) adhibebit ad considerandas res & tempus & diligentiam.* Sacer porrò Ethicus: *fili mi sine consilio nihil facias, & post factum non poenitebit.* Cato Romanus vir cetera probus moriturus opplorabat: *triam me poenitet; quòd arcanum alteri commiserim, quòd iter pedestre in maritimum commutarem, quòd die uno nihil serj egerim.* Similiter Constantius Imperator morti vicinus triplex ajebat à se commissum malum, cujus poeniteret: quòd generum necasset; quòd Julianum Cæsarem creasset; quòd religionem novam non repudiasset. O quot sunt etiamnum hodie

Cic. l. i. offic.

Eccli 32.  
24.

hodieque, qui ad reddendam cum villico rationem citati caput fricant, & miserabile illud pœnitent, non ter, sed centies occinunt. Quanti sunt qui lamentantur: ô utinam me nunquam pravae societati immiscuissem! utinam proborum virorum ductum & consilia secutus fuisset! utinam instinctibus divinis paruissem! Ergo, AA. si non vultis esse Phryges, hoc est, si tempestivè, non serò sapiis, jam nunc, ut iteratò monet Ferdinanda bilanx

II. Eligite. Quid illud? quod vos in articulo mortis, vel coram supremo tribunali stantes fecisse cuperetis. Est hoc S. P. N. Ignatij saluberrimum sanè consilium, qui in suis aureis bonæ electionis regulis inter cetera svadet:

S. Ignat. li. reputare mecum, si mors ingrueret, quem  
bel. Exerc. me mallet observasse modum in presenti  
spirit. heb. deliberatione. Nec minùs prospicere,  
2. in modo quando pro tribunali sistar judicandus, quo  
post. bene me consilio hac in re usum esse vellem. Quo  
eligedi reg. agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim  
3. & 4. securus. Ita faciebat Innocentius IX.

Pedag.  
Christ. tö.  
2. c. 18.

summus Pontifex, ad quem dum Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis Jesu subinde inviseret, inter familiare colloquium ab eodem in conclave interius deducitur, videtque sibi à Pontifice exhiberi abacum præstantissimum, plurimis clausum seris: thesaurum illic maximum latere putabat, & ecce referatis valvulis apparuit statua Papæ geniculantis ante sarcophagum cogitanti similis; tum Pontifex: scis Pater, me debere sapius resolvere res maximas; ne itaque sinisterior quispiam affectus transversum me rapiat, mihi statum illum præsentem.

facio, mortis scilicet, dicoque: fac nunc, quod volueris fecisse, cum in tali capsula fueris inclusus. Sed dicetis fortasse: si hanc regulam omnes, qui de statu vitæ deliberant, sequi vellent, angustos cœnobiorum & religiosarum domuum fore parietes. Si enim status religiosus status vitæ perfectioris est, juxta illud adolescenti de genere vitæ deliberanti datum à Christo responsum: si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me, nemo certè in rigidissimo illo examine non se perfectissimum optaret. Instantia non levis: eam tamen vobis, quando ita vultis, vel gratis concessero. Equidem tunc nullum majus quàm è statu Religioso expecto solatium, siquidem manifestum habeo Dei promissum: omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. In quæ verba S. Chrysostomus: impossibile, inquit, est mentiri Deum, promisit autem ille vitam æternam ista relinquentibus: reliquisti tu omnia, & abjecisti, quid igitur prohibet de hujusmodi considerare promissione, & esse securum? unde in supremo judicio syngrapham Christo exhibere potest Religiosus, & cum Rege illo Scotia liberè profiteri: Domine IESU ego feci quod jussisti, da quod promissisti. Chrysostomo suffragatur Doctor mellifluus, dum sic solatur: felix paupertas voluntaria Bern. ser. 8, omnia relinquentium, & sequentium te in Ps. 90. Domine IESU. Felix plane, qua tam securos, imò tam gloriosos faciat, in illo singulari fragore elementorum, in illo tre-

Mat. 19.

Mat. 19. 29

Chrysost. l. de provid.

Bern. ser. 8, omnia relinquentium, & sequentium te in Ps. 90.



mendo examine meritorum, in illo tanto discrimine iudiciorum. Idcirco complures summi in orbe viri & Principes morte instante aliud non optabant, quam vitam in Religione transegisse. Sic Paulus III. Pöntifex, moriens dicebat: *malem me subiecisse coco familia Capuccinorum.* Sic Leo XI: *o quam melius fuisset mihi, si Monasterij, quam si Cæli claves sustinuissem.* Sic Cardinalis Alexandrinus Pij V. nepos: *o quam nunc vellem de monasterio meo nunquam pedem movisse. Ibi mallem me hucusque coci ministrum, quam Cardinalitiâ purpurâ insignem fuisse.* Sic Conradus item Cardinalis: *utinam in villario meo (monasterio Cisterciensi) inter fratres semper scutellas abluissem.* Sic Hugo ex Ordine Prædicatorum: *malem mori leprosus in cellula olim mea, quam extra ipsam Cardinalis.* \* Sic Gregorius quidam ex Abbate Mantuano Purpuratus: *O quanto melius securiusque inter Monachos in cœnobio animam Deo reddidissim.* Sic Philippus III. Hispaniarum Rex ad P. Hieronymum à Florentia è Societate Jesu: *heu! mi Pater, quando jam felicius tecum ageretur, si illos viginti & duos annos, quibus cum potestate regia tot Regnis & Provinciis præfui, alicubi in eremo privatus exegissem! Quam satius mihi fuisset, si ignoti potius nominis Monachus, quam tantarum opum Rex decederem.* Hæc, inquam, illi optabant in morte: at plures his non inferiores voti seipos reos ante mortem fecere. S. Carolomannus Caroli Magni Patruus abdicato Regno consilia Evangelica amplexus est. Pipinus Caroli Magni filius D E O in clau-

stro servire, quam regnare maluit, quamquam *servire Deo optimè regnare est.* Lotharius Imperator majestatem Imperatoriam cum humilitate religiosa commutavit. Carolus V. invictissimus Cæsar ut securius moreretur, septris Imperialibus ac regalibus Ferdinando Fratri traditis, in cœnobium Hieronymianorum sese abdidit, iustaque funebria antequam funus fieret, sibi persolvi fecit. Bamba Rex Hispaniæ, Veremundus Rex Castellæ, Ramirus Rex Aragoniæ, Sigebertus Rex Northumbriæ, Ethelredus Rex Merciorum, Trebellius Bulgarorum, Henricus Rex Cyprî, Joannes Rex Armeniæ, Ludovicus Caroli II. Siciliæ Regis filius, singuli regias purpuras exuerunt, eligentes potius Monachi mori, quam Reges. Et Ludovicus de Ponte magni Principis filium eumque unicum fuisse scribit, cui Deus bonam illam mentem suggererat, ut contempta nobilitate, divitijsque ac delicijs, quæ Pater cum summa vitæ licentiâ offerebat, mallet Christi Servatoris castra in aliquo Religiosorum claustro sequi, fractâ hunc in modum longa Patris importunitate: *Age, mi Parens, unum subditis tuis tributum & vectigal, quod omnes debent, si potes condonare, faxo, quod postulas. Cui Pater: ecquod est illud vectigal? Moriendi, inquit, necessitas. Quod cum in sua potestate esse negaret Pater; tum Filius: si moriendi necessitate liberare non potes, cur impedis, ut ad mortem feliciter obeundam, eo loco me comparem, ubi id possim quam optimè? Hæc filij sapientissima respon-*

Ludov. de  
Ponte to. 1.  
Christ. perf.  
tract. 46.

7.

fio ita Principem movit, ut non tantum in filij susceptam Religionis ingrediendæ optimam mentem consenserit, sed & eidem voluerit esse comes ac individuus socius. Nolo hic multa in Religiosi statûs commendationem adducere, cum sufficienter vel ex hoc solo commendatum sciam, quod sit certissimum & manifestissimum beatæ prædestinationis signum. At num idcirco reprobati, qui vocationem ad Religionem seculo posthabent? Hanc ego quæstionem ex me ipso decidere nolo, sed ex sequenti, quod subiiciam, exemplo vobis ipsis decidendam relinquo. Scribit Nicolaus Lancicius eximius in asceticis Magister, mihiq̄ue in vivis haud mediocriter notus, casum cumprimis tragicum. Habui, inquit, Romæ circa annum D. 1602. nepotem Patriarchæ cujusdam Convictorem in Seminario Romano, præclaro ingenio, & omnibus naturæ dotibus eximie ornatum, annos natum 18. Is cum petijisset à me, ut eum spiritualibus S. Ignatij exercitijs excolerem, eaque cumprimis pie ac diligenter obiisset, ac in eorum sine confessionem generalem totius vitæ pulcherrimè ac syncerissimè coram me instituisset, antequam ei darem absolutionem, petijt à me, an esset peccatum non exequi vocationem Dei aliquem ad statum religiosum vocantis? Sciebam quò collimaret hæc interrogatio (dictum enim mihi erat, eum à Deo ad Societatem nostram vocari) ideo nullâ hujus factâ mentione, cautè illi sic respondi: posse quidem sine peccato vocationem ad statum Reli-

giosum non mandari executioni, quia merum Dei consilium est, & non præceptum; sed multos damnari ob id, quòd non executi sint talem vocationem, non quidem ob eam neglectam, sed ob peccata mortalia in quibus tales morituros Deus præviderat, si in seculo morarentur; & ideo ne in ijs morerentur, sed salvarentur, volebat eos abstrahere ab occasionibus proximitalium peccatorum, & ab ipsis peccatis, ac proinde ad statum religiosum, in quo forent ab ijs præservati, vocabat. Et ita huic nobili adolescenti contigit. Nam paulò post relictis in Collegio Romano studijs, perrexit ad Academiam Maceratensem Jurisprudentiæ daturus operam, ubi (ut sæpe fit) raro ad confessionem, & sacram Synaxim. accedens, socijs impura loquentibus, & liberè viventibus sese adjungens, libros lascivos legens, & quæ inde sequi solent, peccata committens, tandem cujusdam feminae amore captus est, ad quam eo incio alter socius natu major turpis commercij causâ venire solebat. Igitur dum quadam vice hic adolescens inventus esset in domo illius feminae à natu majore, is mortem ei minatus est, si amplius ad eam rediret. Contempsit ille minas, & ratus alterum non solere horis intempestivis ad illam accedere, ipse nocte intempestâ, quando nullum in domo esse putabat, eò se contulit lucente Lunâ: sed cum esset in medio itinere prope Collegium, & sub ipsis fenestris, occurrit illi alter, & suspicatus, quod res erat, hunc ad illius feminae domum properare, evaginato pugioe statim eum confodit. Confossus

miser, & in terram dejectus; altâ voce Confessarium inelamavit. Sed antequam Confessarius accurreret, jam infelicem exhalârat animam. O horrendam catastrophem! Quid tum miser ille ad tribunal divinum tam subito evocatus optaverit à se factum fuisse, vos judicate. Ergo ut securi compareatis, eligite quod optimum. Mirari se dicit Augustinus, quòd cum homines ceterâ extra se, quàm perfectissima habere cupiant, solam animi perfectionem non modò non cupiant, sed sæpe cum facillè consequi possent, negligant. *Villam emis* (verba magni Doctoris sunt) *bonam queris, uxorem ducis, bonam eligis; filios tibi vis nasci, bonos optas, caligas locas, & non vis malas, & vitam amas malam?* Septeni Græciæ Sapientes in convivio quodam rogati, quanam esset optima domus, & familia; sic quisque ordine suo sententiam dixerunt. Solon respondit: *ea mihi optima videtur domus, ubi res est neque injustè parta, neque in ea vel conservanda dissidentia, vel insumenda penitentia est locus.* Bias: *in qua Dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges.* Thales: *in qua plurimum otij Domino conceditur.* Cleobulus: *in qua plures sunt, qui diligant, quàm qui metuunt Dominum.* Pittacus: *ubi neque requiruntur supervacanea, neque desiderantur necessaria.* Chilon: *qua urbi Regi subdita similis est.* Nescio an quidquam dici potuerit sapientius. Quis non vestrum in tali domo libenter habitaret? quis non eam præ auratis palatijs sibi deligeret? quis non diceret: *hic commodè manebo; hac requies mea.*

Aug. serm.  
10. de verb.  
Dom.

Et tamen quævis Religiosa familia bene ordinata has prærogativas habet; *ubi non est meum ac tuum frigidum illud verbum, innumera gignens bella; ubi sunt omnes tanquam nihil habentes, & omnia possidentes; ubi soli Deo rebûsque divinis vacatur; ubi Superiores exemplo suo subditis præeunt in ijs, quæ ad domesticam observationem pertinent; ubi domestici amore magis, quàm timore reguntur; ubi sicut in aliqua Republica vel urbe officia & personæ sibi subordinantur; ubi ad leges & regulas examussim omnia peraguntur.*

Sed jam Delphinus suum solenne matura occidit. In negotio salutis maturandum est. hîc si ullibi valet vetus paræmia: *semper nocuit differre paratis.* hîc illud Sallustianum: *ubi consulueris maturè factò opus est.* hîc illud Aristotelicum: *celeriter deliberata peragenda sunt.* hîc illud sacri Sapientis: *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Nullus in hoc puncto Cunctator Fabius esse velit, quia si ullibi, hîc certè cunctando res perditur. *Vidisti virum velocem in opere suo?* coram Regibus stabit, inquit Salomon; si coram Regibus terræ, multò magis coram Rege, & Iudice cœlesti, ut bene annotat hîc Venerabilis Doctor, cum ita gnomen interpretatur: *quemcumque velocem videris in opere bono, quod erat ei faciendum, scito hunc in die novissimi examinis coram Apostolis, qui cum Christo mundum judicantes sedebunt, securè staturum.* At contraria est Mundi doctrina, quæ adolescentibus, & præsertim ijs, qui Religionem ingredi volunt, hæc & similia subinde obijcit axioma-

Chrysof.  
orat. de S.  
Philogonio.  
2. Cor. 6. 10.

III.  
Maturandum.

Salust. Catil.

Aristot. 6.

Eth. 6. 9.

Eccli. 5. 8.

Prov. 22.

29.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

Bedæ.

ta : statum religiosum non temerè ingrediendum esse, diu deliberandum, quod in mortem usque decernendum; expectandum, dum iudicium maturefcatur, dum prudentia crescat, dum barba mentum occupet; prius sæculum tantisper probandum; postea ubi nobismet ipsis satis indulserimus, poenitentiam agendam. Sed audite quid de hac perversa doctrina sentiat Augustinus: *quid est dicere aliud, prius sæculi delicias experiri, quam prius vulnerabor, & postea sanabor? sæculi namque delicias meras esse spinas præcedente Dominicâ patuit; imò scorpiones sunt, quemadmodum Ezechielî Prophetæ Deus ipse declaravit, dum dixit: in medio scorpionum tu habitas. Quis autem inter scorpiones versetur sine vulnere? cum affirmet naturæ scrutator: scorpionis cauda semper in ictu est, nulloq; momento meditari cessat, ne quando desit*

August. in Confess.

Ezech. 2. 6.

Plin. lib. 11. cap. 25.

*occasione.* Quis non quantocyus inde se proripiat & fugiat? Certè, ubi de salute & temporali vita servanda res agitur, diu deliberare non libet; multò minùs, ubi agitur de æterna. *Cùmque à Deo verbum esse non dubitetur (neque enim ab alio vocatio ad statum perfectiorem provenire potest) quid opus deliberatione? vocat magni consilij Angelus, quid aliena consilia præstolaris?* ait mellifluus Doctor. Et aureum os: *dum tibi fervens est hic amor, abi statim ad illos ipsos Angelos (Religiosos) & permittite mortuos sepelire mortuos suos. Ac demùm Dalmata: festina queso te, & harenti in sailo navicula funem magis præscinde, quam solve, & sic cum alios in supremo examine malè subsistere videris, exultabundus tibi poteris occidere: o quam bene feci!*

✠ (H) ✠

Bern. serm. Ecce nos reliquimus.

Chryf. ser. 57. ad popul.

Hieron. ep. 103. ad Paulin.



DOMI-

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

ALLOCVTIO II.

Humanos favores ambire, est ventos mercari.

*Facite vobis amicos de Mammona.* Luc: 16.

Instit. l. 2.  
tit. 1. de rer.  
divis.



Olaus. l. 9.

Tli juris publici deque  
comuni usu secundum  
I. C. est aer: ventos ta-  
men ac auram venalem  
esse, nihil communius. De Praestigia-  
toribus Finnis scribit Olaus, quod nul-  
lum, quam e ventis majorem quastum  
faciant; tres enim nodos loro constri-  
ctos negotiatoribus vela facturis pro  
pretio dant, quorum primus ventos  
continet placidos, alter vehementio-  
res; tertio soluto tempestates grandef-  
que Aquilone procellae excitantur.  
At Mundus pene totus ejusmodi mer-  
cibus & nodis innodatus mihi hodie  
videtur. Aura tam popularis, quam  
aulica magno passim emitur ac vendi-  
tur pretio: stat, imò mergitur munda-  
nae felicitatis navis, nisi habeat Favo-  
nium, id est ventum faventem. Vnde  
Favorinus Philosophus apud Philostratum  
inter tria mirabilia, quae de se  
praedicabat, unum numerabat, quod li-  
cet inimicus Imperatoris esset, tamen  
viveret; quasi diceret, se sine aura vi-  
vere, quia sine favore. De Aulicis  
Pius II. Pontifex ad Ducem Ferrariæ  
scribens pronuntiavit, solere eos ple-  
rumque inter *Landum & Placentiam*,  
non autem *Veronam* versus ambulare;  
hoc est, in id unum studia sua converte-  
re, quomodo placeant Principi, quo-  
modo ejus favorem eblandiantur, ab

eo laudentur, & commendentur: ve-  
ritatem contra, quodque idem est, de-  
fectus & increpationes invitissime au-  
dire, morteque graviores ducere. Sic  
Carolus VII. Rex Christianissimus Au-  
licum in paucis carum habebat, e quo  
subinde familiaris quæsit; quidnam  
esset in Mundo, quod illius cum Rege  
amicitiam posset rumpere. Ille in-  
trepidus respondit: *unicus despectus*.  
Hunc, ait, rogo ne Majestas vestra fa-  
ciat, quippe tolerando non essem.  
Vnde quam sit auræ levi humanus fa-  
vor & amicitia similis, præsentem illu-  
strabo dictione.

Aurâ nihil mutabilius, nihil incon-  
stantius. Experimur id propè quoti-  
die, dum modò tepentes ore captamus  
Zephyros, paulò post *madidis* notum  
evolare *alis* videmus; jam súdo lata-  
mur cœlo, mox inter atra versamur  
nubila. Hinc, quod de Terra Mercurius  
Trismegistus dicebat, *semen ejus*  
esse *inconstantiam*, de aura æquè, imò  
congruentius dicere potuisset.

Fabulantur veteres Inconstantiam  
Cœlo pulsam ad terras sese recepisse.  
Quam dum aliquando sui ad vivum  
expingendæ desiderium incessisset,  
Apellem Pictorum principem, voti ut  
reca fieret, accessisse: sed is, qui eam  
probè antehac noverat, nullis colori-  
bus exprimi posse causatus, (quod mo-  
dò

dò magna, parva aliàs, nunc obesa, nunc macilenta, jam alba, jam nigra, apparet) ad Tempus rerum omnium experientissimum Magistrum ablegavit. Hic sollicitè quaquaversum consideratam, demum (ut operi idoneam jam habebat tabulam) *humana facie* depinxit.

Si favorem humanum novus aliquis ævi nostri Apelles pingere deberet, quomodo quæso melius & magis *advivum* pingeret, quàm facie humana? humana enim facies nonne genuinum inconstantiae prototypon est, quando instar auræ nunc serena, mox nubila, nunc meras Etesiarum gratias, brevi meras Aquilonum furias spirare videntur? Semetipsum quilibet in speculo identidem contempletur; quot non una die in vultu proprio animadvertet vicissitudines! Manè videbit illum à somno nonnihil lividum, tum discussis ablutisque humoribus candidiorem, à mensa & poculis rubicantem & ridentem, à studijs tetricum & cationizantem; aliàs iratum, subinde lacrymis suffusum, interdum attonitum, quandoque ad modestiam compositum. Sic omnino se habet interiorum voluntatis affectuum aura: sunt illi in nodos tam breviter, quod vocamus, & alligati, ut quàm facillimè solvantur. Nihil enim est humana voluntate mutabilius, nihil levius; *habitu vertere natura totius solenne munus est*, inquit Tertullianus. Nec Chamaelon de corio suo ita ludit, ut de moribus homo; imò nec aer elataque nubes tot sumunt effigies diversarum rerum, quàm ille affectuum diversita-

† furs angebunden.

Tertull. de  
pall. c. 2.,  
Cresoll.  
anthol.  
dec. 2. c.  
1. sect. 3.

tem. Erit, qui amicum habebit faventissimum, ipsumque, ut ita loquar, Favonium, cum quo secreta intima communicare, coram quo se totum expectorare, cui cor suum penitus credere sit solitus, Oresten & Pyladem diceret; profert forte incautus, & joci salisque gratiâ verbulum unicum aculeatum, protinus dissoluto amicitiae non bene ligato nodo, vehementior è naribus alterius flare ventus, caput turbinari, familiaritas in odium, fraternitas in hostilitatem transire, jam mutua cessare obsequia, declinari occurfus, vitari aspectus, conversatio deficere.

Quòd si aulas ventorum emporia considerare velimus, Deus bone! qualis istic affectuum varietas! quanta malaciae & procellarum vicissitudo! Quot auram hinc mercati nodos retulerunt, cum quibus post breve favoris spiramen, tempestates ac naufragia tristissima acceperunt in merces; gratia namque & disgratia apud Magnates aequè breviter alligata sunt: una levissima culpa totam navim velut pisciculus *remora* detinet, imò evertit. Acciderat subinde in Ægypto *ut peccarent. Exod. 40. 1.* duo Eunucho Regis Pharaonis, *pincerna & pistor. Iratusque contra eos Pharaosine mora, nihil tot eorum attendendo merita, in obscurum carcerem trudi, compedibus & pedicis vinciri, alterum insuper in furcam agi præcepit. At quodnam fuit utriusque delictum? Hebraei dicunt Pincernam deliquisse, quòd in potu regio parva musca; Pistorum verò, quòd in pane lapillus minutissimus repertus fuerit.* Apud Pro-

H h lo-

*V. Causin.  
aula S.*

lomæum Ægypti item Regem, quendam Aulicorum eoque favor & fortuna extulerat, ut duo duntaxat, quorum tæderet, essent: alterum, quod non haberet, quod scanderet altius; alterum, quod jam pauperiorem existimaret Regem, quàm qui opulentia suæ aliquid addere posset. Et ecce paulò post alium expertus est ventum, quando in nodum sibi fatalem vel leviter impigit. Dum enim sui usquequaque securus cum una regiarum uxorum jocatur, eodem, quo deprehensus erat, loco, laqueo strangulatur. Alius, quod minùs dextrè attemperatum calamum Constantino Imperatori porrexisset, è vestigio interfici jussus, quamvis bene longum tempus inter primæ admissionis amicos apud eundem Imperatorem exegisset. Ablavius sub eodem Constantino securi factus victima, sub quo antea tantùm non inter Indigetes referebatur. Antonius Otho Dux Vrbinas & Montis ferati Comes fidum famulum, quod secundà horâ à somno excitare neglexisset, linteo pice ac sulphure infecto insui, & pro face ardere jussit. Wenceslaus Bohemiæ Rex, cõquum, quod nefrendem non satis ad ejus gustum assavisset, veru infixum pro nefrende assari imperavit. Et num te fortunæ auræque aulicæ ludibrium præteribo Alvarre Luna? Ipsum nomen tuum docere te debebat, humanos affectus mutari ut lunas. Totos triginta annos in aula ita es dominatus, ut Joannes III. Castella Rex ne quidem vestem te inscio mutaret: at ubi in majestatem nescio quo crimine impigisti, nodum disgra-

*Mariana  
rer. Hisp. l.  
22.*

tia simul solvisti, unde tantus in tuum caput turbo irruit, ut illud avulserit. Jaces exanimis sine capite truncus, pelvi juxtà posita ad colligendam stipem pro sepultura. Fecerat tibi amicos de Mammona, nunc Iro pauperior frustillum terræ vel post mortem emendicare cogaris. Vbi illi tui amici? O utinam Hipponensis Doctoris monitum sapius considerasses, monentis: *quid tibi prodest ô homo hominis favor & amicitia? fortè ibi non solum nullum auxilium, sed & periculum invenies. Multi periclitati non sunt, antequam Majoribus jungerentur; excitaverunt Majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent.* \* *Quid non fragile, plenumq; periculis in palatys?* Et quos ergo tandem amicos merçandos divina monet Sapiencia, cum ait: *facite vobis amicos de Mammona?* Respondet & declarat Religiosissimus Scriptor Thomas à Kempis: *facite vobis amicos venerando Dei Sanctos.* Et Thomas Aquinas: *si vis verâ amicitia delectari, esto amicus Dei, & Sanctorum.* Dei enim amicitia, ait iterum Augustinus, *ut dissolvatur à te non invenies, neque nodis facile solubilibus est ligata: si tu eum non offendas, non te offendet.* Imò quæ & quanta ille in gratiam sibi carorum non tolerat! Quot peccatis venialibus (quæ in altiori despectûs ordine censeantur à Theologis, quàm sit crimen læsæ Majestatis humanæ) quot, inquam, peccatis venialibus etiam ab intimis amicis, qualis exempli gratiâ Moyses, David, &c. in dies non offenditur! & tamen vel propter infinita ejusmodi peccata gratiam suam nequaquam aufert, non idcir-

*August. in  
Ps. 121.*

*\* Confess. 24.*

*Aug. l. homi.  
38.*

circo hominem ex amicorum suorum coetu exturbat : ijdem namque Theologi docent, peccatum veniale non punire cum gratia habituali (licet per illud aliquantum imminuatur) nec infinita venialia adæquare unum mortale † Nimisquam igitur enormis culpa sit, necesse est, quæ nos ab eo divellat.

Ad hæc, quàm difficile est hominibus placere, tam facile imo facilius Deo. Quæ non egit David ut placeret Sauli ! terrorem totius Israël, carneamq; turrim Goliathum prostravit, victoriam de hostibus non unam retulit, ducentis Philistinorum præputijs Micholem Saulis filiam despondit, psalterio suo & decachordo velut alter Orpheus sæpe illum à malo spiritu liberavit, bis, cum interficere posset, sine noxa dimisit, placere tamen & amicus esse non potuit. Quantopere laboravit Perillus usquedum taurum æneum elaboraret, quo se Tyranno suo instrumentorum talium avidissimo cumprimis placituro credebat; & ecce loco præmij primus in illo concremari debuit. Simile tormentum subijt S. Eustachius, posteaquam optimè de Imperio Romano meritis esset, strenuèq; operam suam Imperatori militando probasset. At verò Deo in persona pauperis latenti vel unum potum &

Matth. 10.  
42.

calicem aqua frigida porrigere, est illum sibi totum devincire: *quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aqua frigida, amen dico vobis, non perdet mercedem suam: Frigida dixit, ait Aurelius, ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut dicere, se vasculum, ubi aquam cale-*

† Arriaga  
11. de vitijs  
diss. 48. f.  
6. n. 23.

Aug. serm.  
62. de tēp.

faceret, non habere. Inops illa vidua, quæ duo minuta, quod est quadrans, in gazophylacium misit, quali panegyri à Christo non fuit celebrata! Petrus telonarius ob unum panem, pauperi vel ex impatientia projectum, gehennæ incendia evasit. Et quid multa? nonne ipse Deus Sponsæ suæ, hoc est animæ justæ & amicæ, fatetur: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno crine colli tui?* quasi diceret; unâ, piâ cogitatione, uno humilitatis actu, (hanc enim Rupertus per crinem intelligit, cum ait: *quid uno crine gracilinus? & quid humilitate subtilius?*) uno amoroso suspirio veluti aliquâ sagittâ pectus meum transverberasti, trajecisti, imò, ut Septuaginta legunt, penitus me excordasti.

A Dei genio non abluunt ejus Sancti, qui & ipsi similiter minimo obsequio mirum quantum capiuntur. De Regina Sanctorum omnium & Matre pulchræ dilectionis habemus ex historijs, quòd ob unam salutationem Angelicam quotidie recitatam, militem prædonem à Dæmonis raptu, ei habitu famuli hunc in finem servientis, vindicavit, gratiamque efficacem, ut converteretur, impetravit. (a) Latronem famosissimum abscisso etiam capite sine poenitentia non permisit mori, quòd Sabbato ejus honori jejunare convalescet. (b) Juvenem flagitiosum in Brabantia à mortuis ad peccatorum confessionem revocavit, ob Coronæ sive Rosarij constans pensum. (c) Vsurarius quidam avarissimus juxta & iniquissimus, ad cujus supremum judicium innumera Harpyiarum Avernali-um

Marc. 12.]

42.

Rupert. in  
Cant. c. 4.  
v. 9.

(a) Spec.  
exēpl. dist.  
8. n. 60.

(b) Pelbars  
in stellar.

& Spinell.  
amor. Dei.

par. c. 1.

(c) Cantip.  
l. 2. apum.  
c. 29. p. 8.



convolârant agmina, salutem suam. Divo Laurentio debet propter unum calicem argenteum Ecclesiæ ipsius dono datum. Et quicumq; hunc Sanctum quavis feriâ sextâ cultu aliquo affecerit, præsentem illius opem in hora mortis experitur, ut docet Gregorius Turonensis. S. Cæsarij Martyris precibus Romæ homo nomine Andreas (cui præter nomen Christianitatis & emortuam Christianæ Religionis fidem nihil videbatur inesse) ex ipso prope Tartaro, ut circumstantibus de sarcophago sese erigens narravit, ereptus est, quod prædicto Martyri devotus, illius Ecclesiam cum cereis frequentaret.

(d) Brasilius Juvenis S. Barnabam Apostolum sortitione menstrua in patronum acceperat. Hic pone ingens flumen ab hoste suo deprehensus, gladio confossus & in rapidas aquas projectus, ubi aliquantum sui compos signo Crucis efformato S. Barnabam inclamasset, mox Divus ipse spectabilis coram affuit, juvenemq; ex aquis inolumem eduxit. (e) O pretiosos ejusmodi amicos, qui tam facili emuntur pretio, & tam fideliter in summis periculis auxiliantur! Quis eos, non dico uno, sed mille obsequijs, non certet demereri? Serò certè doluit à se neglectos vir Senatorius in Belgio (de quo Cornelius à Lapide) dum in extrema adeoque gravissima lucta, à carissimis sese omnino vidit destitutum. Implorabat ille primùm opem conjugis: carissima, clamans, conjux, ah! quæso, adjuva me, & quantum potes opitulare misero in tantis angustijs, terroribus & doloribus. Scis quanto te amore huc-

usque complexus sim, quantum te dilexerim, quàm lautè dotaverim, ah adjuva! Cumq; illa flens & ejulans diceret: ecqui possum te juvare, dilectissime marite, in morbo incurabili? Excedit hoc vires meas, *contra vim mortis non crescit germen in hortis*: accersiri exinde jubet filium natu maximum, & similiter ad eum lamentabundus, fili mi, ait, adjuva, eripe Patrem ex hisce mortis angustijs: ego pro te diu noctuq; laboravi, fortunas & opes quàm amplas potui tibi congregavi; expensas tui causâ plurimas feci, fer opem fili mi. Sed hic paternæ mortis quàm vitæ cupidior, lacrymas tamen vel per vim exprimens; utinam, respondet, ô Pater, morti te eripere possem! sed nequaquam id meæ facultatis est. Vocavit igitur subinde secundò ac tertio genitum; tum filias, famulos, domesticosq; omnes, unumquemque singulatim compellans, auxiliumq; flagitans. Singulis idem respondentibus, ac dicentibus nullum contra mortem afferri posse remedium, demum horrendum exclamavit. O inanes hominum curas! ô vana studia! Ecce ego tibi uxor, vobis ô filij & filia tota beneficia præstiti, vires & valetudinem impendi, quin & animam meam fortè oppignoravi: & nunc hæc merces mea est, ut in hora novissima opem vestram implorans, non inveniam? O quàm fatiùs fuisset, si Deo servissem! si amicos de cælo mihi comparassem, qui in hoc agone luctanti adessent! ô si vivere liceret, quàm saperem!

Vos itaque AA. mei tempestiviùs sapite, & si beatè mori vultis (ut non dubi-

(d) *Surius*  
in vita S.  
Annonis,  
4 Decemb.

(e) *Barry*  
sanct. fœd.  
cum SS.  
c. 2.

*Conel. in c.*  
1. Thren.

V. Barry. c.  
8. supra.

dubito omnes vultis ) amicitiam cum Sanctis præ humana & carnali colite, & cum Sancto Carolo Borromæo tales ambite defensores, Postulabat ille à Summo Pontifice potestatem sibi fieri, illustrissimæ familiæ suæ nomine sese penitus abdicandi, contentus *Cardinalis S. Prædixis* audire; contenditque insuper, ut insignibus suis S. Ambrosij effigiem liceret inserere, hac adjecta epigraphe: *talem ambio defensorem*: neque posthac alijs uti insignibus voluit, quàm S. Ambrosio inter SS. Gervasium & Protasium medio, quos geminos Martyres insigniori item affectu prosequatur. B. Cherubinus Spoletanus, Ordinis S. Francisci præ reliquis Divis cariorem habebat D. Hieronymum: quàm verò fidelem habuisset amicum, in morte patuit; astitit enim illi cum sexaginta animarum millibus, quas Cherubinus

concionibus suis cælo lucratus fuerat, ac supremum luctantem spiritum mirifice recreavit, certiore faciendo, rectâ secum ad Cælos ipsi emigrandum esse. Nec prætereundus S. Josephus Poëta, quem fatali lecto hærentem, omnes Sancti, quorum laudes carmine componebat, invisere, turmatimque ei auxiliatum venere. (a) Cecinit aliquando Ethnicus Poëta:

*Nemo tam Divos habuit faventes,  
Crastinum ut posset sibi polliceri;*

at mihi veriùs canere licebit:

*Nemo, qui Divos habuit faventes,  
Non potest cælum sibi polliceri.*

Cùm omnes alij amici defecerint,  
cùm omnia subtrahita fuerint, ij soli tam erunt officiosi, ut nos recipiant in aeterna tabernacula.



DOMI-

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Lacrymæ Christi, lacrymæ amoris.

Videns Civitatem flevit. Luc: 19.

A. 1648.

26. Iulij

sub aurorâ

parva pars

Pragæ à

Suecis pro-

ditoriè oc-

cupata est.



D. Thom.

1. 2. q. 29.

Heb. 2.

Univerfarius hostiliter occupatâ Pragæ dies, lacrymosam dictioni meâ subministravit materiem.

Neque enim minùs me movere debet præteritâ calamitatis tantâ recordatio, quando Salvatore[m] ipsum futura[m] Hierosolymâ[m] mala in tantum moverunt, ut videns Civitatem fletet super eam. Stoicorum quidem altum sapientium nescio an satis sapiens fuit opinio, viro prudenti, docto, gravi, tristari, dolere, lacrymari nimisquam indecens esse: sed hanc opinionem Angelicus Doctor egregiè confutavit, dum evidentissimis rationibus ostendit, affectus hujuscemodi naturæ humanæ convenientes esse, & ad ejus conservationem deservire. Atque idcirco etiam à Christo Domino interdum assumptos, ut liquidò pateret, veram ei non phantasticam, non umbratilem hominis fuisse naturam; debuit enim per omnia fratribus similari. Stoicorum errorem sectati videntur quidam fideles, apud Epiphanium & Hilarium; qui, non malitiâ perversi, sed ignorantia stupidi crediderunt Christum D. lacrymas dedecere; ac proinde ex Evangelio hodierno eraserunt illud: flevit super illam, sicut & illud Joan: 11. de Lazaro: lacrymatu[s] est Iesus; putabant enim per hoc ansam præberi Arrianis Christum cavillandi, dicendique

nequaquam verum Deum esse, qui in casu tristi, & calamitate ploret, habens potestatem eam avertendi. Verùm non est, quod ego eos refellam, cum satis habeant, quòd à SS. Epiphanio & Hilario stupiditatis arguantur. Solenne quidem est gravibus personis & Magnatibus fletum quàm maximè vitare, dissimulare, occultare, uti fecisse legimus Ezechiam Regem Iuda, qui ob denunciata[m] sibi mortem à lacrymis continere sese non valens, *converit faciem ad parietem*. Cur ita? Respondet D. Hieronymus: *ne lacrymas affidentibus ostentare videretur*. Nempe secutus est illud Ennij Poëtæ documentum: *licet lacrymari plebi, Regi honestè non licet*. Sufficiens ergo hodiernæ dictionis meæ erit materia in lacrymas Christi carumque causam inquirere, quandoquidem non possunt non magni mysterij esse indices, quæ à persona omnium maxima, hoc est ab ipso Deo emanant, profluunt, profunduntur.

D. Chrysofomus homil: de Lazaro resuscitato contemplans illam formosissimam Christi D. faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, faciem Sole venustiore[m], cocco rubicundiore[m], lacrymis guttatim, veluti totidem gemmis defluentibus pallentem, non potest non satis mirari, quisnam guttas istas in tam pretiosas genas destillaverit. Ejus hæc verba sunt: *qualis illic*

Isa. 38. 2.

Hier. tom. 1. in Isa.

er 48

eras Domine Iesu? quàm electus, quàm decorus, fonte purior, nive candidior, lunâ clarior, Sole candentior! & ecce inter hec Christe Iesu Domine Deus flevisse narraris! quid lacryma ista portendunt? Portentum inusitatum, & planè insolitum erat urbis Comi incolis in Italia (uti refert ex Livio Hipponensis Præsul) portentum, inquam, inusitatum erat, videre statuam Dei sui Apollinis lacrymantem. Convocabantur Sapientes, Divinatores, Augures ut inquirerent, quænam foret tantarum in Deo causa lacrymarum: sed poterat hinc impostura subesse, uti apud Judæos in idolo Adonidis *Thamuz* dicto, cujus concavis oculis plumbum imponebatur, quod à succenso intus igne liquefiebat, sicque idolum hominibus flere videbatur. *Procul hinc procul este profani.* Videte vos hodie AA. verum Apollinem, verum justitiæ Solem, cœli gaudium, terræ delictum, verbo verum Deum plorare, flere, lacrymari. Quid lacrymæ istæ portendunt? Lepida quidem, & à D. Irenæo, & Tertulliano explosa fuit quorundam Hæreticorum doctrina, docentium Deum, dum Mundum conderet, flevisse, unamque lacrymam profudisse, quæ, cum proportione ad magnitudinem Dei, tanta fuit, ut ex ea totum mare confectum sit, & inde etiam hodie salsum perseverare, quia ex lacryma Dei initium sumpserit; lepida, inquam, doctrina; at ego dum hodie Dei mei non unam, sed plures lacrymas considero, verè mihi mare intueri videor, & exclamare cum Hieremia cogor: magna est velut mare, *ô Christe, contritio tua. Quid lacryma ista tua portendunt?*

Philosophi & Physici varias lacrymarum causas assignant. Subinde eas dicunt oriri ex dolore; subinde ex gaudio; interdum ex ira; interdum ex pudore; non rarò ex amore. Ex dolore flevit ulcerosus Job, dum lamentabatur: *versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium; facies mea intumuit à fletu, & palpebra mea caligaverunt.* Ex gaudio fleverunt parentes Tobia ob reditum filij: *cœperunt, ait scriptura, ambo flere præ gaudio.* Ex indignatione flevit egregius militiæ Romanæ Imperator C. Metellus, posteaquam intellexit Mario æmulo suo, provinciam Numidiam à populo Romano decretam, sibi que ereptam, de quo ita Salustius: *interim Romæ certior fit, Provinciam Numidiam Mario datam, quibus rebus supra bonum, honestumque percussus, neq. lacrymas tenere, neq. moderari linguam.* Verùm undocunque dum alij hæcenus fleverint, & hodie fleant, ego lacrymas Christi non alias esse dicam, quàm lacrymas amoris. Agnoverunt id vel ipsi capitalissimi ejus hostes Pharisei, dum videntes eum flentem super Lazarum, dixerunt: *ecce quomodo amabat eum.* Ita est, Deus alia ex causa flere facile nescit, quàm ex amore. Hinc pulchrè Barradius: "Lazarum cum deflevit mortuum, dixerunt nonnulli: *ecce quomodo amabat eum:* nunc populum perditum cum deplorat, dici etiam potest: *ecce quomodo amabat eum.* Porro amoris vehementiam vel maximè denotat circumstantia triumphis, quod tum nimirum lacrymatus sit, cum triumpharet. Affectum ad honorem & glo-

*Lacrymarum causa varia.*  
*Job. 30.*  
*Tob. 10. 3.*  
*Salust. in Jugurt.*  
*Ioan. 11. 35.*  
*Barrad. 1. 3. 1. 7. c. 3.*  
 & glo-

August. l. 3. de Civit. c. 1.

Prado in Ezech. 10. 1. c. 8.

Thren. 2. 13

Escobar,  
rom. 4. l. 9.  
obs. 1.

& gloriam ita homini agnatum docet  
Aulonius, ut eum faciat à quolibet  
mœrore, à quolibet luctu, & tristitia  
abstrahi; ait enim: *nullus Principis ha-  
res veraciter deflevit*, scilicet mortem  
parentis sui. Cur ita? Respondet  
quidam Recentior: *quia in conspectu ho-  
noris Regij fons luctus exsiccat*; quasi  
diceret: raro Regum & Principum filij  
Patrum suorum funera serio deflent,  
ut qui potius mortem eorum accelera-  
ri optent, quò citius in Regnum succe-  
dant, id quod in Absalone & alijs plu-  
rimis, de quibus Scriptores memorant,  
est animadvertere. Et licet ex eo-  
rum morte luctum aliquem aforis o-  
stentent, licet nigras è rudi panno  
vestes, licet pallium ad talos defluum  
gestent; tamen intus de successione in  
Regnum aut bona paterna latantur,  
*sicq; in conspectu honoris Regij fons luctus  
exsiccat*. Non ita Salvator noster:  
invehebatur triumphabundus Ieroso-  
lymam, nihil ei ad omnimodam pom-  
pam, & gloriam deerat, sternebantur  
transituro vestimenta in via, jactaban-  
tur palmarum rami, accinebatur undi-  
que: *Osanna, benedictus qui venis*. Quis  
hic non ingenti fastu intumesceret?  
quis hic non superbiret, non inflaretur,  
non gauderet? Sed enim bonus JESVS  
(verba sunt Cajetani) *inter tot honores  
flet, videns civitatem flevit super eam*. An  
non quia amabat eam, & dolebat  
quòd tam miserabiliter perire deberet?  
AA. mei, quem compassionis affectum  
habuit Christus erga Jerosolymam,  
eundem habet & hodie erga nos pec-  
cantes. Testatur id Origenes dum  
38. in Luc. ait: *nos etiam sumus Ierusalem, qua de-*

fletur. Et alibi: *Salvator meus luget  
& nunc peccata nostra, & tandem est in  
mœrore, quâdiu nos persistimus in errore*.  
Quæ verba, ut monet D. Bernardus,  
etiamsi non in sensu verò, sed hyper-  
bolico sint accipienda, (neque enim  
Christus amplius flere potest,) habet  
tamen ineffabiliter ampliolem affectum,  
& efficaciorlem pro delinquentibus, quam  
habent qui lugent, aut pro fratribus ponunt  
animas.

O utinam, utinam non sapius bono  
JESU occasionem & materiem fletus  
daremus! Obit ille etiamnum cor u-  
niscujusque nostrum visitandi gratiâ,  
vidensque multis obseptum vitijs, pra-  
vis habitibus & cogitationibus refer-  
tum, (nam *de corde exeunt cogitationes* *Matt. 15. 19*  
*male*) ex vehemènti compassione flet  
ac plorat, snumque solenne repetit:  
*ô si cognovisses & tu!* Lubet pressius hæc  
verba examinare, & mysteria aliquot  
in eis latentia evolvere.

1. Est in his verbis figura Rhetori-  
bus dicta *Aposiopesis*, estque abruptio  
sermonis ex aliquo vehemènti affectu.  
Sic ex affectu iræ apud Virgilium Ne-  
ptunus Ventos increpans abruptit *Virgil.*  
locutionem, dum ait: *Quos ego sed, &c.* *Aneid. 1.*  
Notavit hanc figuram inter alios Eu-  
thymius, dum eum locum explanans  
ait: *defectivus sermo est; consueverunt  
enim flentes verba præ affectus vehemèntia  
abrumpere*. Sed quis hic relucet affe-  
ctus. *si cognovisses & tu?* Non alius  
certè quàm amoris & commiseratio-  
nis. Dicere enim volebat: *si cogno-  
visses & tu Jerosolyma, & tu anima  
peccatrix, quàm mihi dolori sit interi-  
tus tuus, & perditio tua, non posses*

non

non pœnitere, non posses mecum non flere.

2. Emphasis est in voculis & tu. Tu enim hîc plus significat, quàm verbum ipsum per se declarat. Sic magna emphasis fuit in illis Julij Cæsaris verbis, quibus interfectorem suum Brutum moriens alloquebatur: & tu Marce fili. Quali dixisset: & tu Brute me interficis, quem ego ut filium carum habui; tu, cui tot beneficia præstiti, tu quem ad magna officia & dignitates evexi, &c. Pari ratione dum super peccatorem lacrymans Christus ait: si cognovisset & tu, non aliud credo vult dicere, quàm: tu Christiane, peccando in interitum æternum properas, quem ego tam caro mihi redemi? tu mea mandata contemnis, pro quo ego factus sum obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis? tu habitaculum luxuriae sordibus audes polluere, quod ego mihi in te sacraveram? tu MARIÆ Sodalitatis impuris Sodalibus te immisces? tu Studiosus inspirationes meas suggestionibus Dæmonis posthabes? deceptor, quàm auctori vitæ majorem fidem adhibes? tu fili mi? Simili ferè compassionis affectu olim Israëlitas dilectum populum alloquebatur, cum eos à peccatis dehortans dicebat: &

Exech. 18. 30 quare moriemini domus Israël? quasi diceret, ut luculenta paraphrasi illustrat Prado hoc loco.

Hieronymus Prado: " si ego, qui sum premus Judex sum, in vestram partem inclino, & sententiam damnationis ferre omnibus modis recuso: si ego ipse, qui actor sum, vel à vobis lacessitus vindictam non expeto, sed sponte noxam condono, si sani estis, neque

vitam propriam at æternam respicitis, & quare moriemini Domus Israël? Moriemur (sic inducit respondentes Israelitas) quia lex Ministra mortis transgressores damnat. Sed ego pœnitentes absolvo, quare igitur moriemini? Quia Patres nostri peccaverunt, nos moriemur. At vivo ego, quia filij non portabant iniquitatem Patrum. Et quare moriemini Domus Israël? Quia fecimus pactum cum morte & fœdus cum Inferno. Sed in vestra potestate est dissolvere fœdus percussum, revertimini & vivite; quare moriemini Domus Israël? Quia lege membrorum gravati in mortis barathrum deijcimus. Sed fas est, si lubet, facere vobis cor novum; & quare moriemini? Quia arduum est ad vitam conari per legis custodiam. Atqui facilè est vobis comparare spiritum & animum novum, quo ad cœlestia rapiamini; quare moriemini Domus Israël? Quia jam neci traditi sumus à Divina justitia. At ego, qui nolo mortem morientis, ab ipsis faucibus mortis etiam devoratos recipiam; quare igitur moriemini? Illud unum est, quod vos accusat, quod deprimat, quod damnat, & morti adjudicat, nimirum quòd respiscere non vultis. O si cognovissetis & vos, & quidem in hac die, quæ ad pacem vobis! Sed, &c. rorate oculi, currite lacrymæ, lugete mecum sidera, quia quos dilexi, pereunt mihi!

Observavit nonnemo in tota Passione nullam à Domino sententiam abruptam, cum tamen intensissimi dolores sufficientem abrumpendi darent occasionem. Attamen, si illa Psalmi ver-

ba in persona Christi patientis à Davi-  
de prolata ruminemus : *super dolorem*  
*Psalm. 68. vulnorum meorum addiderunt*, invenie-  
mus in eis aliquid deesse. Quid enim  
ô bone Christe tibi addiderunt? Hu-  
go Cardinalis ait subintelligi *to acetum*  
apponitque vocem illam in eo versu.  
Sed poteratne Salvator de aceto tanto-  
pere queri, ut sermonem abrumperet;  
quandoquidem, ut Chrysostomus apud  
Hugonem affirmat, acetum dabatur  
reis, non ad augendos sed mitigandos  
dolores? Nihilominus queritur: *super*  
*dolorem vulnorum meorum addiderunt*.  
Non erat illa sermonis abruptio ex in-  
flicto dolore, sed ex amore, quo arde-  
bat magis ac magis pro peccatoribus  
pati, ac proinde hoc sibi gravissimum  
tormentum reputabat, quòd tormenta  
sua videret accelerari. Ex hac tenus  
ergo dictis maneat Christi D. lacrymas  
fuisse puri puri amoris lacrymas. Flet  
ille perditionem nostram, tanquam  
amissionem rei charissimæ, multisque  
sudoribus & laboribus acquisita. Nô-  
stis autem, res illas in majori præ reli-  
quis esse pretio, quas cum multis peri-  
culis comparavimus. Sic miles ali-

quis aut Dux longè pluris æstimabit  
unam hastam vel arma, quæ in prælio  
hosti eripuit, quàm aliquem pretiosum  
torquem. Sic Jacob Patriarcha tanti  
fecit partem agri, armatâ manu à se  
occupati, ut tanquam rem specialissi-  
mam Josepho filio dilectissimo præ  
fratribus testamento legaverit. *Do*  
*tibi partem unam extra fratres tuos, quam*  
*tuli de manu Amorrhæi in gladio & ar-*  
*cu.* Igitur cum & nos simus specialis  
Christi portio & hereditas (juxta il-  
lud Psal. 2. *Dabo tibi gentes hereditatem*  
*tuam*) quam ipse in arcu crucis Amor-  
rhæo Tartareo eripuit; demas operam  
ne voluntario interitu nostro occasio-  
nem ei præbeamus mærendi; quin po-  
tius cum converso Augustino quisque  
super se ipsum fleat dicendo: *ve ve te-*  
*nebris meis, in quibus jacui! ve, ve, ca-*  
*citati illi, in qua videre non poteram lu-*  
*men cæli! ve, ve, præterita ignorantie*  
*meæ, quando non cognoscebam te ô Domi-*  
*ne. Serò te cognovi veritas aterna. De-*  
inceps aliud non peto, quàm :

*noverim me, nove-*  
*rim te.*



DOMI-

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

In quam inciderat Festum S. Mariæ Magdalenaë.

ALLOCVTIO II.

Deus plorat dum ridemus, gaudet dum flemus.

Flevit. Luc: 19.



A. 1657.  
27. Iuly,  
Serenissimi  
Bohemie  
Rex. nunc  
Augustiss:  
Imperator  
LEOPOL-  
DVS Pra-  
gam venit.

ptatus licet Serenissimi Regis adventus non minimam nobis hoc tempore gaudiorum adferat segetem: tamen quando hodierni diei attendo qualitatem, aliam dictioni meæ materiam non arbitror competere, quàm lacrymas. Quid enim sonem aliud, quando hinc totam in fletu resolvi video Magdalenam; inde ipsum Cœli Regem lacrymis suffusum observo, videns quippe civitatem, flevit super eam. O lacrymæ non nostris solum, sed Mundi totius oculis dignæ collacrymari! quis jam ultra ausit dicere: nec enim lacrymare Deorum est?

Ovid. l. 4.  
fast.

Flet hodie Deus, flet oculus Univerſi, flet omnium Dominus: flet & Magdalena, flet mulier, flet peccatrix. Sed quis lacrymas miretur in femina? Deum plorantem quis non obstupeſcat? Hoc enim è præſci Philoſophi ſententiã adeo à Regia Majestate quondam fuit alienum, ut Alexander orbis Dominus, & domitor, Tragœdum capitũs condemnãrit, quòd funebri dramate Regi lacrymas excuſſiſſet. Excuſſit Chriſto Hieroſolyma lacrymas, num idcirco damnanda, num idcirco hoſtium poteſtati tradenda, num idcirco non relinquendus in ea lapis ſuper la-

pidem? Ita fanè: vivere namque indignus eſt, qui autorem vitæ quoquomodo contriſtat. At quidnam hoc eſt, quòd idem Deus, qui ad Triumphos & juba Jeruſolymæ flevit, ad gemitus & læmenta mulieris peccatricis ita recreetur, ut gloriabundus hoſpitem ſuum non dubitet alloqui, *vides hanc mulierem? intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* Dicere credo voluit: Simon, tu huic femina indignaris, quaſi plantæ ſuo convivium noſtra obturbet (ſicut enim *muſica in luctu importuna narratio; Eccli. 32. ita gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in convivio vini*) at credas velim longè lapidiores mihi ejus eſſe lacrymas, quàm tuas epulas; longè dulciores fletus, quàm Creticos hauſtus; longè ſvaviora ſuſpiria, quàm Attica bellaria: *vides hanc mulierem?* Nihil tam facilè lacrymas provocat, ac lacrymæ; pronum quippe eſt amori flere cum fletibus: nec ipſis hoſtibus tam laxa ſunt corda, ut non quandoque ad inimicorum dolores emolleſcant. Sic Pub: Scipio, cum Carthaginem deletam vidiffet, adeo collacrymatus eſt, ut fumantes adhuc cineres lacrymis reſtinguere velle videre.

li 2

dere.



deretur. Sic Henricus Imperator, cum Trojam Apulizæ urbem obsideret, tametsi civium pertinaciâ lacesitus juravit, ne inbelli quidem ætati parceret: at posteaquam puerile totius urbis agmen supplicum ritu, prælarâ cruce, madentibus oculis, permisto ejulatu, ante suum tentorium conspicatus est, ad lacrymas eorum collacrymari non potuit, urbemque sine mora libertate donavit. Secus tamen, ut in præfenti animadvertere est, secus, inquam, se habet DEVS; siquidem ad risum hominem plorat; ad fletus ridet, quod hoc sermone prosequar.

Quantopere invisus sit DEO hominum risus, vel ex eo colligi potest, quod etiam *va* æternum ridentibus intenter, dum ait: *va vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis.* Quæ comminatoria verba S. Basilii sic exponit: *videtur in fidelibus damnare omnem risum, eò quod hæc vita sit pœnitentiæ & luctûs, futura verò gaudij.* Itane omnes Heracliti, omnes Magdalena erimus? itane omnis omnino lætitiæ expertes agemus? Nulla nobis animi licebit relaxatio? Nulli amici congressus, nulla jucunda colloquia, nulli sales, nulli joci, nulli lusus, nulli lepores? Ista quidem si Themistio credimus, homini minimè sunt connaturalia, utpote qui ex ipsis compaginatæ est lacrymis. Docet enim in plasmatione hominis à Prometheo facta, lacrymas loco aquæ ad compingendum lutum esse adhibitas; & ideo dolorem & fletum esse homini propria, ut proinde rectè dicatur *animal flebile*, quàm *risibile*. Ipse etiam Deus homo, testibus DD. Augustino & Chry-

ostomo flevisse sapius legitur, risisse nunquam: *flentem illum* (inquit aureum os) *frequenter invenias, nunquam verò ridentem; sed nec breviter semel subridendo gaudentem.* Additque: *nec ullus Sanctorum vel de se ipso, vel de alio quopiam tale quid aliquando significasse narratur.* De sola Sara legimus hoc dictum; sed illico Dei voce correpta est: & de filio Noë; sed propter illum risum servus factus est ex libero. Mitiùs tamen hæc interpretatur nonnemo Recentior docens, nimium solummodò risum & cachinnos vetari, non item moderatum, qui signum est animi tranquillitatis, læti, innocentis, benevoli. Ac proinde cum dixit Christus: *va vobis, qui ridetis*, dicere voluit: *va vobis, qui in comestationibus, ebrietatibus, luxurijs, spurcitijs, cæterisque vetitis hujus Mundi voluptatibus ridetis, & juxta Sapiientis observationem lætami cum malè feceritis, & exultatis in rebus pessimis.* Quot sunt qui hodie cum peccatrice Magdalena mutato genere sexûs gloriantur: quàm bene cupiditati meæ in hac vel illa domo satisfeci! quàm bellè amoribus meis indulgi! quàm lætus inter choreas & pocula noctem hanc vel illam transegi! sed dum sic latantur, plorat interim Deus, tristatur Deus, angitur Deus, & toties ab oculis suis novum mare, imò novum emittit diluvium. Finxerunt nonnulli, quod aliàs memini, Deum in prima statim creatione hominis lacrymatum, ejusque lacrymam pro magnitudine Numinis adeo vastam fuisse, ut exundaverit in mare. Lyranus quoque ex alijs refert, aquas diluvij non aliunde,

Chryso.  
hom. 6. in  
Matt.

Cornel. à  
Lap. in c. 6.  
Luc.

Luc. 6.

Bas. in reg.  
brev. resp.  
31.

Aug. ser. 35  
de SS.

de, quàm ex Dei lacrymis fuisse collectas. Faciliùs id crederem; quippe (ut verbis ipsius Domini utar) erant tum homines ubique terrarum comedentes & bibentes, & nupti tradentes, erant bonarum rerum, & exultabant in rebus pessimis; unde non unam, sed perquam multas Deo excussere lacrymas, ex quibus jam non unum mare, sed innumera quodammodo maria profluere necesse erat. An non itaq; digni, qui delerentur à facie terre? delerentur, inquam, ijs ipsis divinis lacrymis, quarum causa fuerant. Ita est, Deus plorat, cum homines malè lætantur. Confirmabo hoc recentiori exemplo, ex annuis nostræ Societatis. Benedictus Goës in ora Travancoridis India orientalis inter Lusitanos miles, moribus, ut apud ejusmodi homines affolet, licentioribus, subierat quodam die cum commilitone templum preces fusurus. Commodùm ante imaginem Deiparæ Virginis flexerat genua, cum nescio quâ pungi animum synderesi sentiens, Dei Matrem cœpit ardentiore quadam pietate obsecrare, fieret sibi apud filium ejus intercessione peccatorum condonatio. Sub hæc, mirum dictu! videt ille, videt & Sodalis, vident & alij multi, ad spectaculum acciti, vident, inquam, ex pueri Jesu, inter Matris brachia hærentis, oculis lacrymas colore lacteas defluere, idq; tam ubertim, ut strophia sua prodigioso hoc liquore imbuta asportarint. Ipse verò Benedictus ad meliorem deinceps transijt militiam, dum vexillis Jesu in ejus Societate non diu post adscriptus, fidelem eidem operam in novis, & an-

te hac incognitis Regnis ad mortem usque navavit. O quot sunt in hac Univerfitate tales licentiores Benedicti, in quorum gratiam optimus Jesus non semel sed sapiùs cogitur flere! hic non jam strophia, spongia, non (uti è Davidis & Jonathæ lacrymis) unum vas, sed quàm plurima impleri possent dolia. Et quid dico dolia? maria debuiffem dicere: si enim una Dei gutta mare est, quàm immensum erit æquor, ubi guttarum ab oculis cadunt millia. Tradit Petrus Calentinus Christum Dominum in acerbissima sua passione effudisse lacrymas ducentas supra 67. millia. S. Bernardus ait, cum non solum oculis, sed membris omnibus flevisse, juxta illud antiqui Poëtæ:

- - uberibus flent omnia guttis.

Hæ credo fuerant illæ abyssi, hæ cataractæ, de quibus jam longè antè mortuus canebat Propheta: *abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Sed non si totidem vicibus Judaica multiplicentur tormenta, tam acrem Christo doloris sensum inferre poterunt, ac unum hominis lethale peccatum. De Judæis Paulus eos excusans ait: *si cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent.* Supplere fortasitè voluit præ dolore abruptam hodiernam Domini contra Jerusalem querelam: *si cognovisses & tu.* Sed etiàmne Studiosis Paulina favebit excusatio? Ah! nemo potest illorum dicere: *si cognovissem;* quia quoties turpitudinibus suis Christum denuò crucifigunt, sciunt, & nimis bene sciunt, *quid faciunt?*

Sed jam ad Magdalenam mea revertatur

† docet Pbr. lo lacrymas Davidis & Jonathæ in vas fuisse collectas & in terra repositas.

Calent. in via crucis.

Bern. ser. 3. Dō. Palm.

Lucret. l.

ii.

Psal. 41. 2.

1. Cor. 2. 8.

tatur dictio. Dederat & illa Christo multarum occasionem lacrymarum, quoad procacius & liberius vixit: at posteaquam ipsa flere, posteaquam lacrymis proprijs pedes Christi rigare coepit; tum gratissimam ejus paltriam, gratissimam egit cellariam. Organum nonnemo, ex aqua seu hydraulicum fabricavit in symbolum, subiecto lemmate: *conciuo dum concidis*. In eo concentum suavissimum edebant, decedentes singulari artificio guttae. Quidni organariam hujusmodi dicamus Magdalenam, quae è lacrymis verè hydraulicum construxit hodie organum, dum, ut loquitur Chrysologus: *ad delicias Deitatis totam pulsat cordis sui, & corporis sui symphoniam, organi planctus dat clamorem*. Nihil est autem

*Chrysof. in* (verba sunt Chrysostomi) *nihil est his lacrymis jucundius; quovis risu sunt ha-*  
*Pf. 6*  
*August. in* *jucundiores*. Vel ut Augustinus: *dul-*  
*Pf. 127.* *ciores quàm gaudia theatrorum; imò dulciores nectare, juxta illud Bernardi:*

*lacryma poenitentium, vinum sunt Angelorum*. Si Angelorum, cur non ipsius Domini? Memini generosum quoddam vinum, quod in Italia reperitur, lacrymam Christi nuncupari. Tale profectò hodie Christo propinavit Magdalena, siquidem ille nil bibit libentius, quàm peccatorum lacrymas, ut citatus testatur Chrysologus: *Deus*

*Chrysol. ser.* *delinquentium gemitus esurit, sicut lacry-*  
*93.* *mas peccatorum*. Et hoc est, quod ita postmodum in cruce sitivit, hoc est, propter quod clamavit, *sitio*. Quasi clamaret, ut venuste exponit Venetus

*Laured.* „ Prædicator. „ Peto à te ô peccator, „ saltem guttam unam lacrymarum, pro

tam multo sanguine, quem tibi effudi. „ Fatigatus ex itinere passionis, & sitibundus peto à te peccatore, quasi à Samaritana: *Mulier da mihi bibere*: pro sanguine peto aquam, pro flumine guttam. *Deus delinquentium gemitus esurit, sicut lacrymas peccatorum*. Dicebat aliquando loquax illa & vocalis vitis, cui reliquæ arbores sceptrâ, regnaque lignaria deferebant, dicebat inquam: *numquid possum deserere vinum meum, quod letificat Deum & homines, & inter ligna cetera promoveri?* Quale hoc dictum! ergone Deus vina potat? potat certè, sed non qualia ex vite fluunt, sed ex oculis: quamvis & vites oculos habeant, & poenitentes omnes lacrymabundæ vites sunt.

Vitis vera fuit Magdalena, quando tam bonum, tam generosum protulit vinum, quo Deum non solùm exhilaravit, sed (date veniam verbo) inebriavit. Hinc illæ voces: *calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Quis & qualis ille calix? utique lacrymarum, de quo sibi propinari petit Augustinus: *da mihi gratiam lacrymarum, tribue pro pietate & bonitate tua, ut iste calix meus inebrians satiet, sitim meam*. Et quamvis nonnemo doceat lacrymas ad crapulam minimè facere, imò efficacissimum esse contra ebrietatem remedium; Deus tamen ad fletum Judæorum poenitentium statim quodammodo crapulabatur, teste Davide: *excitatus est Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*. Gloriabatur aliquando Divina sponsa: *introduxit me Rex in cellam vinariam*, sed non puto quòd alia istic vina repererit aut gustarit, quàm quæ

Judic. 9. 13.

Psal. 22. 5.

Augustin. medic. c. 36.

Maxim. Sandau Theol. Medic. lib. 3. comm. 17.

Psal. 77.

Cant. 2. 4.

ab

ab oculis poenitentium deplua, in vasa sunt collecta, juxta illud Apocal. c. 7. *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & ne unam quidem guttam perire patietur; tam pretiosus illi hic liquor est.* Cùm in S. Franciscum Seraphicum lacernâ vili indutum, ac prope modum nudum, corpore insuper toto rigentem, germanus ejus frater temere aliquando incidisset, quendam ex familiaribus ad eum misit, qui subfannando quæreret, luberétne ipsi guttam aliquam sudoris fratri divendere? At Franciscus jocanti serium remisit responsum, dicens: nequaquam quod postularer fieri posse, quando jam pridem Domino Deo suo totum sudorem magno pretio vendidisset. Lacrymas D. Hilarius vocat, *sudorem anime mentis*: ex his tantò majorem quæstum facere licebit, quantò sudori corporis præstant. Judæi de facto suas ipsorum lacrymas ita appetiunt, ut eas à Turcis caro emere non dubitent. *Vsq; ad præsentem diem* (scribit Hieronymus) *perfidii Coloni post interfectionem servorum, & ad extremum filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Jerusalem, & ut ruinam sua eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas.* Videas in die quo capta est à Romanis & diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, *confluere decrepitas mulierculas, & senos* *pannis, annisq; obsitos, & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes.* Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines; & miles mercedem postulat, ut illis plus flere liceat. Deus contrâ ultrò nobis lacrymandi copiam facit, ultrò invitat: *flete super vos & super ruinas vestras.* Quæ gratia tanta est, ut nullo pecuniario pretio valeat equari: una lacryma sic fusa vim habet totum inferni rogi extinguendi, teste Petro Cellensi: *lacryma portas refringit inferni, carbones extinguit ferrea fornacis.* Imò Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram; acriusq; contriti cordis lacrymâ, quàm flammâ infernalis incendiij torqueatur. Quare uti S. Mamertus Præsul, cùm Urbem Viennensem in Gallia incensam vidit, monuit aquâ potius oculorum, quàm fluminum restingendam: ita nos cùm post peccatum ruinas & incendia animæ nostræ contemplabimur, cisternas oculorum laxemus. Si enim ex Rabbinorum commento Deus ipse, quoties calamitatum, quibus Judæi post everisionem Jerosolymæ subjecti sunt, reminiscitur, toties geminam lacrymam in Oceanum mittit; quantò magis par est, ut quisque videns civitatem suam, videns animam suam, peccatis everfam & destructam, gemat & fleat super illam.

Pet. Cellē.  
l. de panib.  
c. 12.



DOMI-

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

ALLOCVTIO III.

## Quomodo Deus homines visitet.

*Quòd non cognoveris tempus visitationis. Luc: 19.*

Societas & conversatio humano generi adeo propria semper fuit, ut hominem non tam ab humo, quod passim clamatur, quàm à Græco *συννοσίο* (quod est *concordo, consentio*) cum Varrone appellatam existimem. Est enim, inquit ille, homo omnium animalium maximè sociabilis, quia,

*Arist. l. 1. de rep. c. 2.* Philosopho docente, insitum habemus à natura societatis & communionis

(a) *idem l. 9. Eth.* appetitum: *solitario difficilis vita, (a)* nemoque reperitur, cui non sanctius sit

(b) *Senec. ep. 61.* cum quolibet esse, quàm secum. (b) Hinc jam inde ab exordio Mundi dictum divinitus: *non est bonum esse hominem solum.* Et per os Sapientis:

*Gen. 2. 18.* *melius est duos esse simul, quàm unum:*

*Eccl. 4. 10.* *habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero fulciatur. Ut soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Erravit tamen non parùm

*Arist. l. 1. de rep. c. 2.* meo iudicio Philosophus, cùm hominem solitarium aut Deum, aut bestiam pronuntiavit. Licet enim bestiarum propriissima sit solitudo, Deo tamen

& ipsi adeo insolita, ut præterquam quòd ad intrà personaliter sit trinus, in delicijs summis habeat cum hominibus conversari, & ad eos visitandi gratià expatiari. Est quippe homini, ut loquitur Cicero, cum Deo rationis societas: socijs autem nihil tam com-

*Cicer. 1. de leg.* mune, ac sese invicem frequentissimè

videre, salutare, alloqui, & unà convenire. Vnde visitatio Grammaticis aliud nihil est, quàm *frequens visio*, & visitatores, qui videndo circumeunt.

Quia verò visitationum varia sunt genera, varijsque fines, nam alia est familiaris, alia Ecclesiastica, politica, religiosa, alia œconomica, ostendam nunc, quomodo Deus circa nos singulas exerceat.

Et primò visitat nos visitatione officiosa sive familiari, qualiter aliquando visitavit S. Gertrudem, ut ipsamet in libello suo describit his ferè verbis: *anno ætatis meæ vicesimo sexto, in illa mihi saluberrima feria secunda, ante festum Purificationis castissimæ Matris tuæ, horâ satis optabili, post Completorium in initio crepusculi, tu veritas Deus omni luce serenior, sed omni secreto intimior (qui densitatem tenebrarum mearum fugare decreveras) conversionem meam blandè leniterq; exorsus es, cum sedatione turbationis cujusdam, quam ante mensẽ in corde meo excitaveras; quâ quidem turbatione (ut credo) destruere nitabar is turrim vanitatis & curiositatis meæ, (quam superbia meæ erexerat in me ipsa, licet inaniter nomen & vestem religiosam gestarem) ut vel sic invenires iter, quo ostenderes mihi salutare tuum. Igitur, dum horâ, quâ dixi, starem in medio dormitorij*

*nostræ*

I  
DEVS NOS  
VISITAT  
VISITATIONE  
OFFICIOSA.  
INSINUAT:  
DIVINAE PIETATIS  
L. 2. C. 1.

nostri, ecce video te dulcissimum amato-  
rem & redemptorem meum, prae filiis ho-  
minum formam speciosum, in specie quidem  
honesti & amabilis juvenis quasi sedecim  
annorum (ita enim dignabaris immensam  
gloria tua claritatem imbecillitati capaci-  
tatis meae attemperare) mihi adstantem,  
blandis lenibusque verbis dicentem: cito ve-  
niet salus tua, quare morore consumeris?  
Quae cum audissem, vidi te tua pranobili  
& delicata dextera tenere dexteram me-  
am, quasi haec verba stipulando firmares,  
& adjecisti dicens: cum inimicis meis  
terram lambisti, & mel inter spinas linxi-  
sti; tandem revertere ad me, & ego susci-  
piam te, ac torrente divina voluptatis mea  
inebriabo te. His igitur & alijs dignan-  
tissimis vocationis tuae primitiis, vanam  
mentem meam illuminans & molliens, ab  
amore inordinato literarum, & omnium  
vanitatum mearum tuam internam unctio-  
ne abstraxisti, ita ut externa cuncta, quae  
paulo ante mihi sapuerant, o Deus cordis  
mei, mihi protinus vilescerent, & tu solus  
infecto palato anima mea sapere inciperes.  
Quod cum Gertrude Deus, hoc defa-  
cto agit cum ijs, quibus pios instinctus  
in cor immittit, quos a vita licentiosa  
ad strictiorem, a corrupta ad sanio-  
rem, ab imperfecta ad sanctiorem revocat.  
Haec illius amica visitatio, hoc signum  
benevolentiae maximum, hoc socie-  
tatis certissimum argumentum. Cum  
socij se mutuò visitant, plerumque me-  
rendam aliquam sibi instruunt, ple-  
rumque alter alterum ad mensam in-  
vitat. Sic cum Antonius visitaret Pau-  
lum, corvus, qui antea semper Paulo  
dimidiatum panem attulerat, inte-  
grum detulit, quo abscedente: *eja, in-*

quit Paulus, Dominus nobis prandium  
misit, verè pius, verè misericors. Atque  
ita cum gratiarum actione ad fontem  
unà epulati sunt.

Similiter Deus, quando amicè ali-  
quem visitat, nunquam id facit sine bo-  
na merenda, sine prandio, aut cœna.  
Apocalypseos c. 3. protestatur: ecce sto  
ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi  
jannam, intrabo ad illum, & cœnabo cum  
illo, & ipse mecum. Hoc est, ut nonne-  
mo explicat, pulso per inspirationem  
& gratiam excitantem, quam si homo  
in cor admiserit, eique consenserit, in-  
trabo ad illum quasi ad hospitem meum  
per gratiam justificantem, & cœnabo  
cum illo, hoc est, familiaris illi ero, &  
amicus, agamque cum eo uti hospes  
cum conviva, & conviva cum hospite;  
vel, ut Rupertus, cœnabo cum illo, hoc  
est, delectabor bonis conscientia illius, post-  
ea verò & ipse cœnabit mecum, id est, post  
mortem in cœlo eternis bonis & delicijs  
perfruetur. Sed sæpe contingit bono

Deo, quod B. Francisco Borgiæ Socie-  
tatis Iesv Praeposito Generali contigif-  
se memorat Latinus ejus vitæ scriptor: *And. Schot. l. 2. c. 12.*  
Pintiâ ille seriùs aliquando egressus,  
moraque in itinere injectâ Septiman-  
cam intempestâ nocte, altero inde la-  
pide dissitam, accessit. Fores Collegij  
pulsat: multa tum cœlo nix decide-  
bat; frustra tamen ad alteram noctis  
vigiliam, captis arctissimo somno so-  
cij, expectat, dum fores paterent; ja-  
nior enim domûs longiùs à porta ab-  
cesserat. Tandem aliquando intro-  
missus, tantum abest, ut molestè mo-  
ram, cœlique intemperiem tulerit, ut  
magnum inde fructum pietatis repot-

Kk

târit.

târit. Sic Deus saepe ad ostia cordium diu stare cogitur, & quantumvis fortiter pulset, non tamen à somnolento janitore voluntate exauditur, quandoque etiam contumeliosè repellitur. Neque inde, ut beatus ille vir lætatur, quin potiùs, ut in hodierno Evangelio, flet, lacrymatur, & clamat: ô ingrate homuncio, ô si cognovisses tempus amicæ visitationis tuæ!

II. Visitatio-  
ne Eccle-  
siastica.

Conc: Trid.  
sess. 24. c. 3.  
de reform.

Anast. in  
Symmach.

Sunt præterea visitationes aliæ Ecclesiasticæ, aliæ politicæ. Ecclesiasticæ fiunt per Patriarchas, Episcopos, Abbates, aut generales Vicarios, de quibus Concilium Tridentinum ita decernit: *Patriarchæ, Primate, Metropolitanæ & Episcopi propriam Diocesim per se ipsos; aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem (ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur) visitare non præmittant.* Earum autem præcipuus scopus ac finis esse debet; *sanam & orthodoxam doctrinam expulsis hæresibus inducere, prævios mores corrigere, populum ad religionem, pacem, pietatem, Dei honorem, erga alios superiores debitam reverentiam accendere, cunctaq; secundum temporis ac locorum rationem providè ad adificationem fidelium & divini cultus augmentum constituere.* Similiter in politicis, ait Anastasius Bibliothecarius, erat olim Visitatorum, ordo sive Magistratus, cujus erat Provincias cum potestate obire, & si quæ emendanda corrigere. Visitationes istæ tametsi optimo fine institutæ, multis tamen (& ijs præsertim, qui mune-

re suo ritè non funguntur) odiosæ plerumque sunt. Hinc S. Carolus Borromeus in hoc visitandi officio accuratissimus tantum apud suos incurrit odium, ut etiam nonnemo ferreæ fistulæ laxatâ rotâ glandem plumbeam (divina tamen vi impetum cohibente) in ipsum ejaculari non dubitaverit.

Deus tanquam summus in Ecclesiasticis Pastor, & *Episcopus animarum nostrarum*, in politicis verò Princeps, visitat & ipse accuratissimè in persona propria dioceses & Provincias suas, lustratq; ut ordinis & recti amantissimus est, an rectè ordinateq; agantur omnia, & sicubi locorum excessum aliquem animadverterit, si in hac vel illa civitate, provincia, diocesi, corruptos mores deprehenderit, tum enim verò pro visitatoria potestate censuras, anathemata, excommunicationes tonare, carceres decernere, gladium stringere, omnis generis plagas, mortemq; ipsam intentare. Et sic faciebat Israelitis, quos cum fortè à data sibi regula & disciplina deflexisse intelligeret, statim protestabatur: *visitabo in virga iniquitatem eorum, & in verberibus peccata eorum.* Passim in sacris literis visitare pro punire accipitur; ut apud Isaiam. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi, & forti.* Et c. 29. 6. de Jerololyma: *à Domino exercituum visitabitur in tonitruo.* Apud Jeremiam c. 27. 8. *quicumq; non curvaverit collum suum sub jugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus.* Sic & Job percussus ulcere pessimo, visitatum se à Deo fatetur. *Visitatio tua, inquit, custo-*

Psal. 88. 33.

Isa. 27.

Job. 10. 12.

*custodivit spiritum meum.* Rigida certe visitatio, sed uti dixi, cum primis salubris, quæ non idcirco odiosa esse debet, si quandoque nobis supervenerit, si hostilis fremat gladius, si morbi corpus divexent, si pestifera grassetur lues, si premat egestas, si molesta stimulet famines: hæc enim omnia ad nostri correctionem faciunt, ut patet in antiquis Judæis, quos cum Deus plagis gravibus affligeret, & occideret, quærebant eum, & revertebantur ad eum.

Pf. 77. 34. III.

Visitatio-  
ne religio-  
sa.

Luc. 24. 18.

Quid porrò de visitatione religiosa, quæ devotionis ergò ad loca sacra fieri solet, dicam? Neque hæc Deo peregrina est, quem subinde in specie peregrini legimus comparuisse. Imò nihil tam illi proprium, ac pium peregrinum agere: cum enim merissima sit sanctitas, nullibi libentiùs versatur, quàm in locis sacris, quàm in Ecelesijs, & templis.

1. Cor. 3. 1. 7.

2. Cor. 6. 16.

Homines justii Dei templa vocantur ab Apostolo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et: *vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Ad hæc ille templa libentissimè ambulat, hæc illi usitatissima visitatio: hic anathemata pretiosa suspendit; hic dona & oblationes magnificas congerit, qualia sunt dona Spiritus S. item fructus Spiritus: *gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas;* hic prægrandes cereos illustrationum divinarum accendit; hic per integros dies & noctes psalmodiæ interest, *concentu enim virtutum nihil est suavius.* Apud veteres Christianos tanta erat templorum reverentia, ut etiam illorum ja-

Gal. 5.

nas ingredientibus oscularentur, teste Cyrillo. Sed nec minorem templis suis reverentiam habet Deus, qui quoties per gratiam habitualement animam, justii intrat, toties osculum illi imprimit. Gratia enim habitualis ex doctrina Theologorum trahit secum Spiritum Sanctum; hic autem juxta Bernardum non est aliud, quàm *osculum Patris ad filium.*

Cyrrill. Ca-  
tech. 5. my-  
stag.

Leff. l. 12.  
de perfect.  
div.  
Bern. ser. 8.  
in Cant.

Sed jam ad visitationem œconomiam animum advertamus, quæ Patres familias fundos suos, villas & prædia, agros & hortos, domum & familiam, subinde visitare solent, ut dispiciant, an omnia suæ respondeant expectationi, & quis ex singulis fructus proveniat. Commendat seipsum ex eo David, cum alicubi gloriatur: *perambulabam in medio domus mea,* quo (ut commentatur hic Lorinus) denotat sollicitam curam domus, & diligentem perlustrationem, atque visitationem, totius familiæ. Talis & Patriarcha Joseph, qui assumptâ Egypti procuratoris, ut ait Philo, obibat ejus regionis *Præfecturas & oppida.* Nempe

IV.  
Visitatio-  
ne œcon-  
omici  
ca.

Psal. 100. 2.

Philo l. de  
Joseph.

*Sedula ni famulos urget presentia Homerus.  
Regis*

*Nil quod opus factu est, ignava hæc  
turba sequetur.*

*Oculus Domini, quam citissime equum  
pinguem reddit.*

Deum esse œconomum nullum est dubium, cum ab ipso Christo Paterfamilias & Agricola appelletur: *simile est regnum cælorum homini Patrifamilias. Pater meus Agricola est.* Nemo mihi credite ad œconomiam suam tam vigi-

Matth. 20.  
Ioann. 15.





- Gen. 2. 8.* lans fuit. *Plantaverat sibi paradysum voluptatis à principio; proposueratque ei hortulanum hominem, quem paulò antè formaverat. Medius vix transierat dies, cum statim post meridiem eum, circumire & visitare cœpit, hortulanumque inclamare: Adam ubi es? Quorsum hæc inclamatio? ut ab eo rationem culturæ, & fidelitatis exposceret, quem quia infidelem deprehendit, protinus eiecit, melioremque horti custodem Cherubim præposuit. Sic apud Lucam c. 13. tacito suo nomine commemorat, se jam per tres continuos annos exire in vineam, & visitare ficulneam, quam istic plantatam habebat.*
- Luc. 13.* *Ecce (inquit ad cultorem vineæ) anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, usq; dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam. Per hanc ficulneam communiter Interpretes hominem intelligunt, multum enim commune habet homo cum arbore, ut ille cæcus dixerit: video homines velut arbores ambulantes. Visitat cœlestis œconomus, quàm frequentissimè hanc arborem, quærens in ea fructum bonorum operum, quærens aliquam ficum devotionis, dulcem gutturi suo, vel pomum verecundiæ. Quod cum non invenit, semel atque iterum tristis abscedit, & lamentatur, ut apud Micheam: *ve mihi quia factus sum sicut homo colligens in autumno racemos, non est botrus, non est ficus, ad manducandum. Tandem, cum terque quaterque spe sua frustratus est, indignatione commotus mandat illius Colono Angelo Custodi, succide eam. Sine perire hunc improbum, hunc infructuosum Adolescentem, sine ut in suis sceleribus, spurcitijs, & fœditatibus pereat; sine ut flammis infernalibus comburendus cedat, sine ut à morte tempestivè præsecetur: ut quid inutiliter terram occupat? ut quid in Ecclesia mea, in cœtu Iustorum, in Congregatione Sodalium Marianorum, nisi ut alios corrumpat, diutius moratur? succide eum. Ad hæc bonus Angelus (qui extrema in similibus tentare solet) inducias saltem unius anni poscit, dum interim perversum Juvenem non desistat fodicare, stimulis & scrupulis salutaribus potentissimè perurgere, simum circumponere, mortem, sepulchrum, vermes, fœtorem, Inferni menti obijciendo. Quæ omnia ubi nihil profuerint, tum demum & ipse à cultura manum retrahere, executionemque divinæ sententiæ Tartareo genio committere. Hic infelicissimus Juvenis, posteaquam se in flammis projectum videt, posteaquam iusto plus calere, uri, & Tartarum sentire incipit, tum primùm miserabiliter exclamat: *ô si cognovissem tempus visitationis meæ!***
- Mich. 7. 1.*
- ☉)(☿)(♁)

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Omnis superbus monstrum.

*Non sum sicut ceteri.* Luc: 18.

Hist. Lombard. festo S. Andrea legenda 2.



I verum est, quod D. Andream Apostolum ænigmatis subinde intermentas à Dæmone tentatum, scriptor antiquarius respondisse memorat, maximum naturæ miraculum censerī debere, in tanto hominum numero nullum alteri quoad exteriorem speciem omnino similem reperiri; quilibet nostrum AA. citra arrogantiā posset dicere, *non sum sicut ceteri*: quia tamen Philosophiā Magistrā didicimus, omnes homines individualiter tantummodo differre, eandemque specie singulis naturam & substantiam, easdem passiones & affectiones, sensus & potentias inexistere, legitime consequitur, pari cunctos prædicatione esse prædicandos. Docet hoc inter alios non minùs subtilis Philosophus, quàm facundus Orator Tullius, dum ait: *nihil est unum uni tam simile, tam par, quàm omnes inter nosmet ipsos sumus. Itaq; quæcunq; est hominis definitio, una in omnes valet.* Aristoteles non unam, sed conglobatim plures dedit; interrogatus enim quid esset homo? respondit: est *imbecillitatis exemplum, temporis spoliū, fortune lusus, inconstantia imago, invidie & calamitatis trutina; reliquum verò pituita & bilis.* Alij sic definiunt: *homo est esca vermium, versatile sepulchrum, fragile simu-*

Cic. l. 1. de legib.

Stob. serm. 96.

*lacrum, tenuis umbra, spirans cadaver, viva mors.* Jam ergo nescio juxta quam Philosophiam potest & audet hodiernus Phariseus Deo gratias agere, quòd non sit *sicut ceteri hominum.* Itane ipse unus & solus in tota humana specie aliquid speciale habet, quod reliquis non conveniat? Si hoc concedit, evidenter inferam, ipsum esse *monstrum.* Monstrum enim Philosopho definiēte est: *effectus naturalis, a recta & solita dispositione speciei notabiliter defleēns.* Quam definitionem de quolibet superbo prædicari posse discursu præsentis probabo.

Sapientissimus rerum artifex Deus, cum omnia perfectissimè in mensura, & numero, & pondere disposuisset, omnibus terminum certæ magnitudinis & parvitatis definiuisset, ipsum Protohominem in statura justissima condidisset: nescio tamen quæ fiat, quòd plurimi staturâ suâ naturali, (quæ juxta Physicos octo palmorum summum est) nequaquam contenti, altiorem usque & usque appetant, & non tantum *cubitum unum* (ut Christus alicubi ait) ad illam adjicere; sed eâ insuper proceritate velint videri, quæ cælum ipsum tangere, & ad astra sese extollere valeant; quales ex Ægyptiacis fabulis his ferè verbis describit Franciscus Patri-  
cius: "in primo annorum ambitu ho-

mines

Sap. 11. 21.

Matth. 6.

Fran. Patric. dial. 3. de hist.

- „ mines fuerunt usque adeo grandi cor-  
 „ pore, ut pedibus in terra nixi, capita  
 „ inter sidera conderent, & Emepimos  
 „ fuisse appellatos; atque secutos deinde  
 „ alios annorum successu Phraimos no-  
 „ mine paulò minores, sed qui tamen ca-  
 „ pitibus nubila contingerent: quos alij  
 „ item grandes secuti postea sunt, in Æ-  
 „ gypto Gygini nuncupati; vos, puto, Gi-  
 „ gantes, appellatis. Talis ille apud Pli-  
 „ nium, cujus corpus in insula Creta, ru-  
 „ pto terræ motu monte, stans repertum  
 „ est quadraginta sex cubitorum, quod  
 „ alij Orionis, alij Oti fuisse tradiderunt.
- Plin. l. 7. „  
 nat. histor. c. 16.
- Delri. l. 5.  
 quest. ma-  
 gic.
- Talis unus alius apud Delrium, cujus  
 cadaver in Mazerano agro à camenta-  
 rijs effossum cubitorum viginti, caput  
 erat instar dolij. Talis Tityon, de quo
- Isid. l. 11. c.  
 13.
- D. Isidorus: *quantus fuit Tityon, qui,  
 teste Homero, novem jugeribus jacebat  
 vel, ut Virgilius canit;*  
*- cui tota novem per jugera corpus  
 Porrigitur.* Talis Og Rex Balan, cujus  
 lectus ferreus monstratur, qui est in Rab-  
 bath filiorum Ammon. novem cubitos ha-  
 bens longitudinis, & quatuor latitudinis.  
 Quem Hebræi (an sincerè, non disputo)  
 dicunt non fuisse lectum virilem, sed  
 cunas infantiles, quasi jam tum infans  
 adeo præcerus fuisset. Divus vero Au-  
 gustinus testis omni exceptione major,  
 videt, inquit, ipse, non solus, sed aliquot  
 mecum, in Vricensi litore, molarum homi-  
 nis dentem, tam ingentem, ut si in nostro-  
 rum dentium modulos minutim con-  
 scinderetur, centum nobis videretur face-  
 re potuisse. Proh! qualia, quàm horren-  
 da monstra, ipsosque Dæmones imi-  
 tantia; nam & hi in scriptura frequen-  
 ter Gigantum nomine appellantur, uti
- Prov. 21. *Vir qui erraverit à via doctri-  
 na, in cætu gigantum (hoc est, ut pleri-  
 que exponunt Dæmonum) commorabitur.* Et Isaias c. 9. *Subfannans Baltha-  
 rem superbum; infernus conturbatus est  
 in occursum adventus tui, suscitavit tibi  
 Gigantes.* Animadverto, monstrorum  
 ejusmodi nullam aliam esse causam,  
 nullam aliam parentem, ac superbi-  
 am. Superbus enim, ait Isidorus,  
 dicitur, *qui supra vult videri, quàm est:  
 qui enim vult supergredi, superbus est.* Et  
 Poëta *superbum* pro alto frequenter u-  
 surpant; ut *tecta superba; sedes superbas.*  
 Altus nimium, imò altissimus volebat  
 esse Lucifer, cum dicebat in corde suo:  
*in cælum conscendam, super astra DEI* Isa. 14. 13.  
*exaltabo solium meum, sedebo in monte te-  
 stamenti, in lateribus Aquilonis.* Cur  
 non potius in lateribus Austri? quia,  
 (ut respondet Lyra) *altitudo Mundi se-  
 cundum hominum apparentiam est in polo  
 Aquilonari, qui est nobis semper manife-  
 stus, & super nostrum hemisphærium ele-  
 vatus, juxta illud Poëtae:*
- Hic vertex nobis semper sublimis, at  
 illum*  
*Sub pedibus styx atra videt, manesq;  
 profundi.*
- Sed enim quàm pulcher & decorus e-  
 rat, dum parvus manebat Angelus, tam  
 turpis evasit, postquam se extendit ut  
 gigas, adeoque turpis, ut S. Francisca  
 Romana potius elegisset insilire in forna-  
 cem ardentem, quàm videre malignum  
 spiritum; imò (quemadmodum S. Ca-  
 tharina Senensî dixit subinde Deus Pa-  
 ter) *singuli homines experti ejus fœdi-  
 tatem, eligerent potius habere omnes pœ-*
- Isidor. lib.  
 etymol.
- Ovid. l.  
 Metam.
- l. 5. Vit. c.  
 11.
- Dial. c. 38.  
 ras

c. 50. vite. *nas vita presentis, quam cum in sua figura videre.* Beata verò Catharina Genuensis viso Dæmone protestata est, fuisse sibi talem aspectum ita intolerabilem, ut se mallet in infernum demersam, quam sustinere visionem tam deformem. Vulgò dicimus: omne parvum gratiosum; vel ut Gregorius Nazianz: *gratia parvis comes est.* Sic ipsi Angeli, quibus nihil gratiosius, parvi plerumque pinguntur. Sic pupuli & pupula, sic buculi & bucula, sic bestiarum catuli dum teneri manent & luscitant, in delicijs, in amoribus habentur, in sinu foventur, manibus mulcentur & tractantur: at ubi in grandem processerint molem, ubi ex urtulo fit ursus, ex bosculo bos, tum omnibus terrori esse incipiunt, ab omnibus declinantur. Gratiosus imprimis erat mysticus ille leonæ catulus, \* sed quamdiu inter leunculos nutriebatur: quam primum verò factus est leo, & didicit prædam capere, hominemq; comedere, quanto non terrori univ. (æ Judææ fuit, quanta non odia adversum se suscitavit! adeo ut convenirent adversus eum Gentes undiq; de Provincijs, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis, miseruntq; eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra supra montes Israël.

Sic planè evenit inter homines. Donec quispiam in oculis suis parvus perseverat; donec de semetipso summissè sentit ac loquitur; donec eum se agnoscit, qui revera est, facitè omnium amores & corda sibi vendicat: sed enim cum de leunculo fieri leo, cervicem at-

tollere, jubas erigere, alios despiciere, astris æquare sese cœperit, quis talem non averfatur? quis non ejus conversationem declinat? quis non ut teterrimum monstrum pertimescit? Apud Famianum Stradam festivus quidam gerro monstrum sibi notum memorat; cui nasis tam ampla porrectus extabat mole, ut eum emungere nequiret; quippe multò major erat, quam ut manu apprehendi posset, tantoque ab auribus distabat intervallo, ut dum sterneretur, non nisi longo post tempore sonus ad aures perveniret. In naso ut plurimum superbia residet; hinc qui alios aspiciuntur, nasum crispare solent, ideoque vocantur *nasuti*. Quales Romanos superbos describit Poëta:

*Majores nusquam rhinchi, Irve-  
nesq; senesq;  
Et pueri nasum rhinocerotis ha-  
bent.*

Strada pro-  
lus. Acad.  
pist. subur.

Mart. l. i.  
epig.

Sed non difficile est imaginarijs ejusmodi nasis præcidendis Chirurgum reperire; ut cuidam factum memorat Levinus Lemnius. Putabat ille sibi nasum in immensum excrevisse, ut elephantis proboscidem circumferre videretur. Chirurgus itaque phantasi- am hac arte exemit: longum farcimen naribus applicuit, arreptaque novacula illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem aliquantum perstrinxit, ut sanguis deflueret; sicque ei nasum imaginarium avulfit. Denasavit non semel cum summa ignominia nasutissimos, & superbissimos Pharisæos ( quibus hodiernus Evangelista hoc dat elogij, quòd *in se confidebant,* & asper-

Ioann. 8.

asfernabantur ceteros) denasavit; inquam, optimus superbiorum curator. Christus, cum eos subinde ad ruborem sanguineum perstrinxit, ita ut non possent ei respondere verbum: nusquam tamen luculentius, ac dum coram eo statuerunt adulteram, animo ipsum tentandi: *Magister*, inquires, *hec mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? IESVS* autem (pergit Evangelista) *inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, & dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem unus post unum exhibant, incipientes a senioribus. Communiter docent Interpretes, Christum cuiusque illorum peccata occultissima in pulvere descripsisse, quæ ipsi legentes, & à circumstantibus vicissim legi existimantes, rubore maximo suffundebantur, & idcirco latebras quærebant tanquam denasati, quod inhonestum, vulnus appellat Poëta describens apud Inferos Deiphobum maritum Helenæ.*

Virgil. 6.  
Æneid.

*Atq; hic Priamidem laniatum corpore toto  
Deiphobum vidit, læceram crudeliter ora,  
Ora, manusq; ambas, populataque tempora raptis  
Auribus, & trunco ac inhonesto vulnere naræ.  
Vix adeo agnovit pavitantem, & diræ regentem  
Supplicia - -*

Ite, ite turpissima monstra, latebras quarite, per nasum vos arripite, dicite, crepate: non sumus sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri; lapides, si audetis, in mulierem mittite, ipsi mille lapidationibus dignissimi. Est plerumque hæc Pharisæorum sive cæcitas, sive nequitia, ut in alijs observent, sugillant, carpant, & castigari cupiant ea, quorum ipsi maximè vel rei sunt, vel ignari. Prodeat in pulpitem Orator aliquis, Poëta, Ecclesiastes; protinus crispato naso solennes suos rhonchos emittunt: trita nimis ista, triobolaria, titivilitio digna; nihil singulare, nihil doctis auribus dignum, meliora vel dormiens, cerebroque sopito conciperem. Sed si totum sibi frangant caput, si totum distillent cerebrum, non unum ingeniosum aut acutum conceptum expresserint. Talis ille Lælius apud Martialem, quem hoc carmine perstringit:

*Cum tua non edas, carpis mea carmina Læli,  
Carpere vel noli nostra, vel edo tua.*

Mart. l. i.  
epig. 74.

Stupidorum plerumque vitium est omnia carpere, qui cum ipsi nihil possint, censendis alijs hoc moliantur, ut aliquid posse videantur. Rectissimam proinde de talibus censuram cocus Ducis Mediolanensis tulit. Petijt ille à Principe, uti se asinum faceret. Causam rogatus: video enim, inquit, omnes eos, quos extulisti, præ superbia asinos evasisse.

Quid quod etiam stolidos boves ex hominibus faciat superbia? Luculentum huius metamorphoseos exemplum

Dyexel.  
Phæc. c. 56  
§. 1. de vitæ  
exp. ling.  
Poggius in  
facet.

plum patet in Nabuchodonosore Rege Babylonis. Fastus illum nimius eo extulerat, ut se Dijs parem crederet. Aliquando verò in aula Regiæ suæ deambulans, urbisque majestatem, stru-cturæ elegantiam, turrium celsitudinem considerans, verso ad Aulicos vultu jactabundus gloriabatur: *nonne hæc est Babylon magna, quam ego edificavi in domum Regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Et ecce, cum sermo adhuc esset in ore ejus, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex; ab hominibus eicient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes.* Quæ omnia eadem horâ completa sunt super eum; nam & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium. Proh qualis metamorphosis! qui antehac in delicijs nutriebatur, cui omne lauticiarum genus in gulam deserviebat, nunc fœnum & sectile gramen pro cibo habet; qui prius gratiosè comptus volitantem per humeros cæsariem calamistris crispabat, nunc ferarum in morem hirsuto totus corpore horripilat; cujus frontem regium diadema cingebat, nunc turpia ambiunt cornua; cujus digiti rubinis, chrysolithis, & adamantibus micabant, nunc vulturinis hamantur unguibus; qui svaveolentibus balsamis rorabat, nunc rore cœli madet; qui purpurâ nitebat, nunc luto fordet; qui cubabat in plumis, nunc in cespite; qui sub auratis manebat tectis, nunc manet sub Jove frigido; qui generosis vehebatur equis,

nunc humi cepit; qui frequenti Satraparum, Principum, & aulicorum stipabatur famulatio, nunc inter leones & pardos commoratur. O Nabuchodonosor! tunc ille Nabuchodonosor?

*Heu mihi qualis eras, quantum mutatus ab illo!*

Utinam te intra terminos humanitatis continuisses, utinam mansisses, sicut ceteri, numquam certè in tam turpe monstrum degenerasses. Rectius sapientissimus Princeps & Imperator Carolus V. qui posteaquam Franciscum I. Galliæ Regem è Ticinensi prælio captivum abduxisset, illeque Madriti in pariete Caroli simbolo (*plus ultra*) lecto, cancrum per ludibrium appinxisset, cum lemmate *plus citra; hodie mihi cras tibi: nihil ad hæc succensens Victor, sed submissè prorsus ac verè de se ipso sentiens, subjungi jussit: homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Sic Philippus Macedo quovis manè per ephebum ter sibi occlamitari volebat: *Philippe homo es.* Nulla sapientior, nulla sanior cogitatio; unde Simonides Philosophus ad convivium à Pausania vocatus, cum rogaretur, ut quidpiam è Philosophiæ arcanis in medium adferret, quod documento foret omnibus, nil aliud respondit, quàm: *memineris te hominem esse.* Idem dogma Romæ triumphantibus à tergo accinebatur. Hieronymo teste. Multi cum ex humili fortuna in sublime emergunt, tanquam Dij aliqui adorari volunt, & jam quasi alij essent ac antè, nec pa-

Ll triam,

Dan. 4. 27.

l. l.

56

vi.

in

†  
Berg Feide/  
Iphal Wald

hom. 38. in  
Gen.

triam, nec parentes & propinquos ul-  
trà noscere, pristina nomina pro con-  
vitijs habere, nova nescio à quibus  
montibus, campis, vällibus, sylvis † si-  
bi confingere, ritulos quàm longissi-  
mos affectare, & coëmere, eos, à qui-  
bus beneficia, imò alimenta priùs per-  
cipiebant, nec salutatione dignari. Sed  
vel hâc ipsâ arrogantia suâ documen-  
ta dant, quâ sint origine nati. *Ser-  
rum enim mos est*, inquit Chryosto-  
mus, *ut cum parùm eis prosperitatis aspi-  
raverit, nequeant intra suos limites ma-*

*nere, sed statim sui ordinis obliviscantur.*  
Et Itatorum proverbium est: *quando  
rusticus conscendit ficum, non agnoscit  
parentem nec amicum.* Honores  
plerumque mutant mores; non tamen  
corporis humores. Idem in divite,  
sanguis qui fuit in paupere, eadem pi-  
tuita, eadem bilis, ac proinde sive quis  
rusticus, sive nobilis audiat, denique  
homo est; & sive Rex aut civis, uter-  
que aliud non est quàm pulvis  
& cinis.

†



DOMI-

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

ALLOCVTIO II.

## Triplex superborum valetudinarium.

Sicut cateri. Luc: 18.



Allidissimus Orci quadruplator, posteaquam pestilentissimum ambitionis virus protoparentibus propinavit, universum humanum genus adeo corrumpit, ut humana sorte minimè contentum, Divinitatis sibi arroget honores. Nimirum perquam profundas radices egit in nobis virulenta illa herba: eritis sicut Di. Non est quod hic memorem Alexandros, non est quod adducam Domitianos, quorum ille Jovis, hic Minervæ (sua tamen uterque opinione) filius, non citiùs se homines, non citiùs cæteris pares cognoverunt, quàm consveta omnibus hominibus experimenta subierunt: non est, inquam, quod memorem Alexandros, quando hodiernus quidam Phariseus, homuncio aliàs vilis, & (liceat verbis Salvatoris uti) gemmen viperarum, sepulchrum dealbatum, super omnes sese audet extollere, & inflatis fastu turgido buccis, Luciferianum illud crepare: non sum sicut cateri. O superbiam! ô dementiam intolerandam! Itane Phariseæ cæce non es sicut cateri? Dices saltem.

Aug. serm. (cum Augustino te alloquor) non sum sicut multi homines. Et licet Cajetanus

Dom: à tanta eum dementia vindicare conetur, dum ait: non est iste Phariseus tam desipiens putandus, ut se reliquo humano

generi præferat; ego tamen cum Augustino & Barradio crediderim illum indefinitè se hominibus prætulisse. Quid est enim, ait Hipponensis Doctor, cateri homines, nisi omnes præter ipsum? Sed bene scribit Hebræorum Aristoteles Philo: quilibet arrogans insana opinione inflatus, non tam virum aut heroem, quàm Genium quendam se existimat, transcendens humana natura terminos. Est autem nec animi satis compos, nec corporis, toto habitu, gestuq; morbum præferens. Incedit summus pedum digitis, cervicem in morem equi erigens, attollensq; se supra naturæ modulum: arbitratur omnium seditissimum, nobilissimum, pulcherrimum, prudentissimum, justissimum. Alios vero habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, imprudentibus, injustis, insipientibus, nihilq; homuncionibus. Sic Philo. Anticyras ego omnes hujusmodi morbidos ducam, ijsque salutare helleborum proponam, quo persanati discant esse sicut cateri.

Tria potissimum in orbe Pharisæico hoc morbo laborantium animadverto: prostare valetudinaria. In primo sunt formosi; in altero Nobiles & Generosi; in tertio docti & ingeniosi. Libet singula invisere.

I.

Et ecce in ipso primi valetudinarij Valetudinimine occurrit mihi è lactucis prodianarij formosus ens Phaon totus bellulus, comprulus, mosorum.

Ll: 2:

cia-



cinnamulatus & venustus, qui à me salutatus, data cervice fastuosè respondet: quid tibi mecum? non sum sicut ceteri. Nam

*Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.*

Alian. l.

12.

Sed bone Phaon quisquis es, tametsi te Venus ipsa alabastro unguentisque donavit, quibus unctus speciosissimus omnium fieres, tametsi tibi modò in genis purpurant rosæ, tametsi labia instar lilij repanda, nasus aquilini instar rostri gratiosè aduncus, frons exporrecta, & eburnea, oculi vivaces, cincinnuli calamistrati, & in multiplices spiras egregiè retorti Charites ipsas referre videntur; tamen si te in speculo contempleris, advertes te esse, *sicut sunt ceteri.* Numa Pompilius Rex Romanorum in cubiculo suo speculum habuisse scribitur calvis defunctorum incinctum, quas inter elogium hoc legebatur: SPECULUM HOC NON FALLIT. Et de nobili quodam Hispano narrat Gallicus Scriptor eum inter varia spectati nitore & artis raræ specula, unum efformasse præ ceteris mirandum, quod nunc speciem speculantis venustam, nunc eandem horridam, cadaverosam, & mortualem repræsenteret. Non est, quod in Hispanias vel Italiam ejusmodi speculi videndi causâ proficiscamur; unusquisque formosus tale sibi & alijs speculum est. Patet id in formæ miraculo Helena, quæ tandem in turpissimam animum degeneravit, uti canit Poëta:

Ovid.

*Flet quoq; ut in speculo rugas conspexit amiles;*

Patet in Isabella Augusta Caroli V. con-  
R' ad. l. 1.  
vii. cap. 7.  
juge, quæ vivens alteram vultu referebat Helenam; at defuncta adeo horro-  
ri fuit, ut eâ visâ Franciscus Borgia, qui funus comitabatur, continuo Mundo renunciare decreverit, hæc tacitus secum: *i nunc, fragile illud forma bonum, demirare.* Patet in Narcisso, Adonide, Hyacintho & alijs formosulis, quos nequaquâ in flores, ut Poëta fabulantur; sed in vermes ac cineres cum reliquis conversos etiam nū plangimus. Rogatus aliquando Alphonsus Arragonum Rex quænam res Reges ac privatos; divites ac pauperes; formosos & deformes æquaret? respondit Laconicè: *cinis.* Sint specula præ alijs quantumvis nitida, perspicua, lævia, polita, dum integra manent; at ubi franguntur, & comminuuntur, cinis ea reliquis æquat; namque in suum, unde prodierant, abeunt cinerem, nec à rudibus discernuntur. Quisquis ergo formose te jactas, quòd non sis sicut ceteri, cinerem cogita, sepulchrales urnas inspicere & secerne Narcissum à Thersite, Helenam à Codro, Hippolytum ab Ætopo, Absalonem à Miphibosetho. Appositè iterum Philo: *ob formositatem corporis se jactare, & laudes aucupari, mentis compasso nemo poterit; cur ita? quia adeo brevi extinguitur tempore, ut antequam florescat, defloruisse videatur.* Pulchritudo exterior secundum Evripidem, est res *Helena infelix.* Secundum Chryso-  
ad Theodor.  
est gypsum sepulchro inductum, id est phlegma sanguine mixtum pulchre per pellem lapsum.  
pellucens. Speciosa a foris parent sepulchra dealbata & gypsata, laudantur, Magnifica & sumptuosa Mausolea, in-  
Matth. 23.  
27.

Philo l. de provid.

Evrip. in do exterior secundum Evripidem, est res Helena infelix. Secundum Chryso- ad Theodor. est gypsum sepulchro inductum, id est phlegma sanguine mixtum pulchre per pellem lapsum. pellucens. Speciosa a foris parent sepulchra dealbata & gypsata, laudantur, Magnifica & sumptuosa Mausolea, in- Matth. 23. 27.

tus verò, ut ipsa loquitur Veritas, plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Detrahe formoso pelliculam, & videbis quàm graciosus apparebit; videbis quàm putida subfit caro, quàm tetra defluat tanies, videbis quanta in ipso corpore lateat spurcitia, sentina & cloaca. Verè itaque (quod dixit Salomon) *fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Quid enim eâ fallacius esse possit, quæ aliud foris ostentat, aliud intus occultat? quid vanius, quæ ad minimam febriculam evanescit, unâ pustulâ, unâ verrucâ, cicatrice, deturpatur, unâ tonsione dehonestatur. Summum dedecus reputaretis, si cæsariem vestram per humeros volitantem, istasq; capillaceas segetes (in quibus colendis & comendis tantopere laboratur) se verus aliquis tonsor ad ipsam utque detonderet cutem: at velitis nolitis omnes promiscuè sic tonderi aliquando debebitis; mors omnes ad calvitium depilabit, nullius calva dicere poterit: *non sum sicut cetera.*

Prov. 30.

II. Nobilium

Sed jam alterum Pharisaicum valetudinarium adeamus. Hic varia oculos meos perstringunt insignia; hic positas longo ordine Imagines, stantesq; in curribus *Emilianos* intueor; hic omnes portæ frequenti custodiuntur famulatio; hic perpetui cursus & recursus. Inter hæc in holosericea sella ventripotens aliquis *Achemenes* sedet, qui me accedere volentem accessu prohibet, conspectu & alloquio suo dedignatur, inquiens: *Apage, non sum sicut ceteri.* Sed bone vir quisquis demum es, Chirurgo opus habes, qui tibi venâ incidat, & sanguinem tuum, quem ita

jactas, sanguini aliorum parem doceat. Audite quid ad hoc propositum jucundè quidam scribat. Disputabant, ait, à diebus non ita multis de claro sanguine Palatini duo; jamque ferro decidere tentabant, quod verbis non poterant. Audit litem, audit tumultum pugnantium chirurgus aliquis, audiunt vicini; certatim, ut in simili fit, accurrunt, pugnam dirimunt; alterum domum suam, alterum qui plagam acceperat, ad chirurgum deducunt. Dumque vulnus brachij obligatur, recrudescit interea vulnus animi. Execratur, diris devovet Antagonistam. Tum chirurgus graciosè: tantane, inquit, Domine, est inter vos de re tantilla contentio? Siccine sanguinè sanguini propugnando proiicitis, & prodigitis? Et ostensis ei phialis, in quas die illo sanguinem è multorum venis emiserat, ait: vides hunc, quem generosis viliusque venis eduxi? numquid omnis propemodum concolor est? numquid discernere potes inter sanguinem nobilem, & sanguinem plebeij? & sicubi fortè alter altero clarior videtur, non id nobilitas efficit; sed sanitas.

*Optimus est sanguis, qui sanus; cetera nuga.*

Pulchrè Satyricus:

*Stemmata quid faciunt, quid prodest  
Pontice longo  
Sanguine censeri? - -*

*Inven. Sat.  
8.*

Et quendam de nobilitate superbientem ita perstringit:

*Majorum primus quisquis fuit  
ille tuorum*

*Am*

*Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.*

*Drexel.  
Phaeth. c.  
44.*

Sed, ut ait Drexelius noster, is quorundam nostra praesertim aetate factus est, ut praeter se neminem aequè hominem, censeant, nisi pariter nobilem. Optarem ego prodiret ab inferis Marius magnus Romanae militiae Imperator, qui turgidos istos Deos ad formam reduceret. Exprobrabatur illi à nobilibus Romanis generis vilitas, quibus ille in oratione apologetica, quam pro se coram Senatu populoque Romano habuit, inter reliqua hoc praecclare reposuit: *Si jure me despiciunt, faciant idem Majoribus suis*, quasi diceret: contemnunt me, quòd non sim natus nobilis, sed recens ac novus, ergo contemnant etiam suos proavos & tritavos, quorum eadem conditio fuit, quae mihi nunc est. Refert mirabile, quid Delrio de Joanne Teutonico, qui obscuris aliàs parentibus, toroq; illegitimo natus, tamen propter singularem eruditionem eò dignitatum processit, ut ad Halberstadiensem Canonicatum solis alioqui Nobilibus dari solitum, sit promotus. Sed Collegae eum contemnebant, aversebanturque ut ignobilem & nullum: volabant passim sarcasmi, disteriorum spicula, scommatum aculei; quae ut retunderet Joannes, Collegas invitavit ad convivium, & inter reliquos mensae sales, ac lepores iniecit mentionem acroamatis magici, & quaerit; num suos singuli Parentes videre cupiant. Vbi sentit singulos ardere videndi desiderio, elicit malo carmine, umbras deformes, coeci, stabularij, mortionis, quorum facies illi se aliquando

*Sallust. in  
Lugur.*

in paternis domibus inter majorum, imagines conspexisse fatebantur. Suum deinde Patrem exhibuit habitu Sacerdotis pingui & obeso aqualiculo. Tum larvis dimissis ad convivas conversus: Eja, inquit, dicite bona fide, eccujus Patrem nobiliorem judicatis? At illi perterriti, & pudore suffusi suam quisque domum repetivè, nec ultra Joanni vitium sanguinis objècere. In Regno Mogor erat Imperator, cui solenne erat quemq; etiam vilissimum ob heroica facta ad dignitates provehere, hac tamen conditione, ut pro insignibus quisque haberet instrumenta sui opificij, faber malleum, sartor forfices, sutor subulam, &c.

Si hac aetate quisque, qui de nobilitate superbit, seque jactat non esse sicut ceteros, si, inquam, pro gentilitia sua, tessera Patris aut avi instrumentum, gestare cogeretur; quot putatis ulnam aut forficem, quot rutrum aut palam, quot rastrum vel strigili, pro insigni haberent? uti bene notavit Chrystomus, cujus haec est invectiva: *tu, qui magna de nobilitate Majorum jactas, ultra proavos atq; avos tuos si progrediaris, invenies multos è genere tuo agasones forsan aut caupones fuisse.* Et tamen, adhuc audes crepare: *non sum sicut ceteri?* Quàm verè dixit Mediolanensis Antistes: *multos ebrios fecere divitiae, nobilitas superbos.* Nemo verum se putat nobilem, nisi simul fastum aliquem & tumorem praefereat; ut merito Isidorus Aegyptius nobilitatem, definiat: *sanguinis fastum, & Joannes Sarisberienensis, sanguinis tumorem.* Rari sunt, quibus laudi dari possit, quod

*Literat. Ind.  
1590.*

*Chrys. hom.  
59. in Matt.*

*Ambr. l. de  
arca, c. 32.*

*Isid. l. 1. ep.  
86.*

*Joan. Sarisb.  
l. 8. de nug.  
curial. c. 15.*

*Sido. Apol.* quod Sidonius Apollinaris caidam  
*l. 8. ep. 13.* Nunechio Episcopo: agere narraris fi-  
 ne superbia Nobilem. Nam qui revera  
*Arist. l. 5.* Nobiles & boni sunt, inquit Philosophus  
*polit. c. 1.* (dicam ego humiles) nusquam centum  
 reperiuntur. Judæi & Pharisei super-  
 bilissima gens, frequentissimè coram  
 ipso Domino de sua nobilitate gloria-  
 bantur: semen Abrahæ sumus, & nemi-  
*Ioan. 8. 33.* ni servivimus unquam. Verùm seminis  
*Ifid. Pelus.* genus (verba recito Pelusiotæ) & san-  
*l. 1. ep. 80.* guinis superba potentia virtus non est, sed  
 involuntaria quadam successio, è corpori-  
 bus descendens, fluxa & caduca. Quàm  
 illustres hoc in regno familiæ perie-  
 runt! Quot & quàm præclari Reges,  
 Duces, Principes, Comites, Barones,  
 Equites occubuerunt, quorum nulla  
 amplius est memoria, nulla recorda-  
 tio! nempe sunt facti sicut ceteri. Mors  
 ejusmodi linea, & ulna est, quæ omnia  
 æqualiter commensurat, ipsaque sce-  
 ptræ ligonibus æquat, ut in se ipso agno-  
 vit Carolus V. Imperator invictissimus,  
 dum moribundus filium Philippum II.  
 ad sese accivit, ostensoque ei corpore  
 malè affecto & ulceroso: vide, dixit,  
 mi Fili, quò etiam maximos Reges terra  
 mors redigat. Idem Philippus ipse  
 cum Philippo III. filio suo egit, quem  
 similiter in supremo agone vocatum,  
 sic est allocutus: volui, ut actui huic præ-  
 sens interesses, ut videas & intelligas, in  
 quo consistant, finiantq; cuncta.

**III.** At enim tempus monet, tertium  
**Doctorū.** tandem valetudinarium adeamus. Hic  
 mihi severus aliquis torvo supercilio  
 Cato speculabundus occurrit, & pro-  
 missam mulcens barbam, apage tu,  
 inquit, non sum sicut ceteri, Bene di-

xit AA. quicumque dixit: qui velit in-  
 genio cedere, nullus erit. Hic plurimi  
 sunt Pharisei, dicentes: gratias ago ti-  
 bi Deus, quòd non sum sicut ceteri stu-  
 pidi, rudes, hebetes, velut etiam hic,  
 vel ille condiscipulus. Sed tales om-  
 nes amandatos cuperem ad S. Mo-  
 chua Abbatem Hybernæ, qui ejusmo-  
 di sciolos & inflatos egregiè novit per-  
 sanare. Scribit in ejus vita Bolandus,  
 Clericum aliquem Colmannum ob ni-  
 miam elationem, quæ se propter do-  
 ctrinam suam super ceteros efferebat,  
 omni à Deo scientia privatum. Cùm-  
 que jejunijs & precibus supplicabun-  
 dus instaret perdita recuperare, moni-  
 tu Angeli mittitur ad S. Mochua, ibi  
 voti sui reus futurus. Incidit ille  
 in sanctum virum rusticano indutum  
 habitu, virgas humeris portantem,  
 quem dum salutat, fortè prætervolans  
 avicula virgis Sancti viri insedit, &  
 modulando quasi unum versum ceci-  
 nit. Hic Mochua ex Colmanno quæ-  
 rit, num intellexisset, quid avis cecinisset?  
 Quo negante, subdit Pater: hoc  
 cecinit, te nihil scire; sicque illum ad  
 sui humilitatem, sui que cognitionem,  
 & simul ad pristinum statum reduxit.  
 Nec absimilis talium Medicus fuit  
 clarissimum Angliæ lumen Thomas  
 Morus, de quo Stapletonus in ejus vita  
 illud refert; quòd dum Bruxellis in au-  
 la Caroli V. Imperatoris Legati vice-  
 fungeretur, inventus sit nescio quis  
 gloriosulus, qui ad valvas Aulae char-  
 tam affixerat in literarium certamen  
 provocans quoscunque, responsurum  
 se ad omnem Juris cujuscunque quæ-  
 stionem, vel quidquid demum ex omni  
 huma

Boland. 1.  
 Ianuar. ex  
 antiqu.  
 M. SS.

Staples. vi.  
 c. c. 13.

humanæ literaturæ scientia proponeretur. Audax sanè ostentatio! Thomas ergo auditâ hominis tam petulanti vanitate, hanc è jure Britannico quaestionem posuit: *utrum animalia capta in Withernamia sint irreplegibilia.* Adiditque in familia Legati Anglici esse, qui de ea re disputare cupiat. Hic jactatori hæere aqua, lingua non tantùm titubare, sed prorsus obmutescere; miser ne voces quidem, taceo quaestionem intelligere. Ita suam ipsè vanitatem cognoscere coactus, omnium denique sibilis, sannis, ac risu vanissimus provocator est exceptus. I nunc gloriabunde Sciole, & dic: *non sum sicut ceteri.*

Greg. hom.  
12 in Ezech.

Mysterium in eo notavit Gregorius, quòd Ezechiel Propheta, quoties ad sublimia cognoscenda à Deo vocabatur, non alio quàm *fily hominis* titulo insigniretur: *observandum est, inquit, cur Ezechiel Propheta, quoties sublimia conspicit, prius filium hominis appellatur?*

*sape enim sublevatur ad caelestia, & occultis ac invisibilibus rebus ejus mens percipitur. Necessè ergo est, ut inter occulta qua penetrat Filius hominis vocetur, ut semper agnoscat quod est, & nunquam extollatur de his, ad qua ducitur. Cogitate quantumcunque subtilem Doctorem, qui etiam ipsum SS. Trinitatis incomprehensibile mysterium ingenij sui acie penetraverit, qui omne scibile cū Toftato discussit, quotquot scripti sunt libros memoriâ còplexus sit: tamè quando à Deo vocabitur, putatisne audiet: Eximie, Clarissime, Excellentissime, Doctissime Domine? Nullo certè horum titulo honorabitur; sed illi æquè ac ceteris dicetur: *tu fili hominis.**

Non est AA. non est coram Deo ulla Personarum, ac titulorum discretio. Omnes istic formosi, omnes Illustres & Generosi, omnes docti ac ingeniosi erant sicut ceteri.



DOMI-

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Aurium vellicatio.

Misit digitos in auriculas ejus. Marc. 7.



Ensum licet humano in corpore princeps putetur visus, adeoque nemo non surdus, quam cæcus esse malit: apud Deum

tamen aures oculis præstare vel incertum puto, quod uti homines sibi invicem per oculos innotescunt, sic Deus tanquam corporeæ visionis impatiens, non aliâ quam per aures viâ in hominum animos illabatur. Hinc tantus illi pro auribus zelus, ut ne quidem in uno aliquo scelerato Malcho dexteræ auriculæ amputationem tulerit, quin amputatam statim restitueret: insuper carissimum aliâs & principem discipulum ob id factum acerrimè corripuerit, & quod plus, in grande trinæ negationis peccatum labi permiserit, si Casario credimus dicenti: *permittit Petrus cadere Dominus propter percussum Pontificis servum, & amputatam ejus aurem.*

laboret, atque in adornanda via per quam intret ad hominem? Quod idem ut nobiscum hodie agat, qualiterque nostras similiter aures perfricat, docebo.

Auris vellicatio apud veteres signum erat admonitionis & reminiscentiæ. Hinc ille apud Maronem:

--- mibi Cynthus aurem  
Vellit & admonuit ---

hinc Plinius: *in aure ima, inquit, memoria locus est, quem tangentes attestamur; refertque observatam à se aurem in gemma incisam, cujus extremam partem expansa manus pollice atque indice quasi vellicando apprehendebat,*

V. Pierium: in hierogl. l. 36.

cum inscriptione Græca: *μνημόσινον*. Conformis huic gemmæ erat numus Ferdinandi II. Neapolit: Regis, in quo incisa erat ex parte altera auris manu apprehensa; ex altera inscriptio: *μνήσθη* id est: *memoria*. Huc facit illud Ovidij:

*Si quid erit de me tacitâ quod voce loquaris,*

*Pendeat: extrema mollis ab aure manus.*

Pendet etiamnum, pendet ab aure multorum mollissima Dei manus; velut verus ille *Iustitia Sol*, & Cynthus sua ad se communicandum hominibus multas auriculas, dum eos officij sui vel maxime propendet, in quo magis commonet; salutis æternæ curam salu-

M.m. rari-

Cæsar. dial.

4.

Heb. 11. 6.

Rom. 10. 17.

Isai. 49. 12.

Dominic:

Trin. Allo-

cut. II.

Isa. 52.

tariter refricat, inspirationes optimas in animum immittit. Sed complures hic surdi perseverant, imò ad ejusmodi vellicationes magis obsurdescunt; quemadmodum queritur apud Prophetam Dominus: *quis surdus, nisi ad quem nuncios, ipsoq; digitos meos misi?* Quàm vereor, ne in multos Studiosos ista hodie recantetur threnodia! Vereor ne Christus Dominus, ne Beatissima Mater lamentetur: quis surdus nisi Socialis meus, ad quem tot nuncios, tot sacros exhortatores misi, cui tot salutis media suppeditavi? Et sanè, si rem ad calculos veritatis vocare velimus, manifestè deprehendemus, nulli hominum statui post Religiosos tot salutis oblata media, atque AA. LL. Studiosis. Illis enim longè meliùs, quàm reliquis secularibus virtutis pulchritudo innotescit, illis clariùs vitij foeditas obijcitur, illis, juxta Regularum præscripta, frequentior Sacramentorum usus, & copia, illis uberiora lumina, sublimiora dictamina, inspirationes & auxilia divina forti ora obtingunt.

I.  
Inspiratio-  
nes sunt  
digiti DEI  
auricula-  
res.

item annu-  
lares.

Pierius su-  
pra.

Inspiratioes divinæ sunt illi digiti, quos optimus Salvator in auriculas hodierni furdi misit: *misit digitos in auriculas ejus*; ubi Hieronymus: *digiti, ait, qui in aures ejus mittuntur, verba Spiritus sunt.* O digitos verè auriculares! Quanquam annulares potiùs dixerò, quia sunt digiti cordis, id est amoris. Ita digitum annularem appellabant Ægyptij, ut refert Pierius, eò quòd ex anatomia exploratum haberent, nervulum quendam à corde per dorsum ad illum tendere, incoq; desinere; & idcirco annulo amo-

ris simbolo cum decorabant, ut qui cordi amoris sedi foret contymbolus. Porrò quisquis annularem hunc digitum ex auribus suis excutit, timeat *medium.* Medio digito ostendi apud veteres infame, probriq; gravissimi loco habebatur; denotabant enim illo hominem mollem & effeminatum. Hinc Cynicus Diogenes protendit digitum medium in Demosthenem, quò eum turpitudinis insimularet, teste Laërtio. Et hodie quoties aliquem exhibilare volumus, digitum medium in eum extendimus. Extendet, extendet aliquando Deus medium digitum, & exhibilabit eos, qui cordiali locum dare noluerunt. Ingeminabit illud: *vocavi, & renuistis; extendi manum & digitum meum, & despexistis omne consilium meum.* Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Ita sublanavit quendam & risit in ejus interitu, qui (ut scribit S. Antoninus) cum Franciscani Ordinis assumendi votum suscepisset; tamen fractà Deo fide, mutatoque in pejus salubri consilio, invicem humilis pauperisque status sublimiorem elegit, & Canonicus factus est. Sed non diu pasta est divina Nemesis foedisfragum de dignitate obtenta gloriari. Morbo ita affixit hominem, ut resurgendi spes nulla superesset. Ergo in extremis positum hortantur domestici, monent amici & Collegæ Canonici, animam expiaret jam, jam expiraturam. Respondit desperabundus; ne sibi molesti essent, expiationi locum non esse; quoniam Tartaro, decreto Dei irrevocabili adjudica-

medio di-  
gito ostendi  
infame.

Prov. 1.

Anton. 3. p.  
tit. 24.

tus

tus esset. *Apparuit enim mihi, aiebat, Dominus iratus, dicens: vocavi, & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni. Hac terribilis locutio, subjungit hic Abbas Lucas, meritò liquefacere potest quamvis animam Dei præcepta contemnentem. Qui etiam non malè loco tò vocavi legit: clamabam & non exaudiebatis.*

## II.

DEVS clamat in aures surdorum.

item canit.

quid sit in aures asini canere.

Dion Orat.

32.

Non est satis Deo semel vocasse, semel insuturrasse, & inspirasse; sed, uti surdis facere solemus, clamat & ipse clamore valido in aurículas nostras; ephphetha, seu, ut alius textus vertit, garrit; addo ego etiã canit; sed canit surdis fabulam. Meliùs fortè adhuc dicerem, si dicerem: in aures asini canit. In aures asini canere apud Manutium proverbialiter dicitur de eo, qui apud crassas & musicæ ignaras aures artem musicam ostentat. Meminit adagij Dion, ejusque occasionem hanc memorat. Insigni cuidam Musico Ægyptio astans in somnis Genius prædixisse visus erat, quòd in Asini aures cantaturus esset. Quo ille somnio ut vano ac frivolo neglecto, paulò post ad Regem Syrorum Memphim accersitur, & coram eo omni adhibitâ industriâ artis suæ præstantiam ostentare adnititur. Crinitum aliquem Jopam aut Amphionem, credidisses, ita argutè fides pecebat, chordasque pererrabat. Sed enim vix canere cœpit, cùm à Rege amuso musurgixque experte ignominiosè tacere jubetur. Recordatus somnij: hoc ipsum, inquit, est in aures asini canere. Quibus verbis per interpretem intellectis Rex vincitum Cantorem affici verberibus jussit; unde natum postea bellum. Idem prorsus evenit Christo D. quem

non tam Citharædum, quàm ipsam Dei Citharam nonnemo appellat. Canit ille svaviùs ac ullus Orpheus canere potest: *venite ad me omnes; tollite jugum meum super vos. Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Sed à multis in hoc verè barbaris silere cogitur, imò verberibus afficitur. Verberibus enim Christum afficere, est salutaria ejus monita respuere. Quid quòd viri graves, nec tanti estimant se percuti, quàm consilia sua vili pendit? Hinc illæ multorum voces: maluissem palmariter me signatum, quàm explosum. Nimirum quilibet plausum in proprijs sensis quæritat; & multo magis DEVS, qui solus in omnibus gloriã jure ita exambit, ut dicat: *gloriã alteri non dabo.* Isa. 42. 8. At ecce (proh nefas!) "spernitur divina Sapiencia cùm ejus consilio posthabito, Mundi potius consilium sequimur; spernitur divina Bonitas, cùm ejus ultrò nobis oblatam gratiam non acceptamus; spernitur ejus Majestas, cùm ei parentes & cognatos anteponimus, qui dicit: *qui amat Patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Ita noster Cornelius. Nil igitur mirum in bella ipsum exardescere; nil mirum in derisores arma corripere, gladium stringere, arcum tendere, tela parare, quæ omnia pridem illis denunciavit per Davidem: *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum. Et in co paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.* Frequens est apud gentes & honoris nimiùm ambitiosas mentes ob minimum despectum in duellum provocare sese. inustamq; unde

M m 2 unde

Isa. 42. 8.

Cornel. à

lap: in c.

Prov.

Psal. 7. 13.



unde ignominiam ferro, ipsaque adeo morte extinguere. Et nisi legibus, Caesarumque statutis id pugnae genus coerceretur, pugilum hodie plena forent omnia. Ad duellum AA. toties Deum cogimus, quoties despiciamus.

*Nahum. 1. 6.* Sed ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? quærit Propheta. Quis tam peritus monomachiae Magister erit, ut comparere audeat? indignatio ejus effusa est ut ignis, & petra dissoluta sunt ab eo. Si petra, quid lutei homines? quid stipula? Horrendum est incidere in manus Dei, clamat Apostolus. Hic non jam auriculæ expectetur tactus; sed lethalis ictus: quem Deus gladiatoriae peritissimus tam dextrè novit infligere, ut collimare opus non habeat. Noverat hoc perbellè Deo carissimus Jobus, ideoque deprecatur: *manum tuam longè fac a me, & tanquam obedientissimus servus offert sese ad omnem ejus nutum: voca me; & ego respondebo tibi.* Utinam omnes Jobi essemus! utinam unusquisque nostram tam resolutus esset, ut diceret: vis me Domine hoc vel illud facere? *voca me, & ego respondebo tibi.* Vis me ex hac vel illa peccandi occasione exire? *faxo. Vis ut quam proximè te sequar, & imiter in ferendis injurijs, & adversis omnibus, cum Regno vera, tum spiritus, tum etiam rerum Christi. paupertate? En ò Rex supreme, ac Domine universorum me tibi penitus offero, meaq; omnia tue subijcio voluntati.*

III.  
**D**vs per Inventum est non ita pridem instrumentum surdis loquendi, tuba brevius cula instar cornu recurva, quæ auri admotâ, soni species colligit, collectasq; faciliùs, quàm si clames, in organum auditûs transmittit. Non caret tali instrumento Deus, qui ubi nihil digitis, nihil clamore proficit, tandem per tubam surdis loquitur; illam videlicet tubam, quam Paulus vocat *novissimam*, quippe novissimorum nos admonet, cujusmodi admonitione nulla efficacior, nulla ad rumpendam quamcunque surditatem potentior. Expertus est id nonnemo, quem P. Hieremias Drexelius ex Benedicto Renato sic ferè describit. Homo erat, cui Fulconi nomen, vanus & ad Mundi leges examullim factus fictusq;, qui uti jejunijs, ita vigilijs inassuetus, & ut in alijs, sic in somno nihil sibi deesse patiebatur. Vna tamen nox illum deprehendit, quâ, ut aliàs, in utramque aurem stertere non poterat: vigilare illum coegit inusitata prorsus insomnia; è latere in latus se vertit; nec tamen somnum adducere potuit. Hic spiritus Domini flare coepit, quamvis in ignota terra; nam cogitationes bonæ in isthoc homine admodum erant raræ. Incipit ergo è tædio vigiliarum cogitare varia. Occurrit hic animo: ecquid præmij poscis, ut sic decumbas biennio aut triennio continuo, in tenebris, sine amicis, in leni morbo, sine ludo, & comestationibus, in vinculis istis licet plumeis. Et certè solus ego eximius & immunis non abibo; in morbo cubare debebo, velim nolim, nisi morte repentinâ & subitâ obeam, quod superi avertant. Quem autem lectum habiturus sum, postquam ex isto morbo me dejecerit? Corpus putrescet sub terra; quid porrò animâ fiet in altero no-  
voque

2. Cor. 13:12.

Drex. Con. sid. 5. de a. tern.

voque Mundo? Non omnes, credo, animo æternitas, & urgebat. Tandem statuit emendare vitam, & melioribus studijs se dare. Et quid ego, ait ipse secum, miser hinc ago? fruor Mundo; nec fruor. Multa patior quæ nolum, multis careo, quæ habere vellem. Et fac me frui delicijs, quascunque habere possem; quamdiu hoc durabit? nec in crastinum quidem certus sum vitæ. O æternitas si tu non esses! Quid ergo differo? Vale Munde. Dixit; & sacra Cisterciensium familiæ se adiciens, probè vixit, piè obiit. Piè universi obire cupitis? ergo sanctis inspirationibus locum date, eas in cor. (quod & ipsum auriculas habet) velut certissimos DEI digitos intromittite; æternitatem cogitate: uno passu (quod nuperus Sacerdotis Theologi è scalis prolapsi casus vos docet) ab æternitate distamus: à brevi momento longa pendet æternitas.

† *Leonardus Pfleger.*



DOMI-

## DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Peccata, eorumque occasiones pessimi  
animæ Latrones.*Incidit in latrones.* Luc: 10.

Uoties accuratâ mentis  
indagine ævi nostri fa-  
ciem pertracto, toties mi-  
hi ferreum illud à Poëta  
descriptum seculum intueri videor.

Quippe

Ovid. 1.  
Metam.

*Vivitur ex rapto: non hospes ab ho-  
spite tutus,*

*Non socer à genero; fratrum quoque  
gratia rara est.*

ubique cædes, ubique rapinæ, ubique  
latrocinia grassantur: nemo vitæ suæ  
fatis securus est. Non opus hodie de-  
scendere in Jericho, nam & Pragæ fa-  
cile quis reperiet *Adomim*, id est locum  
sanguinum. *Adomim*, (inquit Hiero-  
nymus) locus erat inter Jericho & Je-  
rusalem; quod interpretatur, *locus san-  
guinum*, quia multus in eo sanguis cre-  
bris latronum fundebatur incurisibus.  
Transit locum hunc hodiernus homo  
Judæus, & ecce ab irruente prædonum  
manu incautus invaditur, rebus omni-  
bus spoliatur, vestibus exiit: insu-  
per verberibus afficitur, inflicis plagis  
fauciatur, totus in suo natans sanguine  
semivivus relinquitur. O miseran-  
dum spectaculum! Sed enim ea est ho-  
minum dementia, ut spectaculis hu-  
jusmodi minimè moti, sese caputque  
suum, nihilominus periculis obijciant,

ultrò loca latronibus infesta adeant,  
& exiguæ voluptatis causâ ultrò in Je-  
richo descendant. Quorum hodie  
dementia breviter perstringam, ubi  
ostendero occasiones peccandi esse pe-  
riculosissimas latronum speluncas.

*Homo quidam descendebat in Hiericho,  
& incidit in latrones.*

Hiericho famosa quondam Palæstina  
civitas passim apud Interpretes pro ge-  
nuino Mundi typo usurpatur. Nam  
primò si etymon ejus quæramus *lunam*  
inconstantia & stultitia hieroglyphi-  
con significat. Et Mundo quid stultius?  
quid mutabilius? in quo Sapientis tes-  
timonio *stultorum infinitus est numerus.*

2. Hiericho nunquam non superis in-  
visa, quin & anathemate à Deo per-  
cussa legitur: & quid tam Deo exe-  
crabile ac Mundus, de quo ipse Chri-  
stus testimonium perhibet, *quod opera  
ejus mala sunt?*

3. Hiericho ex-  
teriori specie locus amænissimus altèr-  
que Paradysus poterat videri; interim,  
ut paulò antè ex Hieronymo dixi, spe-  
luncis latronum plenus, prædisque ac  
cædibus infamis: & Mundo quid ap-  
parere potest deliciosus, sed quem la-  
queis ac insidijs intus plenum altiori  
visione perspexit magnus Eremitarum  
Pater Antonius. Per latrones intelli-

guat

gunt nonnulli peccandi occasiones ,  
 quas tamen rectius Sebastianus Barra-  
 das vocat latronum speluncas. " Sunt ,  
 " inquit , huiusmodi latronum spelunca  
 " peccandi occasiones, quibus abundat  
 " Mundus; in occasionibus enim abditi  
 " veluti delitescunt , si ad illas accedas ,  
 " diripiuntur. Speluncas has arborum,  
 " florumque & herbarum viridantium  
 " amœnitate contegunt, ut alliciant; sed  
 " sub his floribus, sub hac ramosorum her-  
 " barumque viriditate Tartareus Cacus

*Psal. 9. 8. sedet in insidijs in occultis, ut interficiat  
 innocentem, & insidiatur in abscondito  
 quasi leo in spelunca sua expectans quem  
 devoret. Sic, ut legere est in apologis,  
 leo quidam senio confectus, cum sibi  
 cibum ultra venari nequiret, in antrum  
 se recepit, ibique morbum simulans de-  
 cubuit. Cumque ad eum animantes  
 officij gratiã viferent, unguibus corre-  
 ptas dilaniabat, ac vorabat. Quare  
 cautior reliquis vulpes specum ingredi  
 noluit, causamque à leone rogata, can-  
 didè respondit.*

*-- quia me vestigia terrent.*

*Omnia se adversum spectantia, nulla  
 retrorsum.*

*Eph. 5. 15. Vulpes nos esse cupit Apostolus, dum  
 monet: videte, quomodo caute ambule-  
 tis, non quasi insipientes, sed ut sapientes.  
 Quod nonnemo clariùs ita explicat:  
 attende ô homo, quid agas, cecaq; mente  
 non ambules. Perpende mortalium mi-  
 serrime, qualiter festines ad lusoriam ta-  
 bernam, tu quoque ad amasia contuberni-  
 um, tu quoque ad tuas propeves insipientias;  
 etenim quasi stulti, quasi insipientes prope-  
 ratis. Nonne ut insipiens ad Dalilam*

properabat Samson, à qua Philistæis  
 proditus est, oculisque captus, ut du-  
 pliciter cæcus fieret?

*Non potuit lenam, potuit superare  
 leenam.*

*Quem fera non potuit vincere,  
 vicit heras.*

Samsoni quàm plurimos similes hactenus  
 audivimus, qui dum lenas sectaban-  
 tur, in leenas ac lanienas & ipsi incide-  
 runt. De crudeli illa Elisabetha An-  
 gliæ Jezabele traditur, solitam fuisse,  
 cum suprâ modum lasciviã laboraret,  
 omnes lenones suos neci tradere. In  
 urbe celebri non multis abhinc annis  
 scortum fuit, quod qui invisebant,  
 plerique mortis erant filij. Vir qui-  
 dam illustris Pedemontanus cum ad-  
 ulterum domi suæ deprehendisset, sine  
 mora eodem in cubiculo, infida con-  
 iuge carnificis vices agere compulsâ,  
 suspendi imperavit. In aula Philippi II.  
 Hispaniarum Monarchæ aulicus age-  
 bat Alvarus Athaides ex familia Mani-  
 la, qui sub noctem ad gynecæum puel-  
 læ turpiter amatae gratiã itabat. Cor-  
 reptus hac de re sapius à Rege, non pa-  
 ruit. Ergo uni Palatinorum negoti-  
 um datur, ganeonem, si ad id loci revi-  
 feret, confodiendi. Erat hic forte  
 fortuna optimus Alvari amicus, qui  
 mandatum agrè accipiens, neque ta-  
 men detrectare, aut secretum Regis e-  
 vulgare ausus, ut amico quàm optimo  
 posset modo consuleret, domum suam  
 invitat, cœnam opiparam instruit, variè  
 distrahit, & ad multam noctem deti-  
 net. Sed lascivus amor potentiùs ho-  
 minem urgebat, quàm ut teneri posset.

Egre

*Prov. 7.* Egreditur itaque, & festino pede, quò aliàs solebat; rapitur, *veluti si avis festinet ad laqueum, & nescit, quòd de periculo anime illius agitur*; è quo tamen ut illum eriperet Socius, subornat nonnullos, qui larvæ imitati saltem terroribus miserum à proposito dimoverent. Albi ad hunc actum facci induuntur, qualibus ad nos ipsos flagris piandos indui solemus. Itaque primus, qui illi sic personatus in angiportu occurrit, ferali voce intonat: *orate pro anima Alvari*. Is ubi densas inter tenebras albicans conspexit monstrum; simulque tam insolito sonore percepto, consternatus quidem est in tantum, ut etiam ad aliquot passus retro ageretur; sed mox amore animos dante sibi reditus coeptum iter prosequitur. Post paulò simile priori spectrum in oculos euntis incurrit, similis clamor in aures allabatur, æquè irritò eventu. Tandem cum neque tertio monitori obaudire vellet, ad ipsa gynæcei limina miseri latus occulta haurit sicca.

*Virgil. 9.  
Æneid.*

- - & candida pectora rumpit.  
Voluitur Athaides letho, pulchrosq;  
per artus  
Et cruor, inq; humeros cervix collapsa  
recumbit.

*August.*

*Prov. 6. 26.*

Quò anima abierit, quisque judicet. O infelix Alvarè (cum Hipponensi Doctore te alloquor) ò si hoc attentè considerasses, quòd tibi Spiritus Sanctus per amicos tuos suggererat, quid sit, quòd tanto exponas periculo non solum salutem tuam, bonam tuam, honorem tuum, vitam tuam, sed & ipsam animam tuam! Scortipretium Sapientis testimonio vix est.

nus panis; mulier autem viri pretiosam animam capit. hoc est, "scortum vilissimum capit rem pretiosissimam, putà animam viri, tum quia eam dementat, tum quia eam gehennæ ream facit." Sunt latrones plerumque homines vilissimi, turpissimi, & è vulgi facie, qualem non multis abhinc annis spectavimus Præge Haban dictū, Πολυδάκτυλον in quem noster Poëta ita ludit:

Sex digitos manibus, pedibusq;, Habane, ferebas;  
Hinc fures inter gloria prima tibi est.

„ Cornel.  
„ Lap.

P. Balbinus  
Ex a. Me.  
lis. Cenat.

5.

Qualem nuper supplicio affecit Wratillavia Melthiorem Hedshoff/ qui ducentos quinquaginta & unum homines interfecit, uti ex ipsius diario typis vulgato supputatum est. Et quid lascivis cogitationibus vilis, turpius, & abjectius, utpote quæ circa objectum tam sordidum versantur, ab eoque specificantur? Nihilominus tamen unatals cogitatio, & quodeunque aliud lethale peccatum, crudele in animam latrocinium exercet, dum eam omnibus ornamentis & donis cœlestibus spoliata, omnibus meritis ipsoque jure ad æternam gloriam privat, nudamque omninò relinquit; ut proinde id metuens Bernardus, si quando obscena in corde suo deprehendit phantasmata, elata voce auxilium poscens clamare solebat: *latrones, latrones*. Primus homo aurem hie mihi ante alios vellit. Erat ille, dum manebat innocens, pulcherrimus, gloriosissimus, ditissimus: at quàm primùm in gratiam uxoris peccavit, continuò cognovit se esse.

esse nudum, seque ipsum erubescens latebras quasivit, è quibus à Deo ita evocatur: *Adam ubi es?* in alio loco te reliqui, in alio te invenio: gloria te vestiveram, gloriose coram me incedebas, nunc nudum te video, & latebras quarentem; unde hoc tibi accidit? Quis in tantam te induxit vicissitudinem? quis latro te omnibus tuis dotibus spolians in tantam inopiam redegit? ubi nuditatis sensus, ubi confusio hæc tibi contigit? cur fugis? cur erubescis? cur lates? cur paves? num astat, qui te accuset? num premuat testes? unde tanta formido? ubi jam sunt illa tam magnifica serpentis promissa? ubi est prima illa tua mentis tranquillitas? ubi securitas animi? ubi pax & fiducia conscientiae? ubi omnis illa tantorum bonorum possessio, maiorumque omnium vacuitas? quò te duxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem antè querebas? *Adam ubi es?*

Et ut in simili rem magis declaremus, fingite animo speciosissimam quampiam Reginam in vestitu deaurato, circumdatam varietate; cui è fronte, ex auribus prægrandes pendeant gemmae, cujus collum inæstimabilis pretij monile ambiat, cujus pectus carbunculi lambant, cui torques ex humeris fluant, cujus manus armillæ spectati nitoris cingant, cujus digitos præstantissimi annuli, & lapides coronent: fingite præterea sic ornatam & vestitam à scura aliquo invadi, omnibus despoliari, & exui, spoliatamque fuligine denigrari; nonne cum primis lugubre, ac tragicum spectaculum concipitis? Talis est status animæ peccantis: quæ

prius gratiâ habituali tanquam aurata veste induta, habitibus supernaturalibus virtutum veluti monilibus ornata incedebat, post peccatum turpissimo Cacodæmoni similis ambulat, ut ipsemet *Deus Pater S. Catharinæ Senensis* in quodam colloquio revelavit, peccantem appellans *Dæmonem incarnatum*.

Latrones postquam homines spoliaverunt, crudeliter in eos sæviunt. Procustes latro famosissimus, quos capiebat, in lecto curto locabat, tantumque decurtabat ac detruncabat, quantum inde prominere. Scyron transeuntes ex altissima petra præcipites agebat. Scinis arboribus alligatos in frustra discerpebat. Similiter peccatum, ubi animam omnibus despoliavit, mirum quantum lancinat; nam teste *Adamantio*: anima quoties peccat toties vulneratur. *O si possemus per unum quodq; peccatum videre, quomodo homo noster interior assidue vulneratur!* Et *Theodoretus* ait: *quæ nullus unquam hostis & latro in nos patravit, quod nullus unquam injustus Index vel Tyrannus in nos supplicium statuit, hoc nobis inferunt peccata.* Quod porrò & quale illud supplicium? *Synderesis*, sive remorsus conscientiae. Est hoc tam grande tormentum, ut *D. Augustinus* dicat, non esse excogitabile majus, & *Bernardus* cum tormentis inferni æquat, dum ait: *infernus quidam rea conscientia.* Quid enim? An non infernum habuit *Cain*, dum à commisso fratricidio toto corpore tremens ac profugus huc illuc oberrabat; & ad plagam orientalem *Eden*, hoc est interprete *Hieronymo*, ad terram instabi-

N. a. lem.

Cornel. à  
lap. hoc  
loco.

Ambr. l. de  
Parad. c.  
14.

Dialog. c.  
32.

Orig. h. 8.  
in Num.

Theodoret.

Aug. in Ps.  
45.

Bern. ser. 4.  
de Assump.

Gen. 4. 16.

lem & fluctuantem recedebat? Rabinini opinantur, quacunque ibat, grandem ei molossum adhæsisse, qui eum latratu suo continuè infestaret, ac infandum scelus proderet.

Procop. hoc loco.

Procopius verò docet, si terram aspiceret, serpentes, leones, urfos, tauros, & id genus animalia in se dentibus, cornibus, unguis armata existimasse; si in coelum oculos attolleret, ibi fulgura & fulmina sibi parata, ibi Angelos flammæ in se gladium vibrantes conspexisse.

Psalms. 37.

An non infernum habuit David, cum post adulterium ita cruciatur, ut præ dolore rugiret: *rugiebam, inquit, à gemitu cordis mei. Quid ita? quia non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Putruerunt & corrupta sunt cicatrices meae, à facie insipientis mei. Miser factus sum.* An non infernum jam tum inter epulas habebat Dives epulo,

Chryf. Cóc. i. de Lazar.

de quo ita Chryostomus: *explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem. Videbis velut in curia montem ad thronum conscientia conscendisse regalem, & tanquam iudicem sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraq; conscientia radentem unguis.* An non infernum habuit Judas proditor, qui cum non posset ferre conscientia dolorem, adaptato sibi laqueo, vitam finivit, ut ait idem Chryostomus.

Chryf. in Ps. 7.

An non infernum habuit Flaccus Præses apud Philonem, qui dum in insula Andro ob sua scelera exulabat, adeo trepidabat, ut non aliter, quam insanus profugeret, ac ultrò curoq; discurreret, manus

Philo in Flaccum.

complodens, femora percutiens, humi se affligens, & clamitans: *interemi quosdam, interiment me alij; me conivente quidam lapidibus sunt obruti, quidam vivi combusti, quidam raptati per medium forum, horum facinorum poena me manent, & dira jam stant, tanquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem; imò jam in horas præmorior, multas mortes sustinens ante illam ultimam.* Calissij in Polonia (quod referunt annuæ Societatis illius Provinciæ) adolescens in summa vitæ licentia ac lascivia vivebat, cum tandem & ipse conscientia suæ flagella sensit, & quidem tanta, ut nec somnum noctu capere, nec interdium quiescere posset, atque spectris insuper perterreri se sentiret, putaretque jam jam se ad inferos rapiendum. Nempe, (uti rursus patheticè Præsul Antiochenus) peccator habens acrem illum accusatorem, conscientiam, nunquam sic in solitudine versatur, quin suspiciones timeat, umbras tremiscat, & eos, qui conscij sunt, & non sunt. Perpetua in animo ejus tempestas est, & reciprocantes ac contrarij fluctus. Insuper neq; somnus ei svaavis, sed terrore & formidine plenus, neq; cibus voluptatem præbet, neq; amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare ab urgente anxietate possunt: sed quasi carnificem circumgestat se lancinantem, & flagellantem continuè: ita post absurdum facinus obambulat, nullo conscio, sustinens intolerabiles poenas.

Veritati huic suffragantur & Ethnici: Seneca Philosophus ait: *prima & maxima poena peccantium est, peccasse.* Marcus Tullius Cicero: *suum quemq; scelus*

A. 160.

Chryso. h. 20.

Sene. ep. 97 ad Lucil. Cic. pro Raf. scelus

scelus agit; sue mala cogitationes con-  
scientiaq; animi terrent. Satyricus:

Inven. Sat.  
13.

- - quos diri conscia facti  
Mens habet attonitos, & surdo ver-  
bere cadit,  
Occultum quatiante animo tortore  
flagellum.

Nec aliud sub fabula Tityj mysterium  
involvit Virgilius, cui,

Virgil. 6.  
En.

- - rostro immanis vultur obunco  
Immortale jecur tundit, fecundaq;  
pœnis  
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq;  
sub alto

Pectore; nec fibris requies datur ulla  
renatis.

Cum igitur tanta sit peccatorum cru-  
delitas, tanta tyrannis, quis vestram  
AA. ad eorum speluncas deinceps au-  
sit & velit accedere? quis in peccandi  
occasiones temerè sese conijcere? quis  
prava sodalitia frequentare, famosas  
domos adire, mulierum consortia a-  
damare? Hoc hoc est directè plagas  
& necem quærere; nam si ullibi, hic  
verificatur illud: *qui amat periculum, Eccl' 3,*  
*in illo peribit;* & Theodoretote teste, qui-  
cunque à sublimibus cogitationibus de-  
ciderit, (decidit autem, qui tur-  
pia cogitat) *insidet in*  
*latronis,*





DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.  
Balneum Leproforum.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc: 17.

**P**andoram quamquam fictile Vulcani opus commenta est fabulosa Antiquitas: quæ cum à Dijs tonis omnibus donata esset, omnigena tamen mala terris intulit. Hinc illa lugubris Venusmi Vatis oda:

*Andax Iapeti genus,*

*Ignem fraude mala gentibus intulit.*

*Post ignem etherea domo*

*Subdæctum, macies & nova februm,*

*Terris incubuit cohors.*

Sed quid opus figmentis? quando in ipsa prima Parente nostra veram experti sumus Pandoram: cujus infelicissimus ille cum pomo corbiculus, quid nisi omnigena mala in pomo latentia continebat? Ve primum hunc incautus Epimetheus Adamus discooperuit, protinus quæ data porta foras ruere morbi, pallor evolare, dolor erumpere, foeda ulcera, lethifera pustula, informis scabies, & sexcenta id genus ab Orci vestibulo monstra terris ingruere, humanum genus totum quantum perditura. Circuferamus tantisper per orbem oculos, & videbimus agrorum omnia plena: hunc dolores colici divexant, illum excruciat calculus, alium hypochondria consumit, istum emaciat phthisis, alium podagra lancinat, hunc elephantiasis exagitat, illum calida perurit febris, hunc tumidus inflat hydrops; ut proinde Mun-

us universus non videatur aliud esse, quam nosocomium, xenodochium, & quoddam morbidorum hospitale. Hinc tot curanda sanitatis remedia, tot alexipharmaca, catapotia, syrupi, electuaria, unguenta, assidue parantur, excoquantur, distillantur. Nullum tamen morbum lepræ foediorem, nullum horribiliorem esse vel ex ipsis sacris paginis satis constare potest. Nam hic jam tum in veteri lege pro gravissima semper plaga habitus, & eos quos corripiebat, humana societate & consortio reddebat ineptos, & indignos, ut proinde à nonnullis mors civilis appelleretur. Hinc separati extra urbes & castra degere cogebantur, quasi qui non homines, sed quædam hominum larvæ, vivaque forent cadavera. Et verò an non horrida larva, tetrumque cadaver leprosus, cui squamosa cutem maculat scabies, purulenta sanies per artus defluit, teter oris halitus, & late grassans in corpore putredo intolerabilem eructat mephitim? Ejus curatio mirum quantum difficilis est, & pene omnes humanæ artis transcendit limites. Parùm hic potest Machaon, & Podalyrius; parùm Hipocratis, Galenique industria. Salvâ tamen tantorum Doctorum autoritate, placuit mihi hodierna die in lepræ remedia inquirere, sed quæ non tam corpora, quam animos afficiat.

**Leporam**

Lepram Sancti Patres uno pene consensu & calculo peccati figuram, typumque censuerunt, idque plurimas inter hoc & illam analogias. Et ne longus sim, ipsummet Christum vobis ob oculos statuum, qui dum formam assumpsit peccatoris, leprosus factus est. *Vidimus eum quasi leprosum & non erat aspectus* ait Vatum Alpha. Cur ita bone Vates? *quoniam posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum.* Leprosus, ut paulò antè memoravi, foedissimam visu speciem præfert, intuitibus horrorem incutit, hominem ex homine quodammodo tollit: & Christo Domino quid erat aspectu foedius, quando eum Pilatus populo spectandum exhibuit, & admirans exclamavit: *ecce homo!* Leprosi discissas vestes gestabant: & Christi non solum vestes, sed totum corpus nonne à militibus in tantum discissum est, ut à planta pedis, usq; ad verticem capitis non esset in eo sanitas? Leprosi nudo incedebant capite: & Christo quodnam capitis operimentum præter acutissimas spinas? Leprosi os veste tegebant, ne alios afflatu suo inficerent: de Christo canit idem Isaias: *quasi absconditus vultus ejus.* Et rursus: *quasi agnus coram rudente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Leprosi sordidos se & immandos clamare debebant: & Christus totus lividus & cruentus quid clamat, nisi: *ô vos omnes qui transitis per viam attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus?* Leprosorum caro erat vilissima & putrida: & Christus nonne de se ait: *ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis?* Le-

prosi deniq; urbe pellebantur, congressu & societate hominum arcebantur: & Christus extra urbem in crucem suffixus nonne clamat: *amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt?* in Hebræo est: *ex adverso plage mee;* Hieronymus vertit: *quasi contra lepram meam;* & qui juxta me erant, de longè steterunt. Vidimus igitur eum quasi leprosum.

Jâ si unumquemq; peccatorem peccato lethali obnoxium considerare vellemus, ad amissim omnes has leproso- rum qualitates in eo deprehenderemus. Nam & aspectu foedus est, adeo ut Deus ipse eum intueri nequeat, juxta illud Habacuc: *mundi sunt oculi tui, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Et halitum graveolentem habet, ut ipse Deus nares suas coram ipso obturare cogatur, prout eum obturasse vidit quidam in vita P. Balthazaris Alvarez. Et vestem gratiæ discissam gerit, quam justorum indumentum appellat Job, dum ait: *justitiâ indutus sum, & vesti me quasi vestimento.* Et nudo capite tanquam servus incedit, juxta illud: *qui facit peccatum servus est peccati.* Denique non tam vivo quam mortuo est similior, dicente Ezechiele: *anima que peccaverit ipsa morietur, adeoque reliquorum hominum Angelorumque consortio indignus.*

Sed nihilne remedij tam diro & exitiabili malo superest? Bono animo! Quicumque leprosus es, ad balneum te invito, sed sanguinarium.

Vetus barbaris olim gentibus lepram curandi ratio erat humano sanguine. Audite hac super re scribentem.

Isa. 53.

Thren. 1. 12

Psal. 21. 7.

Psal. 37. 12.

Habac. 1. 13

Job. 29. 14.

Ioan. 8. 34.

Ezech. 18.

4.

Plin. l. 26.  
c. 1.

tem Plinium. *Egyptijs, inquit, peculiare hoc malum: & cum in Reges incidisset, populis funebre: quippe in balneis folia temperabantur humano sanguine ad medendum.* Nihil hic dicam de Constantino, cui leproso balneum è puero- rum sanguine à medicis præscriptum, Ecclesiastici memorant annales. Te te appello sanguifuga crudelissime, barbarorum immanissime, Tyrannorum, sævissime Herodes, edissere quidnam horrendo illo, seculisque omnibus inaudito sanguinis profluvio voluisti, quando tot infantum millia una cæde fustulisti, Judæam tot funeribus miserandum funestasti, Matrem lamentis, ululatus, planctibus replevisti? profecto non tu eo modo Regem novum, perditum ivisti, sed quia leprosus erat, balneum ei sanguinarium instruxisti. Et verò balneavit tunc ille quidem in sanguine alieno; sed postmodum longè nobilius balneum nobis præparavit de sanguine proprio, quando apertis corporis sui venis quasi totidem cataractis piscinam fecit probaticam, in qua probaremur, lavaremur, & à lepra mundaremur. *Sanguis Christi,*

Heb. 9. 14.

ait Paulus, *emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis.*

Erat Jerosolymis in porticu Salomonis piscina quadam dicta probatica à Græca voce *Πρόβατος* quod est *ovis*, eò quòd in eam immolatarum ovium, & pecudum sanguis deflueret, inibi que victimæ abluerentur. Hæc piscina mirabilem vim habebat curandi quoscunque morbos. Vnde, ut scribit Evangelista Joannes, *jacebat juxta eam,*

Joann. 5. 3.

*multitudo magna languentium, cæcorum,*

*claudorum, aridorum; hand dubie etiã leproforum.* Angelus autem Domini certo tempore descendebat in piscinam, & commovebat aquam. Tum qui primus post motionem in eam descendebat, sanus fiebat à quacunque infirmitate. Non est quod Judæis ejusmodi piscinam invideamus, non una nobis, sed plures piscinæ probaticæ sunt Sanctissima Sacramenta, & præcipuè Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Hæ sunt nostræ thermæ calidissimo Christi sanguine, nec non aquâ bullientes, quas jam tum succendit amor, cum de ejus perfosso latere *exiit sanguis & aqua.* O beatæ, ô salutare thermæ omnibus Trājani, Diocletiani, Neronis, aliorumq; Cæsarium thermis celebriores! Hic hic non est opus expectare, aquæ motum, semper ingredi licet, semper lavare. Lavit Commodus in die octies, Gordianus septies: & cui vestrum nimia videbitur frequentia, conscientiæ sordes non dico in die, sed in mense bis terve eluere? Animadvertere est in multis hanc sanctissimam, consuetudinem paulatim veterascere, quibus intra trimestre, imò semestre, semel Pœnitentiæ lavacrum ingredi perquam abundè est. An fortè expectant, donec bene leprosi fiant, donec materiam confessionis cum primis prolixam accumulent, quâ Confessario aures egregiè impleant, ut proinde opus sit strigili, quod Romani, vel testâ, quod faciebat Job, eorum scabiem, ac ulcera, scabere & perfricare? Sed enim si modicum attingantur, si modicum scabantur, volo dicere, si à Confessario ob enormia delicta sua, vel leviter arguan-

guantur, peccandi occasiones rescindere commoneantur, comminatiuncula aliqua aeternae poenae perstringantur, poenitentiam paulo duriores facere jubeantur, mirum quantum aegre ferre, Confessarium indiscretionis accusare, & alium qui ipsis conniveat, ad scelera taceat, quare consueverunt. Haecine seria sanitatis voluntas? haecine vera peccatorum detestatio? hoc sincerum emendationis propositum? Quid hoc aliud est, quam se & Confessarium in certum aeternae damnationis trahere periculum? Audite horrendam in simili qua poenitentis, qua Confessarii catastrophem, quam ex R. P. Joanne Lorino Soc: JESU Theologo acceptam fideliter ita recenset P. Philippus Douterman. Vir quidam nobilis praefato P. Lorino bene notus, iniquissimo assuetus foenori, eoque nomine infamis, cum diu neque a suo Curione, neque a Societatis nostrae Patribus absolutionem a peccatis suis impetrare potuisset, donec iniquissima foenora aequivalenti restitutione compensaret, aut compensaturum se reciperet: invenit tandem e quadam religiosa familia unum aliquem, qui alios nimia religiositatis incusans, quoties ille vellet, toties confitenti aures daret, ad ejus scelera taceret, absolutionem liberaliter impertiret. Vnde factus est impio huic foeneratori acceptissimus conscientiae arbiter, adeo ut eum saepius ad familiarem mensam invitaret, & liberaliter haberet. Ergo dum ita vivitur, nocte quadam nobilis ille, cum paulo ante cum egregio suo Confessario coenasset, subito extinguitur, Sub idem

autem tempus Dantonnes bini famulorum habitu monasterio adsunt, pulsatis foribus Religiosum evocant, nudicantes Dominum animam agere. Ille nihil tergiversatus, sequitur cum socio non segniter. Ventum erat ad forum, & ecce cernitur herus in herili toga obambulans; cumque Religiosus jam in famulos, quod se delusissent bilem acueret, accedit ad eum tristis umbra, atque inter mortuos se esse, & jam aeternis inferorum ignibus uri, quod toties sacrilegas confessiones iterasset, sacraque divina toties profanasset, & te quidem Sacerdos perditissime, a quo ex officio corripendus eram connivente, tacente, dissimulante. Quapropter eris mihi merito tuo poenae socius, qui sceleris fuisti approbator. Hoc dicto duo illi famuli ficti singuli singulos, Nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos abripiunt, Sacerdotis socio praeter terrorem tantum non exanimato, qui aliquantulum post resumpto animo ad monasterium solus reversus est, & funestum Sacerdotis exitum, remque totam, ut contigerat, enarravit. Aliam huic similem tragaediam accidisse memorat idem autor Hispali 1567. ex relatione P. Ignatij Fonsecae, tunc Collegij Hispalensis Soc: JESU Rectoris.

Videte hinc AA. quid sit imperitos, indulgentes quaerere Confessarios. Bene proinde jam in extremis positus filium suum monebat Divus Galliarum Rex Ludovicus: *fac idoneus tibi sit conscientia arbiter, cujus prudentia, doctrinaque, in omnibus tutus sis.* Et M. Joannes Avila magnus asceta svadet: *Confessa-*

Pedagog.  
Christ. p. 2.  
c. 14. S. 2.

*Sales intro. fessarium elige unum ex millibus. Sales ad vit. piā* Episcopus : unum inter decem millia.

*1. p. c. 4.* Dicit enim non potest, ait, quanta sit ad excipiendas confessiones idoneorum inopia: si ex his tribus, charitate scilicet, doctrinā, & prudentiā vel unicum in aliquo desideretur, est periculosa res plena alea. Sic etiam ex parte poenitentis non est satis ad remissionem peccata de scheda instar alicujus lectionis vel historiæ legisse, non est satis semel bisve pectus percussisse, & ut Bernardus loquitur,

*Ber. ser. 2. de Assump. Virg.* superficiem tantum rasisse, hoc enim aliud non est, quam fictio execranda: verum ad Sacramenti essentiam requiritur propositum efficax, quo quis efficaciter quantum est ex parte actus decernat non relabi, & peccandi occasiones in quibus versatur rescindere. Vnde

Theologi docent, eum qui peccandi occasiones à se non removet, sed in ijs sponte perseverat, quales sunt concubinarij, possessores male fidei, & similes absolvi non debere; idque expressè vetat Gelasius Papa c. *Legatur* 24. q. 2.

Ille perfectè convertitur, inquit Gregorius, qui cum semel quod prave egerat, plangit, & quod rursus plangat, ultra non reperit. Et Augustinus: lavatur & mundus est, qui & praterita plangit, & iterum non admittit. Lavatur & non est mundus, (hoc est manet leprosus) qui plangit, quod gessit, nec deserit, sed post lacrymas flenda, hæc que fleverat, reperit. Sed ut unde coepit ibi finiat, dicitio mea, vos AA. mei appello & hortor, ut sitis omnes sicut Nazaræi candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulciores. Estote sicut illæ columbæ Cantici; que resident juxta fluentia plenissima, residete & vos frequenter juxta fluentia salutaria Sanctissimæ Poenitentiae, & tunc eritis digni osculo Christi longè magis quàm illi leprosi, quos osculo suo sanarunt SS. Pontifices Agatho, Bonifacius, Deus dedit; tunc toti loti libere poteritis dicere cum sponsa:

*osculetur me osculo  
oris sui.*



DOMI-

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

DEO SERVIRE vera libertas.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matt: 6.



Nsq; adeo verum est, quod docent Juris - Consulti, duos in solidum ejusdem rei Dominos repugnare, ut non defuerint, qui hanc veritatem sanguine fuso defenderent. Memorat enim Eusebius, Procopium quendam Palaestinae Martyrem, cum plures admittere Deos urgeretur; adversarijs respondisse:

Non bona res multi Domini; Rex unicus esto.

& hoc dicto collam securi subjecisse. Nihil quippe minus executioni datur, quam quod a pluribus imperatur; & imperium, quod sub uno stare potuisset, dum a multis sustinetur, ruit, inquit Curtius. Hinc Alexander Macedo Dario de regni Persici parte cum eo pacisci volenti, nunciari jussit: nec Munda dum posse duobus salibus regi, neq; orbem summa duo. regna salvo terrarum statu habere;

- - omnisq; potestas. Impatiens consortis erit - -

Et, quando unquam (ut bene notavit Afer Cyprianus) regni societas aut cum fide coepit, aut sine cruore desijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens regis dissidentibus etiam in morte discordia. Sic Romanos geminos unum capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Sicut itaque plures simul imperare non

possunt, ita similiter nemo potest pluribus servire: quomodo enim contraria mandantibus obtemperabit? quomodo ad alterius jussa stabit, ad alterius curret? altero dicente: fac hoc; altero vetante: non fac hoc, idem simul faciet, & non faciet? Sed nulli tam contrarij usquam fuere Domini, teste Doctore Seraphico, atque sunt etiam num Deus & Diabolus. Primus enim est suavissimus, juxta illud Psalmi: suavis Dominus universis; (a) secundus crudelissimus, teste Prophetà: tradam Aegyptum in manu Dominorum crudelium. (b) Deo servitur flendo per poenitentiam, Diabolo ridendo per lasciviam. Unde Christus Dominus: plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit. (c) Deo servitur vigilando in custodia contra Diabolum: Diabolo servitur dormiendo in negligentia contra Dominum. Hinc Apostolus: non dormiamus, sicut & ceteri; sed vigilemus & sobrii simus. (d) Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem usq; in caelum: Diabolo descendendo de vitio in vitium usq; ad infernum. Cum ergo nemo possit duobus Dominis servire, repudiemus alterum, scilicet Diabolum, ut soli Deo, (qui per excellentiam vocatur Dominus) serviamus. Preparata corda vestra Domino, & servite illi soli. (e) Dum servitutem nomino, rem cum primis odiosam nominare videor. Nam quid aliud est servitus, quam pri-

Oo vatio

Euseb. l. 8. c. 12.

Curt. l. 10.

idem lib. 4.

Lucan. l. 3.

Cypri. l. de idol. vanit.

Bonav. ser. 1. in Do. 14. Pent.

a Ps. 144. 9.

b Isa. 19. 4.

c 1. Joa. 16. 20.

d 1. Thess. 6.

e 1. Reg. 7. 3.

vatio libertatis, quæ à Justiniano definitur: *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut jure facere prohibetur?* Hanc omnes ingenui ita appetiant, ut non tantum pro toto auro, sed ne quidem pro toto Mundo darent, imò neque pro vita; plurimos quippe in historijs legimus, mortem appetere, quam servire maluisse.

† V. Dom. 3  
post Epiph.

Justin. l. de  
discipl. mō.  
c. 5.

Dico nihilominus cum Laurentio

Justiniano: qui veram appetit libertatem, Christi servus esse festinet. At qualis libertas, opponet nonnemo, esse vinctum & crucifixum, non posse se pro arbitrio movere, non posse, quod liberet, facere? quicumque enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum

Gal. 5. 24. vitis & concupiscentis, (a) ut famosus JESU Christi servus ingenuè fateatur: & de se ipso; Christo, inquit, con-

fixus sum cruci. (b) Stigmata Domini

ibid. 6. 17. IESU in corpore meo porto. (c) Ego vinctus in Domino; (d) ut nihil jam quod caro blanditur, libeat; (e) nihil quod

Greg. hō. appetitui volupe, liceat; nihil, quod divinis legibus repugnet, voluntas audeat, attestante alio Apostolo: omnis

1. Joa. 3. 9. qui ex Deo est, non potest peccare. (f) impotentiam nempe morali, qualem habent viri cordati ad seipso v. g. ex alta turri precipitandos, aut laqueo strangulandos, & qualem habuit Patriarcha Joseph, dum à sua Domina ad flagitium sollicitatus dicebat: quomodo pos-

sum hoc malum facere & peccare?

Gen. 39. Verum enim verò sic ligatum, sic impotentem esse, hoc est vere ac proprie liberum esse: licet enim, ut ait Augustinus, prima hominis libertas fuerit, posse peccare; novissima tamen grat.

Augu. l. de  
correct. &  
grat.

in lege gratiæ multò major, non posse peccare: quinimò, quæ in malum fertur libertas, nulla omnino est secundum Chrysostomum, quem super præfato Josepho aureè, ut solet, differentem audiamus: *uxor Putipharis Egyptia, numquid erat Regina? numquid toti Egypto præerat? numquid maximam habebat potestatem? Quid verò Joseph? num servus? num captivus? num famulus emptitius? Illa igitur adversus adolescentulum in aciem descendit. Quis tunc erat servus? quis liber? illane, quæ precabatur, & non homini, sed improbissima animi perturbationi serviebat; an is, qui contemnebat sceptrum, coronam purpuram? Illa quidem repulsam passa recessit, & alij rursus animi morbo mancipata est, nempe ira, quæ ratione non regitur: hic exijt capite redimito coronis innumerabilibus, & in ipsa servitute libertatem magis resplendentem ostendens. NIHIL EST ENIM ÆQUE LIBERVM VT VIRTVS; NIHIL ÆQUE SERVVM VT VITIUM.*

Chrysost. in  
Psal. 48.

Chrysostomo consentit D. Ambrosius, dum docet Josephum in servitute dominari, Pharaonem in libertate servire. Et Philo Judæus librum integrum scripsit sub hoc titulo: *quod omnis probus sit liber; ubi inter cetera ait: revera solus liber est, qui solum Deum sequitur; atqui Deus, cum perfectissima libertate essentialiter est impeccabilis, igitur peccare posse nulla erit libertas.*

† Confirmat meam sententiam non parum Cicero, secum ipse prorsus Christianè ita ratiocinans: *quid est libertas? potestas vivendi, ut velis. Quis ergo vivit ut vult, nisi qui recta sequitur? quod est propriissime Deo servire.*

Libert.

Ambr. l. de  
Ioseph. c. 4.

† Nota Letor, me loqui in sensu morali, non physico.

Cice. in paradox.

Luc. 15.

Libertatem quærebat refractarius ille filius, qui Patri suo dicebat: *da mihi portionem substantiæ, quæ me concernit; sat diu sub patria potestate & domestica ferula vixi, sat diu domi velut in aliquo ergastulo clausus delitui. Quid ultra floridos Juventutis annos in solitudine volo deperdere, & tetricus senex ante tempus fieri? quin potius hilaritati frena relaxo, mihiq; ac genio, dum vivida poscit ætas, indulgeo: ibo quocunque me fors & fortuna feret, Mundumque tantisper experiar; non meretur enim inter Nobiles censeri, de quo cani potest:*

Vna domus puerum sustulit, una senem.

*dixit, & fecit: profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. At licentia illa in tam turpem eum præcipitavit servitutem, ut cogeretur agere subulcum & pascere porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; & nemo illi dabat. Tandem tot ærumnis prudentior factus ac in se reversus, (abeundo enim à Patre simul à se ipso abiverat) statuit in Patriam redire, & lamentabundus secum ipse ita loquebatur: heu me quid feci! cur demens in eas me angustias conjeci? cur puerilem meum impetum secutus fui? quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam itaque & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenarijs tuis. O miser. Adolescens quanta tibi gloria erit*

*in domo paterna ex hæredè fieri mercenarium, ex filio mediastinum? Imò verò, respondet pro eo Chrysologus, hoc ideo petit, quia, qui penes extraneum servam senferat libertatem, penes Patrem credit sibi futuram liberam servitutem. Est enim penes Patrem dulcis conditio, libera a servitute, absoluta custodia, timor laetus, securus possessio. Et quidni esset, cum Filius secundum jus civile censeatur eadem persona cum Patre? unde, quamvis non differat a servo, ut loquitur Apostolus, est tamen hæres & particeps, & quasi simul Dominus bonorum paternorum, quemadmodum ille idem Pater seniore natum edocuit: fili, inquiens, omnia mea tua sunt. Quid ita? quia tu semper mecum es. Ita omnino se res habet cum ijs, qui Deo serviunt, & cum eo assidue manent: non enim, ut mediastini & flagitribæ habentur, sed ut filij; si autem filij, & hæreses, hæreses quidem Dei, cohæreses autem Christi; si cohæreses, ergo Domini & Reges. Admittit hanc consequentiam, perlubenter tota Ecclesia, quæ in una aliqua collecta ita precatur: Deus auctor pacis & amator, cui servire regnare est. Admisit S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, qui in simili dicto supremum emisit spiritum. Admittit magnus Ecclesiæ Doctor Ambrosius, cum illa Christi verba; regnum Dei intra vos est, explicans monet, ut quicunque ad regnum aspirat, sit servus Domini: ea enim parte, quæ participamur servitute, participamur & regno. Admittit Aurelius Augustinus, qui ait: quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subiectus sit. Et quid multa?*

Chrysol. ser.

1.

Galat. 4.

2. Maij.

Ambros. in:

Luc. c. 17.

21.

Augu. l. de:

vera Relig.

Q. 2.

non-



nonne ipse CHRISTVS in ultima cena  
 servis suis promisit : ecce ego dispono vo-  
 bis sicut disposuit mihi Pater meus regnū?  
 & ne tantum de regno futuro hoc di-  
 ctum putemus , addit ejus ocellus : &  
 Apoc. 5.10. regnabimus super terram. Quomodo  
 regnabimus ? ubi aulici & subditi ? ubi  
 urbes & provinciae ? ubi scepra & dia-  
 demata ? ubi purpura & trabeae ? ubi  
 palatia ? ubi regales opes ?

Sene. Thy-  
 est.

Regem non faciunt opes,  
 Non vestis Tyria color,  
 Non auro nitida trabeae;  
 Mens regnum bona possidet.

Hoc dicunt , ait Rupertus , omnes servi  
 Christi ; & verum dicunt , quia sunt ser-  
 vi ejus , qui eos redemit : sed ipse qui redi-  
 mit , non servos , sed amicos ; non subservi-  
 entes , sed conregnantes facit . Conditione  
 sui sunt servi emptitij ; dignatione illius  
 vocantur & sunt amici ac fratres . Po-  
 tēstine amabō major excogitari digni-  
 tas ? Dignitas quidem est , servum esse  
 potentis , ut inquit Ambrosius ; dignitas  
 magna est esse Imperatoris cubiculari-  
 um , Camerarium , ephēbum , circa eum  
 frequenter versari , coram assistere , mi-  
 nistrare ; at nullus unquam Imperator  
 & Monarcha terrenus aulicorum ali-  
 quem licet carissimum in regni socie-  
 tatem admisit , uti facit Christus . Ha-  
 bes proinde , unde meritō toties in epi-  
 stolis glorieris Paule , titulo *Servi IESV  
 Christi* : nam revera , ut tuus Chryso-  
 stomus loquitur , magni haec est dignitas ,  
 omniumq; bonorum caput . Excellen-  
 tior hic titulus omnibus Mundi titulis .  
 Mens non apprehendit hujus praecellen-  
 tissimae servitutis sancta praecomia : omnis

laus hac inferior est . Hinc praclare S.  
 Agatha Quintiano Praefecto sibi expro-  
 branti : non te pudeat nobili genere natam  
 humilem & servilem Christianorum vi-  
 tam agere ? respondit : multo prae-  
 stantior est Christiana humilitas & servitus  
 Regum opibus ac superbia . Nec minus  
 praclarum responsum dedit Matrona  
 quaedam Gallica , quae amicis solatium  
 ex prima Filij liturgia perceptum , ani-  
 miq; voluptatem , quod eundem fili-  
 um suum apud nos Religiosum vide-  
 ret , gratulantibus , dicebat : " profecto  
 meritō mihi gratulamini : tam enim  
 judico me fortunatam ex eo , quod hic  
 sit sancti illius ordinis Religiosus unā  
 cum fratre altero , ut longē gratius mi-  
 hi accidat eos ambos esse Jesuitas ,  
 quam si alter foret Galliae Cancellari-  
 us , alter supremus armorum Praefe-  
 ctus . "

Similiter ferē Franciscus Corduben-  
 sis ex magna Hispaniae Magnatum fa-  
 milia ad minimam J E S V Societatem  
 transiens , in familiari sermone gloriari  
 solebat ; in conditione sua se Regibus  
 ipsis esse feliciorē , & paratum jura-  
 mento contestari , quod nollet vestem  
 suam Jesuiticam neque cum purpura  
 Cardinalium , neque cum Pontificis tia-  
 ra commutare . Habent equidem ter-  
 reni Principes in hac vita multa & ma-  
 gna solatia , multas delicias , utpote qui  
 solo supercilio cuncta movere possunt ,  
 ad quorum nutum & arbitrium cuncta  
 fiunt , quorum , teste ipsamet sacra pa-  
 gina , sunt \* optima quaq; : tamen si cum  
 solatijs & delicijs servorum Dei com-  
 parentur , exigua valde erunt , aut nulla .  
 B. Angela de Fuligineo asseverebat ,  
 serve-

Barry solit.  
 hagioph.

Horat. l. 3.  
 Carm. od. 11

\* 1. Reg. 9.  
 20.

servorum Dei tanta esse solatia, ut ea permutare nollet cum omnibus sive licitis sive illicitis voluptatibus omnium creaturarum; addebatque, tametsi illius anima capax esset tristitia, nihilominus se illic conclave gaudiorum habere, dum se Dei ancillam reputaret. Amplius quid P. Balthasar Alvarez à quodam Societatis Jesu Ecclesiaste accepisse se narrabat; nempe, si quidquid Deus gratum jucundumque in hac rerum natura condidit, accumularetur, fieretque æternum, tanti se facturum non esse, quanti solatia, quæ ex Dei servitio per horæ quadrantem haurire solitus foret. Proinde si homines, ut par est, intelligerent ejusmodi delicias & solatia, Mundum non suffecturum ambitu suo, ut omnes in Religione vivere volentes capiat, totumque Universum unicum fore cœnobium, ajebat S. Scholastica; vel, ut B. Magdalena de Pazzis: *undiq; muri monasteriorum admotis scalis superarentur ad locum in eis sumendum*: non quasi in seculari statu serviri Deo non posset, multos enim hic quoque status etiamnum Sanctos habuit, sed quia in Religione per se loquendo liberius, commodius, & perfectius. De aulis certè antiqua est cantilena:

- - exeat aula

Qui volet esse pius - -

De militia similiter:

*Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.*

Raros hic Casimiros, Aloysios, Moros, Castulos, \* Eustachios, Sebastianos, Mauritiōs, Theodoros, Menas reperias:

*Rari quippe boni, numero vix sunt  
totidem, quot*

*Thebarum porta vel divitis ostia* *Juv. Sat. 13.*

*Nili.*

Quid quod aulica & militaris vita, ut passim dicitur, aliud non sit, quam *splendida miseria*? quantas enim istæ difficultates, molestias, incommoda, invidias, timores, despectus, exhaurire non oportet! & hoc spe alicujus promotionis, officij, dignitatis, privilegij à Principe obtinendi: & tamen licet, nescio quos titulos, immunitates, exemptiones, honores referas, quod maxime cuperes, obtinere non vales. Quid illud? privilegium non moriendi, Aulicus Regi charus alicubi erat, quem Rex graviter decumbentem inviserat, ac omnia quæ ad solatium & remedium ægro forent idonea, obtulerat. Cui æger: dolores, inquit, tolle; mortem amolire. Sed negavit Rex id in sua potestate esse. Ad hæc ægrotus sublatis in cœlum oculis manibusque exclamat: *miserum me, qui tot annis tamque impense servivi Principi, qui nec lenire dolores meos, nec ab instantis mortis periculo liberare potest. Deum testor, si sanitas mihi ejus beneficio reddatur, non alteri me inservitutum, quam qui à doloribus & ipsa morte possit vindicare.* Simile propositum fecit & executioni dedit B. Franciscus Borgia Dux Gandiæ, qui in aula Caroli V. sat diu versatus, cum funus Eleonoræ Augustæ deduceret, videretque eam quæ antea speciosissima fuerat, in turpissimum pædorem degenerasse: *propono, dixit, post-hac non servire tali Domino, qui possit mori; & ab aula ad Societatem Jesu migrare.*

*Jo. Nic. 13.  
Eryth. ex-  
empl. 72.*

Lucan.

\* S. Castul<sup>9</sup>  
fuit Zeta-  
rius sive  
thesaurari<sup>9</sup>  
Diocletian.  
Imp.

migravit, ibi ejusmodi Dominum quaeriturus; cui porrò tam fideliter servivit, ut in morte audire meruerit: *auge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Si tamen ea mors dicenda fuit, quæ vitæ beatæ principium dedit.

*Sap. 3. 1.*

Et verò servos Dei non mori docet ipsa Sapientia, cum ait: *non tanges illos tormentum mortis; visi sunt duntaxat oculis insipientium mori.* Quis non mortuum putasset Sanctum illum & innocentissimum Juvenem Innocentium, (de quo in vitis Patrum) qui cum novè annis in Monasterio seni cuidam valde moroso, iracundo, ac difficili promissimè ex amore Dei ministrasset, post multa aspera, imò & verbera frequen-

*Rader. in Virid. SS.*

tia defunctus, rituque funebri sepulchro illatus est? Tamen ab eodem sene rogatus: *ergone Innocenti mortuum es?* respondit è tumulo: *fierine potest Pater venerande, ut obediens Dei servus mortem obeat?* Quærant jam alij, quibuscunque artibus & modis volent, nominis immortalitatem; monstra, debellant cum Hercule, muros ædificent cum Semiramide, expugnent cum Cyro, vincere studeant cum Casare, triumphos agere cum Pompejo, Orbem universum subijciant cum Alexandro: nemo gloriosius post fata vivit, quam cui hæc laus dari potest: *mortuum est servus Domini.*

*Domini.*

¶



DOMI-

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.  
Testamentum Anni scholaris morientis.

*Habita in sine Studiorum.*

*Defunctus efferebatur.* Lucæ 7.



Am jam moriente, & ad metam decurrente, non tam solari quàm scholari anno, nescio luctusne an magis gaudij vobis hodie sim nunciatus. Sed quid luctum nomino? quando lætiora Studiosis nunquam veniunt nuncia, quàm cum annum scholarem audiunt mori, & de eo passim proclamari: *defunctus efferebatur.* Hic tantum abest, in lacrymas quis oculos resolvat, pullas & lugubres vestes superinduat, mœsto dejectoque vultu incedat; quin potius hilaritati frena relaxet, in jubila, plaususque profiliat, & loco funebris naniæ, festivum identidem occinat: *Te Deum laudamus.* Nihil enim adeo gratum est hominibus, ac laborum finis; nihil optatius, ac tempus discendi videre consummatum. Dulce vacationum nomen omnem anni veteris obliterat memoriam, grataque quietis expectatio, supremum ejusdem diem vertit in festum. Et utinam suos intra limites lætitiæ consisteret! sæpe miser annus pro pænegyri nescio quas satyras dicam, an diras etiam post mortem audire cogitur; sæpe nescio quibus maledictis proscinditur; sæpe tyrannidis nescio cuius arguitur; sæpe ut ingeniorum, tortor, corporum carnifex, virium sanguisuga, pensorum scholasticorum im-

portunus exactor, juvenilis lætitiæ tertricus & morosus obturbator, non tam Inferni vestibulo, quàm Tartaro ipso dignus judicatur. Hæ solent esse Studiosorum grates, quas etsi non ignorat præsens hic vester in extremis positus annus; tamen pro innata sibi bonitate non dubitat etiam in ingratos beneficia effundere; & ne decedat intestatus, testamentum condit, in quo nonnulla vobis transcribit legata autumnalibus feriis inservientia; quæ ego nomine ipsius vobis recitabo.

Solenne inprimis est abiturientibus, necessarium sibi procurare viaticum, quo instructi tanto commodius per viam hospitari, tantò opportuniùs urgentibus hinc inde impedimentis possint occurrere. Viaticum vobis AA. legatur; sed quale? *offeum.* Ne terreamini ad primas ossium voces: ossa enim tametsi aspectu multis horrida, multis tamen contrà adeo sunt in pretio, ut auri, argenti que valorem videantur exæquare. Jacobus Edessenus scriptor apud Syros nobilis tradit, Noënum accepisse ad arcam ossa Adami, & finito diluvio inter suos liberos instar alicujus thesauri distribuisse, dedisseque *Sem* Calvariam. Similiter & Moyses, cum Hebræi ex Ægypto egredientes, aurum vasa que pretiosa secum asportarent, ossa & cineres Jo-

I.  
Legatum.  
pecunia.  
ossa.

seph

*Procop. in Exod. cap. 12.*

seph loco vjarici accepit, de quo ita Procopius Gazeus: *Hebraei, quia carnalia sectabantur, jussi sunt mutuo accipere vasa aurea & argentea: Moyses eligit viri justis ossa, qua praefert immensis Aegyptiorum thesauris.* Quid quod Abrahamus Ortelius insignis Cosmographus scribat, gentem quandam sub caelo reperiri, quae ossa mortuorum loco numerorum, loco auri, & divitiarum habeat, iisque in emendis vendendisq; rebus utatur? Barbaram hic nonnemo putaret stoliditatem; sed plane ad Aegyptiorum Sapientum mentem sapuerunt, apud quos qui prudentia, & atare caeteris antestare videntur, oblonga mortuorum ossa, ebore lignove efficta, vel etiam vera, hodieque circumgestare, sibi que mutuo monstrare, seseq; ad meditandum obitum solent cohortari, ut testatur oculatus testis Nicolaus Radzivilius.

*Radzivil. op. 2. de itin. Palest.*

*Hieron. in 2. 10. Matt.*

O numos omni auro, argentoque pretiosiores! o pecuniam universalem, omnibusque nationibus, regnis ac provinciis notissimam! Hac vos pro via instructos unice cupit testator vester Annus, qui in mortali suo grabato languidam sensim extussiens animam, vocibus semimortuis & fractis, Platonianam illam legem (cujus meminit S. Hieronymus) vobis per me denunciari jubet; *ut iter ingressi non des nunquam operiatis.* Mysterium non capitis? Pandam. Refert antiquus scriptor, solitum esse aliquando Platonem dicere, tanto aliquem evadere sapienterem, quanto vivacius mortem consideraret; ideoque hanc legem Discipulis suis Philosophia Studiosis dixisse, ut hoc ritu significaret

extremum vitae assidue cogitandum. Et vero quid convenientius erit vobis, o Philosophi, quam per viam mortem identidem contemplari? Nihil hoc a professione vestra alienum erit, quando Philosophia (cui studetis) magno deficiente Philosopho, non est aliud, quam *mortis contemplatio.* De B. Godefrido ex Comite Cappenbergensi candidi Praemonstratensium Ordinis Religioso refert Surius, quod cum esset in itinere socijs subinde residendo pausantibus, ipse quemadmodum in exequijs mortuorum membra componi solent, manus & brachia sua componebat supinus, clamore intimo gemituque vehementissimo exclamans: *o si veniat hora illa nostri transitus! o si ad hanc horam aptare, & preparare me digneris Domine Deus meus!* O verum Philosophum! Nolim ego de vobis dicatur illud Petri Blesensis, qui cum de hac ipsa mortis cogitatione differeret, tandem subjecit: *haec Philosophia frequenter in scholis describitur; sed frequentius proscribitur.* Passim quidem nonnulli iniqui rerum aestimatores Philosophiam ut inopem, egenam, & mendicam despiciunt: hinc illud vulgo tritum:

*Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.*

sed nescio, ullusne Crasus aut Tantalus illo sit ditior, qui mortis obtinuit scientiam, qui ossa mortuorum pro divitijs habet. Quid enim ei deesse possit, quando cum Stoico illo mortis contemplatore semper dicere potest: *nullius ego.*

Venio nunc ad alterum legatum, quod ijs omnibus inserviet, qui ad conciviam

*Sur. 12. l. 1. mar.*

*Bles. ep. 6.*

II.

*Poculum ex calva.*

vivia

vivia & epulas, ad nuptias & choreas; ad ludos & enccenia à suis, ut fit, familiaribus subinde vocabuntur. Illud est poculum ex calva, & tuba ex mortui ossi.

Cicer. pro Mil.

Quid vultu extimistis? (liceat mihi vos cum Tullio ita alloqui) quid expallistis? Rursusne terrificum quidpiam animo concepit? sed Philosophos vos esse memineritis, quibus nihil novum videri debet; bibere ex calva. Refert Pater Eusebius Nieremberg, ex P. Antonio Andrada, Lamba Sacerdotes fuisse, qui ex cranijs mortuorum potabant, è tibijs humanis buccinas sibi & tubas conficere solebant, in quos quadrabat illud Propertij:

l. 4. cl. 3.

Et struxit querulas ranca per ossa tubas.

Causam rogati à P. Andrada responderunt, se ossa mortuorum in pocula & tubas idcirco conficere, ut mortis, tremendique judicij memoriam sibi assidue refricarent. Philosophicè profusus; non barbarè, quemadmodum Cures ille Piezenigorum inhumanus Princeps, qui Svatillao Ruthenorum Principe interfecto, ex cranio ejus poculum auro circumdatum confici jussit, additâ epigraphè: *quærendo aliena propria amissit*. Huic addi potest Bulgarorum Dux Crumus Nicephori devicti calvariâ pro calice uti solitus. Nec omittendû M. L. Posthumij caput, quod, ipso cum 25. armatorum millibus cæso, Boij ovantes templo intulere, & ex calva auro cæлата sacrum templi Antistitibus poculum fecere in usum solennium libaminum. De S. Francisca scribit autor vitæ, quòd sibi vasculum de cranio hominis mor-

tui fecerit, idque continuè ad mensam adhibuerit. O si ejusmodi hodie mensis statuerentur, aut saltem cogitarentur pocula, quàm non luberet credo decempedalibus certare culullis, non ita, ut hodie fit, sine modo & mensura potaretur, non ita pergræcari ac heluari delectaret: si enim cranium humanum arefactum, & pistillo in farinam redactum admixto oleo gangranæ & carcinomati, ex medicorum sententia felicissimè medetur, cur non ebrietati? Hac de causa Sapientes Ægyptij convivij suis *sceletum*, sive mortuorum ossa, & ut Plutarchus scribit, *Ostrim* Regem in aurea tumba interebant, convivis subinde accincentes:

Heû! heû! nos miseros, quàm totus homuncio nil est.

ipfas verò epulas tristi hoc acroamate clauderent: *mementote mori*. Similiter apud Reges Æthiopiæ, Abassinos, consuetudo quondam fuit, & forte nunc est, ut cum regiæ opulentiaæ fercula inferuntur, vas vitreum cinere, plenum in mensa collocetur. Nec aliter SS. Hieronymus & Carolus Borromæus cibum capiebant, quàm præfente inter lances calvariâ; quos defacto imitantur nonnulli Religiosi, uti PP. Carmelitani & Augustiniani ex calceati.

Post epulas communiter transitur ad choreas, juxta illud Israëliticum: *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Hic permixto dispare sexu, quàm multa sese ingerit lascivia; fieri enim vix potest, ut fervente Baccho agnata ei non fer-

pp. veat.

III.  
Tuba of-  
sea.  
Exod. 32. 6.

veat Venus. Quot hic lascivi aspectus, quot impuri tactus, quot obsceni motus, quot foedi cogitatus, quot spurca dictoria! Sed enim tunc quam maximè vel ipsos inter fidium modulos, sive que concrepantia musicorum instrumenta, tuba illa ossæa in auribus vestris resonet, imò totum ex ossibus mortuorum organum, quale apud Binett Tyrannus quispiam sibi fieri curavit, cum inscriptione: *saltus Regum, mors hostium est.* Ajo ego: saltus hominum mors eorundem est. Tunc enim saltus ingens cuivis faciendus, videlicet à mundo uno in alium, à terra ad cælum vel Tartarum, à momento ad secula, à tempore ad æternitatem. Tunc, sed serò cantabitur illud Hadriani:

*Animula, vagula, blandula,  
Hospes comesq; corporis,  
Quæ nunc abibis in loca?  
Pallidula, rigida, nudula,  
Nec ut soles dabis jocos?*

Jocari enim nescit mors cuius lusum semper serius est. Proinde, AA. quoties hisce ferijs, sive epulis, sive choreis, ludis aut jocis vos interesse contigerit, toties occurrat animo, quod Antiochenus Antistes aureo suo ore nobis intonat: *quando audierimus tubam,*

Chryso. hō.

8. in ep. D.

Pauli.

*quando vocem illam Archangeli qua-  
vis tuba clariorem perceperimus, quis tunc  
nobis animus erit?* Plutarchus in vita  
Gracchorum postulatō rei capitalis  
tubā ad iudicium vocari docet. Hic  
vos paucis compello: quis tunc illis  
animus audito tubæ sono? num salire  
& lascivire, num epulari & pergræcari,  
num ludere & jocari lubuit? Haud e-

quidem puto. Genio enim indulgere  
opportunitum non est, ubi de capite agi-  
tur. Salubriter ante alios sapuit Do-  
ctor Dalmata, qui hoc documentum  
observasse alijsq; tradidisse fertur: *sive  
bibas, sive comedas, sive vigiles, sive dor-  
mias, hæc tibi tuba insonet: surgite mor-  
tui venite ad iudicium.* Ex quam  
materia tuba illa futura sit, disceptant  
Interpretes. Franciscus Svarez argen-  
team vel æream fore opinatur. Sed  
hujusmodi tubæ lætitiæ potiùs, quam  
luctui deserviunt, ideoque ad convivium  
& epulas adhibentur exhilarandis con-  
vivis. Potest quidem & æneâ tubā fe-  
rale carmen cani, sed si illa infernè oc-  
cludatur, quod Tubicines Sardin vo-  
cant. Ego nihilominus tubam novis-  
simam ossæam crederem, per se enim  
fractum, luctuosum, & mortualem so-  
num dabit, & ideo vel cogitata ad om-  
nis gulæ, libidinisque illecebras ex-  
pugnandas, remedium est præsentissi-  
mum. Sic profuit Bogori Bulgarorum  
Regi, qui ubi Methodium virum reli-  
giosum picturæ peritum ceperat, ab eo  
expetijt, ut quod maximè formidand-  
um esset, penicillo exprimeret. Pin-  
xit ille terrificum illum iudicij appa-  
ratum, & in eo à quatuor ventis tubas  
mortuos è sepulchris excitantes: ad  
cujus tabulæ aspectum sic inhorruit  
Rex, ut muta tuba eum è Regali solio  
in Religiosi claustrum latebras compule-  
rit, quò ad veræ tubæ sonitum compa-  
reret securior. *Attendite itaque vobis*  
(verba sunt ipsius Domini) *ne fortè gra- Luc. 21.*  
*ventur corda vestra in crapula & ebrie-  
tate, & superveniat in vos repentina dies  
illa. Vigilate omni tempore orantes, ut  
digni*

Binett.  
schola a-  
gror.

digni habeamini fugere ista omnia, que futura sunt, & stare ante filium hominis. Cum enim ad ejus tribunal ventum fuerit: ubi applausus illi ac chorea, epule, & festi conventus? ubi computationes & cana? Tunc dicet unusquisque: melius erat ire ad domum luctus, quam ad domum convivij. Vel, ut legit Thaumaturgus, satius fuerit lugere, quam convivari, & adesse marentibus, quam vino se obruentibus. Quare melius? quare satius? Quia cor sapientum ubi tristitia est, & cor stultorum ubi letitia. Si vultis, inquit rursum Chryso-  
 Chrystom. stomus, duas domos describamus: hanc  
 62. ad pop. quidem nubentium, hanc verò lugentium: mente utramq; ingrediamur, videamus utra melior. Invenietur enim lugubris sapientia plena; nuptialis autem plena confusionis. Nam vide turpia verba, incompósitos risus, incompósitiores locutio-

nes; & vestis & incessus deformitate plenus: verba multa fatuitatis & stultitiæ plena, & aliud omnino nihil; risus omnia & derisio, que sunt illic: tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt presentes: hi quidem ut equi hinniunt; hi autem ut asini calcitrant; multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil. Diaboli pompa, cymbala & tibia, & cantica fornicationis & adulterij plena. At non ita illic, ubi luctus: omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompositum: si quis aliquid locutus fuerit, omnia sunt verba Philosophiæ plena.

Quisque etenim sibi à defuncto tacite dici censet: memor esto judicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri & tibi hodie; vel potius vice versa: hodie mihi, eras tibi. Eccli. 38. 23.





## DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Invidus malè videns.

Observabant eum. Luc: 14.



Strorum cœlestium ea, felixne dicam, an misera semper fuit conditio, ut oculis omnium exposita nusquam sine arbitro movere sese, nusquam sine censore incedere possint.

Serenissimus Princeps siderum Sol quacunq̃ aureo suo curru vehatur, sive per Eoas, sive per Hesperias properet plagas, sive etiam in Australi sibi que carissima Domo tantisper meridietur, ubique se comitantes habet oculos, ubique observatur, & aspectatur, quàm humilis, quàm altus sit; quàm brevem, quàm longam jaciatur umbram; quæ signa, quos gradus transcendat; recedat, an accedat; rubeat, an palleat. Et quarevis ob nimiam lucem citra pupillæ læsionem diu aspicere nequeat, excogitavit tamen humana sagacitas specula, tubos, & vitra, per quæ etiam nemini hæcenus notas maculas in eo notavit & observavit. Divinissimus Sol Justitiæ, splendorque lucis æternæ Christus, ut primùm à summo egressus cœlo *exultavit ceu gigas ad currendam viam*, quot & quales non habuit observatores! Vix dum exortus fuerat, & ecce Magi ac Mathematici ab Oriente ad eum speculandum venerunt: vix inter homines agere cepit, & continuo omnium ora atque obtutus in se rapuit, *sequebatur enim*

*eum*, quacunq̃ ibat *multitudo magna* Luc. 6. ab omni Iudæa & Samaria, & Maritima, & Tyri, & Sidonis, ita ut ne in desertis quidem & inhabitatis locis latere posset. Nullos verò rigidiores sui censores passus est ac Legis-Doctores, Scribas & Phariseos, qui non libero & simplice duncaxat oculo, sed geminatis etiam adhibitis perspicillijs in eum, ubique intendebant, si forte maculam aliquam vel minimam in ipso expecularentur. Intravit invitatus in domum ejusdam Principis Phariseorum *Sabbato manducare panem*, & ipsi *observabant eum*, inquit Evangelista. Qualiter observabant? attendentes sedulo ad omnes illius gestus, motus, & verba, num quidpiam diceret aut faceret, unde animam sumere possent illum cavillandi, & accusandi. At ô viperea proles, quid in divino sole maculas quaris? quid defectum in eo scrutaris, qui testimonio totius populi, *omnia bene fecit*? Non equidem miror: nam cæci sunt & malè videntes, quorum proprium est in alios esse oculatos, juxta illud Poëtae:

*Cum tua pervideas oculis malè lippus inunctis* Horat. l. 1. Sat. 3.

*Cur in amicorum vitis tam cernis acutum?*

Collyrium ad acutè videndum quærebat

V.P. Scheiner, in rosa ursina.

Laured. fil. - bat nonnemo: alter optimè huc va-  
va tit. In- lere perspicillum invidiæ affirmavit,  
vidia. nam *invidus*, inquit, dicitur ab intus vi-  
dendo, & nimis videndo, eò quòd eti-  
am tenuissima quæque mala in proximo  
videat, videt enim *festucam in oculo  
fratris sui*. Ego tamen contrarium,  
præsenti allocutione docebo, osten-  
damque omnem invidum & malitio-  
sum malè videre, oculisque laborare.

Luc. 11. Humani oculi tanta est præstantia  
& dignitas, ut eum Christus ipse corpo-  
ris lucernam appellet: *lucerna corporis  
tui est oculus tuus*. Alij *solem*; alij *du-  
cem*; alij *speculatorem* vocant. Sed  
uti nullum membrum eo præstantius  
& venustius; ita nullum tot tamque  
diversis morbis & affectionibus obno-  
xium. Galenus Medicorum Alpha  
omnino centum duodecim morbos in  
oculo notavit; alij 365. è quibus no-  
tiores sunt strabismus, *μωωπίασις*  
& ophthalmia sive lippitudo. Omni-  
um tamen maximum & perniciosissi-  
mum oculi vitium, omnium pessimus  
morbus est Invidia, nam teste Satyrico  
fat cæteroqui aliorum observante,

Invidiâ Siculi non invenère  
Tyranni  
Tormentum majus.

Juvenal. Si enim oculorum dolores præ ceteris  
Fernel. acutiores ipsi censent Medici, quanto-  
I. rum tormentorum causa non erit In-  
vidiæ? est vidia, quæ sola & unica omnibus illis  
strabus. æquivaleret? Et primò quemlibet Invi-  
dum facit *strabum*, quia nunquam re-  
Virgil. E- cto aspiciat obtutu, sed semper *trans-  
clog. 3. versa tuentibus hircis*. Testatur hoc

ipsum alius Poëta, cum Invidiam gra-  
phicè describens inter cetera ait:

*Pallor in ore sedet, mucies in corpo-  
re toto  
Nusquam recta acies - -*

Ovid. 2.  
Metam.

Et patuit in Saule Hebræorum Rege,  
qui ut primùm sibi Davidem prælatum  
cognovit, inauditque illud trium-  
phale carmen occini: *percussit Saul  
mille, & David decem millia*, extemplò  
1. Reg. 48. strabismum contraxit; nam ut ait sacer  
historicus: *non rectis oculis Saul aspicie-  
bat David à die illa & deinceps*. Ni-  
mirum nihil ita obliquat pupillam ac  
aliena gloria & prosperitas. Sic de  
Drance Rutulorum oratore canit Vir-  
gilius:

- - quem gloria Turni  
Obliquâ invidiâ, stimulisq; agitabat  
amavis.

Virgil. 11.  
Æneid.

ut proinde rectè dixerit ille, qui roga-  
tus quomodo invidia caveri posset, re-  
spondit: si nihil præclarum agas, &  
nullam obtineas felicitatem; quod i-  
dem sensit & Themistocles, cum eti-  
amnum adoleseens fatebatur, nihil dū  
præclari à se factum; nondum enim in-  
videri sibi. De glorioso illo Ma-  
cedonum Alexandro scribunt Plutar-  
chus, Curtius & alij, naturæ inter alia  
eum hoc habuisse vitium, quòd trans-  
verso aspiceret obtutu, cum capite ef-  
set non directo, sed in humerum fini-  
strum inclinante, & sursum aspiciente,  
ita ut si quem coram se consistentem a-  
spicere vellet, limis & transversis ocu-  
lis eum intueri deberet. Sed magis

Val. Max.  
1. 4.

cre-

credo hoc illi vitium ab Invidia, quàm à natura provenisse, tam enim obliquè alienam aspiciebat gloriam, ut cum ei Darius partem regni sui obtulisset, dummodo secū pacificaretur, respondit: cœlum duos soles, & terram duos reges non admittere. Sed & Neptunum identidem orabat, ne quem alium mortalium eò quò ipse classe sua attingerat, transire pateretur, invidens hanc gloriam etiam futuris hominibus. Superbi & invidi, ait Bernardus, *solos sese reputant, soli appetunt reputari. Literatus est? odit socium; pecuniosus? si videt alterum ditescere, cruciatur; formosus est? da ei parem & contabescit.*

Quin &

Hesiod. in  
oper. & dis.

-- mendico protinus invidet alter  
Mendicus, Cantor Cantorem lividus  
odit.

Theatr. tã.  
i. vol. 1.

Quid quòd repertus sit qui socio altiorum furcam inviderit? Narratur enim in theatro vitæ humanæ, Diophonem quendam, dum crucifigeretur unà cum alijs, valde præ invidia doluisse, quòd alius in cruce altiore, & in furca eminentiore appenderetur. Ita ne quidem patibularis gloria extra invidiam est.

II.  
Myops.

Jam verò Invidia hominem non tantum strabum, sed & myopem reddidit. Myopes vocantur, qui curtum hebetemque habent visum, quem ut acuunt, solent oculis prætere vitrea perspicilla, sive, ut vulgò dicimus ocularia, è quibus alia sunt augmentia, quæ objectum majus ac in se sit, repræsentant; alia minuentia, quæ minuunt. Incedunt & Invidi, ut supra memini,

ubique cum perspicillis, habent suos tubos oticos, habent ocularia, hac tamen differentia, ut in defectibus aliorum observandis utantur *augmentibus*, in laudabilibus contrà applicent *minuentia*. Vident in altero levem aliquam imperfectiunculam, protinus, quasi nescio quàm grande crimen esset, eam exaggerare, aggravare, & elevare, protinus personam illam omnis speciosa promotionis & officij indignam, inhabilemque clamitare, imitantes leonem illam Æsopicum, qui miserum a fellum ob evulsam è rusticorum calceis stramentam peccati gravissimi, ipsiusque adeo mortis reum condemnavit. Contrà si præclarum cujusquam aspiciant opus; non illi facile superlativis nominibus & terminis in laudando utuntur; non facile dicunt: pulcherrimè, elegantissimè dixit; præclarissimè se gessit; verum: *utcumq;*, sic & sic, taliter qualiter, commodè, sed non satis judiciosè, & prudenter, &c. Omnes mores pessimi, inquit D. Ambrosius, *erroribus delectantur alienis, & non solum erroribus, sed etiam ijs, quæ ipsis videntur mala esse, etiamsi non sint.* Et quid mirum? namque uti ipsi oculis caligant, tenebrosoque quod Christus ait, sunt corpore; ita omnes alios nigros & obscuros esse putant, instar Harpastes vetulæ illius Senecianæ, quæ cum myops & semicæca esset, nimias in domo tenebras querebatur.

Est & lippitudo maximè proprium, maximeque sensitivum invidis vitium. Hæc juxta Medicos nihil est aliud, quàm humorum inflammatio, quæ rubros reddit oculos, & plerumque lacryma-

Amb. l. de  
Noë, c. 30.

III.  
Lippus.

crymarum fluxum causat. Et qui magis oculis rubent, qui magis ardent, bonisque alienis inflammanantur ac Invidi? Habemus hujus rei luculentum exemplum in Josephi fratribus, qui quod eum Patri suo magis charum & insuper tunicâ polymitâ, hoc est, elegantius quàm se vestitum viderent, in quale non odium contra illum exarserunt, ut parum abfuerit, quin omnino interficerent. Sed à matre lippa, quis nisi lippas expectet proles? plerique enim Liæ erant filij, de qua scriptura ait: *Lia lippis erat oculis.* Sic etiam Caligula, referente Svetonio necavit Ptolemæum Regis Jubæ fratrem, solùm ex invidia honoris ob unam vestem assecuti, quod nimirum fulgore vestis purpureæ conspicuus, totius populi in se converterit oculos, cum theatrum, in quo Caligula edebat spectacula, ingrederetur. Invidiam ejusmodi *puerilem* meritò nonnemo appellat: pueris enim familiare est pulchras vestes alijs sibi æqualibus invidere; hinc si alter fratrum, comptius incedat, alter continuò præ invidia irasci, vociferari, plorare, fluxuque oculorum laborare. Imò *parvulum* planè occidit invidia, inquit Hufæus vates; vel, ut legit D. Thomas, *pusillanimum.* Et Aristoteles docet, eos qui pusillo sunt animo, nauci que homunciones magis ceteris invidiâ laborare, sicut planetæ inferiores superiori- bus lucem adimunt, non autem vice- versa. Romanis quamdiu magnanimitate reliquis populis superiores eminebant, dabatur hoc vel ab ipsa sacra- pagina elogium: *non est invidia, neque zelus inter eos*: at decrecentibus eorum

animis, statim accrevit livor, ut ibi animadvertit Lyranus. Nonne pusillanimis, nonne puer videri poterat virilis aliàs Romanæ militiæ Imperator C. Metellus, quando intelligens provinciâ Numidiâ Mario æmulo suo datam, *supra bonum honestumq, perculsus, neque lacrymas tenere, neq, moderari linguam vitus est?* Similiter Angeli, dum in altissimo gratiæ statu manebant, invidabant nemini. *Quomodo namque rationi consonum est, quærit Chrysostomus, Angelum incorporeum & in tali dignitate constitutum homini invidere corpore circumamictò?* Sed simul ubi à superna gloria in extremam ignominiam dejectus est, invidit. Diabolum egregiè expressit Theophilus Imperator, qui in extremis jam positus, supra omnes corporis dolores magis oculis urebatur, quod se mortuo Theophobus, quem ex mera invidia in carcerem conjecerat, superstes futurus esset. Quare cum hoc ei invideret, ad lectulum suum fatalem Theophobi caput deferri jussit, quod semimortuâ manu prensans, & cum gaudio contemplanis dixit: ego non ero posthac Theophilus; nec tu Theophobus. Atque hoc solatio ad flammâs ruit sempiternas, ubi omnes lippiunt, nam continuus istic oculorum fluxus, continuus *fletus & stridor dentium.*

Quid itaque Invidio turpius, qui tot tamque gravibus oculi laborat defectibus? Ut enim pulchritudo, ita & deformitas ex oculis vel maximè æstimatur. Fuit Romæ celeberrimus Pictor, qui ut pro Summo Pontifice Joanne XXII. Invidiam vivis & colubrinis coloribus depia-

Gen. 37.

Gen. 29. 17.

Job. 5. 2.

Aristo. l. 9. hist. anim.

1. Mach. 8. 16.

Salust. Lu- gurth.

Chrys. hō. 12 in Gen.

Caussin. aul. S. 10. 3. p. 2. exemp. 12.

Chryf. hom.  
31. in 1. ad  
Cor.

depingeret, integros triginta annos absumpsit. Nec miror: nam ipso etiam Diabolo monstrosior est, Chrystomo rursus teste: quippe *Satan invidet; sed hominibus, socio autem nemini; tu verò homo cum sis, hominibus invidet.* At vos AA. studete oculos vestros ita puros & sanos conservare, ne in eis quidquam livoris aut ruboris appareat; Augustum imitati, cui tam lucidi feruntur fuisse oculi, ut in quos paulò attentius eos defixisset, tanquam ad solis fulgorem connivere cogeret. Vel potiùs pium illum Religiosum Bernardum de Quintavalle, B. Francisci olim socium; à cujus oculis veluti dua-

Sveton.

Marull. l.  
5. c. 1.

bus lucidissimis stellis miri splendoris radios promicare vidit Leo frater, divinitusque accepit ipsum ideo fulgentes habere oculos, quòd neminem unquam intuitus fuerit, quem se meliorem non judicaret, aut cui aliquid invideret. Tales oculi Dei cor vulnerant, & sagittant, quia *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.* E contrario autem lividi & nequam cum strigibus infernalibus torquebuntur, imò jam nunc torquentur; nam *dura sicut infer-*

*nus amula-*

*tio.*

✠

1. Ioa. 4. 16.

Cant. 8.



DOMI-

## DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

SOLUS DEVS VERUM AC GENUINUM AMORIS  
OBJECTUM.*Diliges Dominum Deum.* Mat:22.

**H**umanos inter affectus qui principem amori locum dedere, experti mihi videntur, quod ait Chrysostomus, ardentem esse naturam dilectionis. Ut enim ignis celari non potest, ita quis bene celet amorem? Ceteros ferè affectus, uti odium, iram, tristitiam, metum, faciliè est intra pectoris continere septa, ut qui angustiùs, quàm spatiosius habitare malint: at quantò his angustiùs sunt vasa carnis, tantò magis dilatantur spatia charitatis: unum cor amori parvum nimis hospitium est; sensus ille omnes ac membra pervadit, in oculis sedet, in auribus pervigilat, in olfactu lateat, in lingua discurret, in labijs renidet, in brachijs sudat, in pedibus volat, in pulmonibus spirat, in visceribus calet, (hinc illa phrasis: *diligo te ex totis visceribus*) in arterijs palpitat, in medullis quietcit; verbo totum hominem reddit *ολοκάρδιον*. Hinc quidam apud Smetium, ut proderet quo fuisset affectu, sepulchro suo inscribi voluit: *ολοκάρδιος*, id est, *merum cor*. Quod amulatus videtur, qui capsulae, ubi Francisci I. Galliarum Regis cor reconditum fuerat, adscripsit epigraphen: *totus hic Franciscus*. *Ολοκαρδίος* nos hodie universos cupit æterna Sapientia, dum

monet, imò mandat: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus ac visceribus tuis*. Quem solum esse verum ac genuinum amoris objectum præsentati probabo diètionè.

Communitè Ethici ac Philosophi objectum amoris assignant *bonum ut sic*: amor enim, ut definit Aristoteles, aliud nihil est, quàm *volitio boni*; & bonum, vicissim, *id quod omnia appetunt*. Plato: *bonum*, inquit, *est, quod sibi ipsi satis est*. Diogenes: *quod naturà suà est absolutum*. Piccolominius: *perfectio nata*

*experi*. Et hoc rursus in duplex subdividunt; in *verum*, & *apparens* duntaxat.

*Verum* nuncupant, quod non alterius, sed sui ipsius gratià est appetibile: *apparens*, quod non naturà suà, sed hominum non recta opinione est tale. E

quibus definitionibus quæ evidentior inferri potest consequentia, quàm: ergo solus Deus super omnia amandus est? Quis enim naturà suà tam absolutus, ac ille? quis sibi ipsi tam sufficiens, ac ille? quis ita perfectus ac ille? quis tam propter se appetibilis atque ille?

Bona est lux; nam *vidit Deus lucem*, quòd esset bona: bona est terra, bonæ aquarum congregationes, bona Cœli astra, bonæ animantes, bona volatilia; denique omnia quæ fecit Deus valdè bona sunt: verumtamen D. Augustino

Qq

teste.

Chryso. in  
Psal. 41.Arist. lib...  
Ethic.Piccolom.  
grad. 8.

Gen. 1.

*Aug. l. 13. Confess.* teste, in comparatione Dei, nec pulchra sunt, nec bona sunt; imò nec sunt. Ipsa Christi Humanitas, in quam desiderant Angeli prospicere bona audire noluit; sed epitheton istud soli divinitati deberi docuit, cum adolescenti illi dixit: *nemo bonus nisi solus Deus*; quasi dixisset, ut interpretatur Augustinus: *quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facit bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile, quod solus est Deus.* At at

*Aug. lib. 3. cont. Maximin. c. 23*

*Judic. 18.*

*Credimus, an qui amant ipsi sibi non tam somnia, quam bona fingunt? Fingunt profecto non pauci, qui cum Micha illo Deos sibi nescio quos faciunt; illud enim cuius, Deus, quod maxime colit, ait noster Cornelius. Veteres Aegyptij boves, feles, & cepas pro dijs habebant: Romani pellices & scorta pro deabus. In Italia vir opibus pollens fuit, qui equum suum ita amabat, ut ei aegrotanti aureum cubile fieri jussisset, ac cervical sericum substraverit. Cumque ipse podagra vincetus detineretur, quotidie tamen, primarios urbis Medicos advocans, ad equum visendum proreptabat, ei assidebat, palpabat, nihilque ad pellendum morbum intentatum relinquebat: majorem denique equi, quam animæ propriæ curam gessit, ac mortuum longe magis luxit, quam filium; imitatus in eo spurcissimum Caligulam, de quo ista scribuntur: *unum ex equis suis, quem velocissimum appellabat, invitabat ad cenam, ita, ut ei hordeum ex auro apponeret, fundereque vinum in poculis aureis, ac per salutem ejus & fortunam juraret, sequi eum Consulem facturum polliceretur.* Hie-*

*Dio Nic.*

remias Drexelius feminæ meminisse, Drex. pro. dr. mort. quæ selem in tantis habebat amoribus, ut moriens ei pro honesta sustentatione ac mensa quingentos philippeos testamento legaret. Demetrius Antigoni filius præ nimio scorti cujusdam amore decubuit. Illum cum subinde Rex Pater inviseret, ante cubiculi fores scortum reperit; tum ingressus bono ægrum animo esse jubet, quod remissior venarum & arteriarum motus esse videretur. Fatente Demetrio se meliusculè habere, subridens Pater; *ita est, inquit, ego eam pro foribus cubiculi inveni.* Xenophon Cliniam puerum ita deperibat, ut, cum ab ejus oculis abesset, continuò lacrymaretur; protestareturque, si ea Jovis foret voluntas, ut oculis captus solum Cliniam cerneret, & ad reliqua cæcutiret; vel reliqua omnia videret, Cliniam autem intueri non posset, malle se solius Cliniaæ aspectu pasci. O amorem verè cæcum! Hinc bene de talibus cecinit ille:

*Omnis amans cæcus, non est amor ar-* *Meurer in*  
*biter æquus,* *Meteorol.*

*Nam deforme pecus judicat esse*  
*decus.*

*Quisquis amat ranam, ranam putat*  
*esse Dianam,*

*Quisquis amat servam, servam putat*  
*esse Minervam.*

Vulgò quidam dicitur amor, ea quæ pulchra non invenit, pulchra facere: sic mulier aliqua, cujus maritus Gallico morbo mirè defædatus erat, jurabat anhelitum illius videri sibi svavissimū, quem alij intolerabilem affirmabant: sed enim pulchritudo illa ac bonum nonne

*Cic. in parodox.* nonne merè imaginarium est ac phantasticum? Præclare M. Tullius: *non sunt bona illa dicenda, quibus abundantem licet esse miserimum: Et rursum: bona non sunt, que quis habeat, & miserimus esse possit.* Quis amabò illo miserior, qui cor suum alicui creaturæ nimium affixit? Nam, ut verissimè Comicus:

*Plaut. in Mercat.* Amorem hunc cuncta vitia sectari solent,  
 Cura, aegritudo, nimiaq; elegantia.  
 Insomnia, erumna, error, terror, & fuga,  
 Ineptia, stultitiaq;, adeo & temeritas,  
 Incogitantia excors, immodestia,  
 Petulantia, cupiditas, & malevolentia,  
 Inheres aviditas, desidia, injuria,  
 Inopia, contumelia, & dispendium.

*Barry solit. bagioh. die s. diff. matut.* Eadem paulò clariùs recentior spiritus Magister ita exaggerat: "an non est esse mancipium vincitumq; semper mentem habere uni creaturæ obnoxiam? ad illam noctu diuque anhelare? ijs desiderijs indormire? saepe noctem infomnem ducere? si præfens adsit, jam deserui non potest; desigi in illam obtutus debent, tangere opus est, manum apprehendere, testificari, quòd illam amemus. Si evigilamus, prima animo occurrat; si dormimus, ejus imago somniantibus obijcitur. An non ista insolens quædam servitus est? Et quidem idolorum servitus; quidquid enim præter Deum diligitur, idolum est. Hinc idola nostra appellare solemus, quæcunque præter Deum etiam sine gravi ejus offensa diligimus, ut lo-

quitur nonnemo\*. Quod porro tormentum gravius esse potest, ac quando divelli oportet? Hic audire est nescio qua lamenta, & ululatus; & si quæras: quid tibi vis? cur clamas? ô infane amator; respondebit cum supradicto Micha: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & omnia qua habeo, & dicitis: quid tibi est?* Fuit, qui amasiæ defunctæ imaginem pro altari suspendit, eamque ut Deam quotidie adoravit, donec dolore contabesceret. Nonne hoc erat, abominationem stare in loco sancto, uti stetit Adonidis statua in loco Christi Nativitatis, & statua Veneris in loco Crucifixionis? Cor nostrum veri Dei Residentia est, illud sibi specialiter sacra- vit ac dedicavit, ille est ei optabilis locus, ut loquitur Rupertus: quanta proinde indignitas, quantum nefas & sacrilegium censeretur, tam turpia idola & imagines ibi hospitari! O si amorem istum, quo creaturas tam perditè amamus, in earum creatorem transferremus, quàm beati, quàm felices essemus! expertus enim potest credere, quid sit Deum diligere. Interrogabat alicubi locorum discipulos suos & literarum & virtutum diligens Pædagogus, ut si fata illis suo liceret componere arbitrio, quam quisque fortiri vellet vitæ conditionem, libere profiterentur. Primus regium se optare fastigium dixit, nullâ quidem ambitione, sed ut quàm plurimos posset juvare. Alter Imperatorias artes, fortunamque, quò barbaros Ecclesiæ hostes bello contunderet, ac sub jugum mitteret. Edvardus quidam Anglus, ubi ad eum dicendi vires sunt delatæ:

Qq 2 ego

\* Pint. R. mirex. in Apoc. ep.

Judic. 18. 24.

V. Zebent. in promont. mala spei l. 2. S. 3.

Rupert. l. 6. de victor. verbi c. 25.

Rho var. hist. l. 1. c. 1.



ego verò, inquit, quam maximè Deum  
amantis forte unicè me beatum existima-  
rem. Quare quacung, demum vitæ con-  
ditio pluribus amato Deo obsequijs præ-  
standis est opportunior, ea mihi præ omni-  
bus arridet. Rectissimè tu sapuisti ô  
Adolescens, meritoque tibi palma pro  
tam docto responso debetur. Lege-  
ras fortè illud D. Augustini: quan-  
quam hæc infima habent suas delectatio-  
nes, suosq, amores: non tamen tali modo  
delectant, sicut tu Deus noster. Tui  
enim amor s'vavis est & quietus: nam  
pectora, qua possides, dulcedine & s'vavi-  
tate replet. Et contra amor seculi, &  
carnis anxius est, & perturbatus: ani-  
mas certè, quas ingreditur, quietas esse  
non patitur. Semper enim suspicionibus,  
& perturbationibus, varijsq, timoribus  
solicitat eas. Tu itaq, es delectatio pecto-  
rum, & merito. Qui intrat in te bone  
Domine, intrat in gaudium Domini sui.  
Ita intravit B. Catharina Genuensis,  
cui semel gustatus Deus adeo sapuit,  
ut tota in ipsum amando transforma-  
ta videri potuerit. Cor ejus tanto ar-  
debat calore, ut vix manu contingi va-  
leret, & subinde tantopere æstuavit,  
ut si æstus ille ad biduum durasset, ca-  
lorem naturalem extinxisset. Hor-  
rebat dicere verbum hoc *Ego & Me*:  
cumque illud interdum cogere-  
tur, pronunciare, simul intra se loquens, &  
seipsam quasi corrigens, dicebat: *me-  
um me, meum ego est Deus*. Didice-  
rat hoc ab ipso Spiritu Sancto, qui ei  
s'vaserat, ut has tres sibi præfigeret re-  
gulas: primam, ut nunquam diceret,  
*volo, vel nolo*; secundam, ut nunquam  
haberet in ore *meum, vel nostrum*; ter-  
tiam, ut nunquam se excusaret, sed  
semper accusaret. Præterea, ut pro-  
se acciperet quasi tesseram & funda-  
mentum vitæ spiritualis, ex *Pater no-  
ster*, FIAT; ex *Ave Maria*, IESVS;  
& scriptura sacra verbum AMOR.  
Intravit S. Philippus Neri, cui u-  
num pectus amando Deo non suffecit,  
ut necesse fuerit illud ampliari; legi-  
tur enim de illo: *charitate Dei vulne-  
ratus languebat jugiter, tantoq, cor ejus  
æstuabat ardore, ut cum inter fines suos  
contineri non posset, illius sinum contractis,  
atq, elatis duabus costulis, mirabiliter  
Dominus ampliaverit*. Intravit Beatus  
Stanislaus Kostka, cujus item pectus  
frigidâ attemperari oportuit, ne om-  
nino combureretur: ita divino amo-  
re ardebat. Quam præclare dixit  
Gregorius Nazianzenus, debere nos-  
toties Dei meminisse, quoties respira-  
mus! Quæ enim dulcior recorda-  
tio, quam Dei? Quid tam volupe ac-  
Deum semper in mente & in ore ha-  
bere? Dicat S. Franciscus Seraphicus,  
quam jucundum illi hoc fuerit exerci-  
tium, cum totis noctibus satis inge-  
minare non poterat: *Deus meus, &  
omnia*. Dicat S. Franciscus Xave-  
rius, qualem habuerit salivam, dum  
ex longo ad Deum suspirandi usu, e-  
tiam dormiens in has voces erumpe-  
bat: *ô bone IESU! IESU creator  
mei! Deus cordis mei, & vita anima  
mea!* Dicat Franciscus Binantus Or-  
dinis Minimorum, qui eadem verba,  
semper in ore habebat; subindeque  
ingenti suspirio edito millies repetijt:  
*ô bone Deus!* Dicat Jacobus Cerrutus  
Societatis JESU, qui quotidie millies  
in

Aug. Me-  
dit. c. 31.

Baccius in  
ejus vita,  
& Brev.  
Rom. 26.  
May.

in DEVM novâ semper amoris pennâ ferebatur. Dicat Didacus Martinez, ejusdem Societatis, qui præter decemorationis horas in dies singulos eliciebat, cum summa diligentia ad calculum quater mille actus amoris DEI. Dicat Franciscus Svarez, vir undequaque Doctissimus, (qui ut Augustinus de Varrone ait: *tam multa legit, ut ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus,*) dicat, inquam, quomodo ei inter tot lucubraciones sapuerit Deus, à quibus (præter prolixas aliquot horarum preces) centum amoris actibus in eum quotidie abstrahatur. Dicat denique, ut sexcentos alios præteream, B. Maria Oegnia-

Aug. de Ci-  
vil. l. 6. c. 2.

censis, quæ per diem centies mille genuflexionibus, in divinæ bonitatis abyssum sese demittebat. Fuerat superiore seculo erectum in Vrbe sodalitium *Divini amoris*. O si omnes ex hoc sodalitio essemus! ô si vel primis labris gustaremus, & videre mus (quod Regius Propheta clamât) quàm *suavis*, quàm dulcis, quàm melleus, quàm sapius, quàm bonus sit *Dominus*; profectò nemo nostrum esset, qui non usq; ad ultimum halitum cum Vrsulina Virgine Victoria occineret: *O Deus!*

*O IESV! mi dulcis amor, nil diligo  
præ te;  
Tu Sponsus meus es; mens mea sponsa  
tua est.*



DOMI-

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.  
Quomodo Infirmi portandi.*Offerebant ei paralyticum.* Matt: 9.

Ulm Princeps aliquis vel Toparcha magni nominis urbem ingreditur, plerumque incolæ in ejus occursum effunduntur, festivæ aggratulationes, lætaque audiuntur carmina, tubæ & litui, bellicæque simul resonant fistulæ, donaria pretiosa & curiosa congeruntur. Sic Evdoxia Theodosij junioris conjux ex voto Jerosolymam profecta, præter alia dona, vinculis ferreis, quæ D. Petri membra strinxerant, donata abijt: & S. Ludovicus Francorum Rex, dum esset Constantinopoli, insignem Crucis Dominicæ partem munus omnino regium reportavit.

Potentissimus omnium Principum Dei Filius ingreditur & ipse hodie civitatem suam Capharnaum: & ecce qualiter ab incolis excipitur, quali donario honoratur! *offerebant ei paralyticum.* Itâne ô boni! hæcine Domino vestro congrua oblatio? quid illi cum infirmo, exartuato & semimortuo homine, aut potiùs hominis larva? ubi crateres aurei? ubi gemmarum pretia? ubi tubæ, & tympana? ubi cantica? ubi *osanna*? Nihil horum Evangelista memorat, sed præcisè: *offerebant ei paralyticum, & quidem jacentem in lecto.*

*Marc. 2.* Marcus scribit illum à quatuor bajulis portatum, subditque: *cùm non possent offerre eum præ turba, nudaverunt tectum*

ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat. Qui actus ita Domino placuit ut plus ex hac oblatione voluptatis, quàm nescio è quàm divite thesauro perceperit: nulla enim re ita delectatur ac operibus misericordiæ, & proinde quidquid proximo exhibetur, sibi exhibitum computat: *quod uni ex minimis fecistis mihi fecistis.* In supremo verò die nil nisi hoc ipsum de prædicabit: *infirmus eram, & collegistis me, esurivi, & dedistis mihi manducare, nudus eram, & cooperuistis me, &c.* Hoc motivo S. Joannes Dei, Ordinem Fratrum instituit, qui toti in opera misericordiæ incumberent, infirmos colligerent, curarent, pascere, & idcirco *Fratres misericordiam facite.* Nec minus laudabilis hac in re S. Edvardus Rex Angliæ, ad quem cum Hibernus quidam lixa usu pedum destitutus adrepsisset, rogabat, humeris regijs ad S. Petri, quod templum pone aulam erat, ferretur. Annuit Rex, pependitque informis sarcina regio tergo, risumque movit spectanti civitati, quæ Principem summatuum arbitrata, à peregrino turpiter deceptum judicavit. Sed minimè deceptus est, quando maximum apud Deum quæsitum fecit: si enim calix aquæ frigidæ pauperi porrectus suam habet mercedem; quid ipsa pauperis bajulatio? Christus certe ipse leprosum se aliquan-

*Lyræ de imit: IESU patient. l. 3. c. 2.*

aliquando fingere non dubitavit, ut sic portaretur. Modum itaque facillimum docebo, quomodo citra corporis lassitudinem infirmos portetis, siquidem *Eccli. 17. 11. unicuique mandavit Deus de proximo suo.*

Duos duntaxat Paralyticos Christi medica ope, aut potius verbo curatos Evangelica memorat historia. Alter est hic ipse, de quo hodie agimus, & describitur à Matthæo, Marco & Luca: alter ad probaticam piscinam (cujus fuisse meminit D. Joannes) *triginta & octo annos habens in infirmitate sua*, in eo dispar à priore, quod non haberet hominem à quo portaretur, & deferretur in piscinam, dum movebatur aqua. Fors quia pauper & inops erat, nec habebat unde bajulis solveret: plerumque enim evenit, ut ditioribus citius serviat, & ubi nulla speratur merces, rara dantur obsequia. Hinc Garton quidam, cum omnia lustrasset, quæ sunt inter homines, tria se dicebat advertisse in aula Principum, quæ peroptime fierent, si contrario modo gererentur; primo, quod qui pejus *si sunt*, remotius ab igne collocentur, 2. qui plus esuriunt, pejus tractentur, 3. qui posterius ad mensam veniunt pejus fedent, & surgere citius cogantur. Adde debuisse & illud, quod qui se minus levare possunt, minus sublevantur: solis succollatur Dominis, sellaque vel lecticâ portari jam propè solorum Magnatum est. Magnus inter suos haud dubiè fuerit hodiernus Paralyticus, cui tot bajuli laboriosam præstiterunt operam, ut etiam ad tectum eum deferret, indeque per funes unâ cum grabato demittere non dubitaverint. Quidquid

sit tamen, non hoc spe mercedis, sed purè ex charitate illos egisse, vel inde colligo, quia *Iesus videns fidem illorum, dixit Paralytico: confide fili remittuntur tibi peccata.* Quasi diceret Evangelista: fides & charitas bajulorum movit Jesum, ut paralytico sanitatem conferret, esto is inimicus Dei esset, quia peccator, & ideo tantò ad portandum gravior: peccata enim adeo gravia sunt, ut ipsius Dei humeros faciant fatiscere, quod bene advertit nonnemo, recentior \* cum ait: *quid validius Dei humeris? & tamen non potest peccatori sarcinam tolerare.* Sæpius in sacris literis populus Israël appellatur *onus Domini.* Jeremiæ enim dictum est *divinitus: si interrogaverit te populus iste, vel Propheta, aut Sacerdos, dicens: quod est onus Domini? dices ad eos: vos estis onus.* Lyranus addit: *onus importabile propter peccatorum vestrorum pondus.* Nihilominus misericordissimus Deus ponderi tanto succollare non dedignatur, nec statim abiecit peccatorem, sed summo conatu suo, ut loquuntur Theologi, ipsum *elevat per auxilia supernaturalia & gratiam excitantem.* Itaque vicissim alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, clamat Apostolus, vel ut alius textus habet: *alter alterius infirmitates portate.* Infirmitates hic non tam corporales quàm morales intelligit, quibus universi multum laboramus, nam *quisque suos patimur manes*, aut potius manticas, tamen *si mantica quod a tergo est, non videmus.* At quis talia portandi modus? Ecce quatuor dabo ceu totidem bajulos.

Primus

*Eccli. 17. 11.*

*Joan. 5. 5.*

\* *Didacus Nyss ser. 2. post Dom. 2. Quadr.*

*Jer. 23. 33.*

*Gal. 6. 2.*

*Erasm. in adag.*

I. Primus est compassio, seu condolen-  
 tiam. Docet nos hunc modum exem-  
 plo suo Magister Christus, de quo ita  
 gentium Doctor: *non habemus Pontifi-*  
*cem, qui non possit compati infirmitatibus*  
*nostris.* Sic compassus est adulteræ,  
 quam cum immisericordes Pharisei in  
 adulterio deprehensam statim lapidare  
 vellent, dixit ad eos: *qui sine peccato est*  
*vestrum, lapidem in illam jaciat;* quasi  
 vellet dicere: quid tam præcipites &  
 zelosi estis in castigando feminae deli-  
 cto, cum pluribus talibus ipsi obnoxij  
 fitis? deinde illis abeuntibus conversus  
 ad mulierem: *nemo, inquit, te condem-*  
*navit?* qua respondente: *nemo Domi-*  
*ne, subjecit: nec ego te condemnabo.* Ce-  
 ciderat graviter ex naturæ fragilitate,  
 Princeps ejus discipulus, & ecce statim  
 conversus Dominus respexit Petrum, re-  
 spexit utique affectu commiserationis  
 & compassionis, neque enim tum com-  
 pati non poterat, qui pro omnium de-  
 lictis patiebatur. Pulchrè magnus Gre-  
 gorius: *vera justitia compassionem ha-*  
*bet, falsa justitia dedignationem.* Mul-  
 ti sibi ipsis justis & sancti videntur, de-  
 votiones nescio quas sectantur, & ta-  
 men ob minimum proximi defectum  
 statim excandescunt, statim Pharisaico  
 zelo delinquentem ad mortem ipsùm-  
 que Tartarum damnant. Hic audire  
 est has & similes voces: *pereat scelestus!*  
*non est dignus, qui inter homines agat; ad*  
*furcam, ad rogam cum illo.* Horum  
 justitia verè falsa est, siquidem Cassiano  
 docente: *evidens indicium est anime nec-*  
*dum vitiorum facibus eliquata, in crimi-*  
*nibus alienis non affectu misericordia con-*  
*dolere.* Contrà eqs qui aliorum infir-  
 mitatibus condolent, easq; portant.  
 D. Basilius appellat in virtute robustos,  
 & planè osseos, cum ad illa Psalmi ver-  
 ba: *custodit Dominus ossa eorum,* ita  
 discurret: *quemadmodum ossa ingenita*  
*sibi vi teneram carnis mollietate suffulciunt,*  
*ita sunt in Ecclesia quidam, qui possint suâ*  
*ipsorum constanti firmitudine debiliùm*  
*fulcire ac ferre imbecillitatem.* S. Au-  
 gustinus tales comparat cervis: *sicut*  
*enim, inquit, de cervis nonnulli scripse-*  
*runt, cum fretum ad insulam transeunt*  
*pascuorum gratiâ, sic se ordinant, ut one-*  
*ra capitum suorum qua gestant in corni-*  
*bis super invicem portent: ita ut posteri-*  
*or super anteriorem cervicem projectâ caput*  
*collocet.* Et quia necesse est unum esse,  
 qui ceteros precedens non ante se habeat,  
 cui caput inclinat, vicibus id agere dicun-  
 tur; ut lassatus sui capitis onere ille qui  
 præcedit, post omnes redeat, & ei succedat,  
 cujus ferebat caput, cum ipse præiret.  
 Ita invicem onera sua portant fretum  
 transeunt, donec veniant ad terræ stabili-  
 tatem. Fortasse cervorum naturam in-  
 tenderat Salomon, cum ait: Cervus a-  
 micitiæ & pullus gratiarum tuarum  
 colloquuntur tecum: *nihil enim sic pro-*  
*bat amicum, sicut oneris amici portatio; v.*  
*g. iram fratris tui tunc portabis, cum tu*  
*adversus eum non irasceris, ut rursus eo*  
*tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te*  
*tranquillitate sua supportet, &c.* Cer-  
 vus ejusmodi fortis fuerat annosus il-  
 le Macarius, de quo ceteri Ægyptij Pa-  
 tres hanc tulere sententiam: quia sicut  
 Deus protegit totum Mundum, & por-  
 tat peccata hominum; ita & ille quasi  
 quidam Deus terrenus fuit in fratribus,  
 operiens delicta eorum, & ea quæ vide-  
 bat

Psalm. 33.

Aug. l. 83.  
quæst. 71.In sentent.  
pp. sent.  
107.

Cassian. l. 5.  
de instit.

bat vel audiebat, quasi non videns & non audiens. Talis & ille alius ex iisdem Patribus, qui quotiescunque audiebat aliquem cecidisse, amare flebat dicens: *ille hodie, & ego cras.* Nempe verissimum manet: *non est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo.*

II.

Amica correctio.

Alter modus proximorum onerandi est amica correctio. Suggestur hunc supra memoratus Basilii, dum ait: *onus inter nos vicissim aly ab aly tollimus, quoties operam damus, ut hi qui peccarunt, & lapsi sunt, resipiscant;* hoc autem optimè fit amicè corrigendo, juxta illud dogma Christi: *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* Notate diligenter illud *te solum.* Non enim vult delictum statim divulgari, disseminari, & per omnia compita proclamari, sed quantum fieri potest, occultari: nec vult proximum statim percuti, sed *corripi.* Imò ipse percuti mallet, quem admodum præfervido cuidam Carpo in faciem dixit. Indignabatur ille plus justo duobus aliquibus seductoribus, qui nonnullos a Christi fide abduxerant, cupiebatque eos vivos à Tartaro, sibi per visionem objecto, sorberi, jam jamque ipse miseris detrusurus erat, cum ecce Domini vocem audit: *percutite adversum me: paratus enim sum etiam iterum pro salvandis hominibus pati.* Sic quoque repressit zelum duorum filiorum tonitru, qui Samaritanos, eò quòd Christum hospitio recipere nollent, sine mora fulmine consumptos volebant: *Domine, inquit, vis dicimus, ut ignis descendat de caelo, & consumat*

Basili. in reg. brev. reg. 278.

Matt. 18. 15

Dionys. ep. ad Demophil.

Luc. 9. 54.

illos? Sed responsum quale non expectabant, acceperunt: *nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Vetus proverbium est:

*Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat.*  
*Iupiter; exiguo tempore inermis erit:*

peccare enim homini *congenitum* docet Sopater apud Stobæum, proinde qui punit, inquit, homines tanquam im-peccabiles, transgreditur modum rectæ secundum naturam castigationis. Sunt à natura quidam tam præcipiti iracundia, tam feroces & ingeniosi, ut vix ullum possint corrigere sine verborum, quin & verberum imminenti acerbitate, & non raro etiam contumelia, quæ res fructum emendationis affigit. Delinquit subinde vel incautus servulus, mox Dominus in eum scuticas, lora expediri, mox (ut Plaurinâ phrasi utar) ad *fustitudinas, ferricrepinas insulas, ubi vivos homines mortui incur-sant boves* eum condemnare. Verùm hoc non est viscera misericordiæ habere, qualia Paulus omnes Christianos induere monet: *induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, supportantes invicem, & donantes vobis metipsis, sicut & Dominus donavit vobis.* Scio quidem multos Heros tueri se illo Tullij: Phrygem plagis meliorem fieri; at contra clamat magnus Leo: *plus erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus charitas, quam potestas.* Etiam tervi apud Christianos iunt fratres Domino rum tuorum in Christo, ut bene cele-bris Interpret, †

Stob. serm. 44.

Cresoll. My. frag. l. 3. c. 48.

Plaut. A. sin.

Col. 3. 12.

Cicer. pro Flac.

Leo ep. 84.

†  
Corn. à lap. in epist. ad Philem.

Rr

Et

**III.** Et jam tertius ultrò sese offert bajulus Oratio. De quo ita S. P. N. Ignatius: *juvatur etiam proximus sanctus desiderijs & orationibus.* Et S. Chryso-  
**7. p. Conf.** *mus: Christianis jussum est, eis qui pec-*  
**c. 4.** *caverunt, indulgentiam facilem dare, at-*  
**Chryso. hō.** *que ut eis à Deo ignoscatur, tota intentio-*  
**6. in episto.** *ne deposcere.* Sic D. Stephanus Proto-  
**Pauli.** *martyr agrotantem Saulum Christi*  
**Augu. ser.** *Ecclesie intulit. Si enim Stephanus*  
**4 de S. Ste-** *pro Paulo non orasset, Ecclesia Paulum*  
**phano.** *non haberet, affirmat Hipponensis Do-*  
*ctor. Et hic idem conversionem su-*  
*am non alteri post Deum, quàm San-*  
*ctæ Matris suæ precibus debet, quæ*  
*cùm filium nulla alia ratione à secta*  
*Manichæorum, vitaque perversa abdu-*  
*cere posset, orationes lacrymis permi-*  
*stas assiduè pro illo fundebat, ut S. Am-*  
*brosius diceret: impossibile est ut filius*  
*tantarum lacrymarum pereat. Hinc*  
*postmodum familiare ipsi erat preci-*  
*bus aliorum commendare sese; nam in*  
*expositione Psalmi 31. initio ait: in-*  
*firmi- tatem meam orationibus vestris com-*  
*mendo. Est oratio ad emendandum*  
*proximum sæpe efficacior, quàm ne-*  
*scio quàm doctæ, & ferventes concio-*  
*nes, exhortationes, monita & dogma-*  
**Rodrig. p. 3.** *ta. Sæpe putabit concionator, con-*  
**27. 7. c. 3.** *festarius, & is qui ad moribundos vo-*  
*catur, quòd ipse fructum faciat, & eum*  
*fortasse facit is qui ejus est socius, æ-*  
*grum per fervidas preces Deo comen-*  
**cap. 9.** *dans, inquit magnus in Asceticis Magi-*  
*ster, qui & docet, Religiosis ( licet nul-*  
*lum aliud proximo ministerium im-*  
*pendant, sed claustrò & cellâ reclusi*  
*maneant ) alimenta & necessaria vel*  
*idcirco à populo deberi, quòd oratio-*

nibus suis multùm reipublicæ profint, Deumque pro delinquentibus assiduè deprecantur.

**IV.** Orationi jungitur Pœnitentia sive Mortificatio. mortificatio, bajulus reliquis fortior, quia in charitate perfectior. Quæ enim major esse charitas potest, quàm aliena delicta quodamodò in se transferre, & ob ea voluntarijs pœnis sese affligere, macerare, cruentare? Provectorum in virtute hæc praxis est, qualis præfatus D. Ignatius, qui cùm Parisijs juvenem à turpi cujusdam feminae cōsuetudine frustra sæpe revocare conaretur, deterrendi ejus consilium tale adinvenit. Stagnum erat propter viam, quæ transeundum erat illi de more ad flagitium: eò maturè prævertens Ignatius, tempestate perfrigida sese nudus aquis collotenus immerisit, utque appropinquantem hominem conspexit, horribili repente in adversum intonuit voce: *quò quò miserrime properas? non intelligis in quanto versere periculo? nonne intentum in te divina justitia gladium vides? Perge porrò perge nefariam istam explere libidinem. Ego me hic tamdiu tuâ causâ macerabo, quoad coelestes iras meo malo avertam à te. Parenti non absimilis filius S. Franciscus Xaverius ut alios sanaret, seipsum quandoque cruentabat.* Canonium *Tursell. l. 6.* arx est Lusitanorum portu celebris, in- *visac. 10.* ter Goam & Cocinum interjecta. Hunc portum petens ex itinere Xaverius, quendam in ipsa navi ad confessionem peccatorum perducere frustra conatus, incepto paulisper destitit, ut securum ex improvviso adoriretur. Namque ille cùm urgeretur acriùs, ut erat obsti- nato

„ nato ad negandum animo, confirmârat  
 „ jure jurando, se nunquam omnino id  
 „ esse facturum. Franciscus ergo ubi in  
 „ terram descensum est, statuit in exitia-  
 „ li morbo ultima experiri auxilia. Ita-  
 „ que aliud se jam agere simulans, pervi-  
 „ catem hominem comiter, per speciem  
 „ animi relaxandi, in saltû ( ut regionis  
 „ natura fert ) frequentibus palmis con-  
 „ sistum ducit. Vt in locum ab arbitris  
 „ remotum ventum est, subito deposita  
 „ veste, tergoque nudato procumbit in  
 „ genua. Mox stupente illo, & quid tan-  
 „ dem rerum tanto impetu acturus esset,  
 „ expectante, flagrum depromit aculeis  
 „ ferreis sanè asperum, atque in ejus con-  
 „ spectu tergum suum strènuè diverbe-  
 „ rans exclamat, se ejus causâ quidquid  
 „ esset supplicij, subire, ut cœlestem ab  
 „ eo averteret iram. Inter hæc palme-  
 „ tum resonabat ictibus plagarum: aspe-  
 „ ctor ille stupens, & attonito similis  
 „ Francisci cruore respergebatur. Ergo  
 „ admiratione in misericordiam versâ,  
 „ statim ad pedes Xaverij provolutus ro-  
 „ gat, alienam culpam suo tergo luere  
 „ desistat: se paratum esse sua aliquando  
 „ expiare peccata. Itaque Xaverius vi-  
 „ cloriâ latus extemplo induit vestem,  
 „ ejusque confessione auditâ perditum  
 „ hominem in viam ac spem salutis re-  
 „ ducit. Simile quid in causâ simili egit  
 „ S. Thomas de Villanova, Valentiaë Ar-  
 „ chiepiscopus, & Bartholomæus Marti-  
 „ nius Ordinis Minimorum, quorum hic

dum confitentem haberet renm, qui  
 nulla doloris edebat signa, sed quâ frõ-  
 te perpetrâset, eâdem scelera in arca-  
 no judicio sibi recensebat, ut dolorem  
 in eo excitaret, post multa verba nec-  
 quicquam facta, exuto cucullo, ac di-  
 loricatâ tunicâ, densa verberum gran-  
 dine tergum pullare cepit, donec sibi  
 sanguinem, alteri lacrymas proliceret.  
 Nec pratereundus Joannes. Abarca  
 ejusdem Ordinis, qui diebus Lunæ ac  
 Veneris, sub noctem, longissimam val-  
 deque cruentam instituebat flagella-  
 tionem, pro conversione peccatorum.  
 Hoc hoc est verum Christi imitorem  
 ac socium esse, qui *languores nostros tu-*  
*lit & dolores nostros ipse portavit.* Por-  
 tavit utique pro nobis patiendo & lu-  
 endo, & quidem ita, ut *a planta pedis*  
*usq; ad verticem capitis non esset in eo sa-*  
*nitatis.* Hinc meritò à S. Joanne voca-  
 tur: *Agnus qui tollit peccata mundi.*

Isai. 53.

Studeamus ergo & nos aliorum  
 peccata & infirmitates tollere, & sic  
 adimplebimus legem Christi, cujus  
 plenitudo est mera dilectio. Magnæ cha-  
 ritatis actum censemus portare mor-  
 tuos ad sepulchrum; sed longè major  
 actus est portare vivos, ut bene nonne-  
 mo in vitis Patrum animadvertit, qui  
 videns quendam Religiosum portan-  
 tem mortuum in lecto, dixit ei:

Rom. 13. 10.

Ult. PP. 1.  
s. c. 16. de  
patient.

*mortuos portas? vade vi-*  
*ventes porta.*

✠



R. F. 2

DOMI-



DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.  
Nuptiæ non maturandæ.

Fecit nuptias. Mat:22.

**N**uptiarum apud omnes gentes tanta semper fuit æstimatio, tantus splendor, & magnificentia, ut nullibi magi splendidi, nullibi tam magnifici, atque hinc videri velint. Spectabilis imprimis Antiquorum pompa fuit, cum dona nuptialia, quæ Epaulia Græci vocant, sponso & sponsæ mitterentur. Anteibat venustus puer, vividis oculis, rosea fronte, inaurato capillitio, nivea in veste facem ardentem manu quatiens. Hunc sequebatur mulier una lectissima canistrum ferens summa industria artificioque elaboratum. Tum ordine Virgines multæ incredibili oris pulchritudine, janthinis fulgentes togis, suaveolentibus corollis, quæ aurum, patellas, smigmata, lecticas, pectines, lectos, alabastros, sandalia, thecas, pyxides unguentarias, aliaque id genus suppellectilia circumferebant. Sed quemadmodum nihil ferè nuptiis est solemnius, ita vix quidquam periculosius. Rarè tam fausta obtingunt conubia, quæ omnem sinistram sortem excludant, quæque non turbulenti aliquis Boreas subinde obturbet. Hinc Poëta quidam ita cecinit:

*Sepius inquiri totam, Cypriane, per urbem,*

*Si qua puella neget nubere: nulla negat.*

*Sed quid agunt? nimirum longas brevis illa voluptas*

*His creat ævum, culpaq; poena sibi est.*

*Nam bene vix nubit multis de millibus una,*

*Et bene cum nupsit, non habet illa bene.*

Animus proinde mihi est præsentis allocutione docendi nuptias & sponsalia non esse maturanda.

Primò omnium nubere volenti necessarium est consilium, longaque ac prudens deliberatio. Docuit hoc exemplo suo ipsemet Deus, qui primum in paradiso conciliaturus connubium, consultationem præmisit: *non est, inquit, bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.* Gen. 2. 18. At cur consultavit, qui cetera unico verbo esse iussit? an majoris momenti erat duos homines vinculo matrimoniali cõjungere, quàm Angelos & astra producere? Ita sanè, difficilius duo in unum coeunt, quàm ex nihilo aliquid fiat. Matrimonij status ejusmodi est, qui geminas personas indissolubiler adeo colligat, ut neutra sui juris maneat; imò nec voluntatis, nam ut ait Tertullianus: *ambo fratres, ambo con-* Tertull. l. 2.  
*servi, nulla spiritus, carnisve discretio; n-* ad uxorem  
*bi caro una, unus & spiritus.* Et D. Ba- c. 9.  
silius: *qui mortali connubio conjunctus* Basil. de ve.  
*est, ad suam ipsius curam uxoris quoque* ra virginis.  
*alte.*

alterà adjectà, geminam in una anima ex  
 conjuncto sibi corpore solitudinem neces-  
 sario sustinet. Proinde monet diu de-  
 liberandum: *sine uxor ducenda?* eò  
 quòd hìc, si ullibi valeat regula Salomo-  
 nis: *fili sine consilio nihil facias, & post  
 factum non pœnitebit.* Quam regulam  
 quia non servavit unus aliquis, quem  
 P. Stengelius discipulum suum fuisse  
 asserit, in quas non sese miseras & ca-  
 lamitates coniecit, quantas non lamen-  
 tationes, & threnos ad Professore[m] su-  
 um scripsit. Scripsit mihi aliquando  
 discipulus meus; (verba sunt Autoris)  
*uxorem duxi, in qua mala non incidi!* 1.  
*Libertatem vendidi.* 2. *Rem malam*  
*emi.* 3. *Forti victus sum catenà, unde*  
*me sola vel mea, vel illius mors liberet.* 4.  
*Cœpi servire, cœpi pati, cœpi coactus cha-*  
*ros pellere; nam amicitiarum scopulus est*  
*uxor imperiosa.* 5. *Cum conjugè nuptias*  
*contraxi, cum pace divortium.* 6. *Quid*  
*non impendo in vestes superbas? quid in*  
*crustula? quid in mulsa? Et pro his dul-*  
*cibus omnibus nihil recipio nisi amara ver-*  
*ba. Felix mihi videor, si non & verbera.*  
*Ab cur Deum aliò vocantem non sum se-*  
*cutus! cur virginitatem non pluris feci,*  
*quam voluptatem? Quamdiu innocens*  
*fui, consilia Christi mihi placuerunt. Post-*  
*quam Sirembus aures aperui, & Dei gra-*  
*tià excidi, appuli animum ad nuptias;*  
*duxì uxorem; quæsi voluptatem, inveni*  
*calamitatem. Habeo igitur, quod me-*  
*rui, non quod quæsi. Audivi multa;*  
*nunquam credidi, in una uxore tot mala*  
*esse posse. Hæc ille ad literam. Sed*  
*plures passim audire est similia lamen-*  
*tantes. Quàm enim temerariè non*  
*pauci uxores ducunt! quàm præcipi-*

tanter ad connubia festinant! quàm  
 præmaturè titulo *Patris* gaudere vo-  
 lunt, cunis ipsi, quàm thalamis aptio-  
 res, ut qui necdum vel lanugine men-  
 tum obtexerint, necdum è ferula juré-  
 que betulari excefferint. "Fuit non ita  
 pridem (ait scriptor præfatus) qui ma-  
 nè in scholis cæsus virgis, à prandijs  
 uxorem duxit in solatium doloris. O  
 miserum solatium, quod longè gravio-  
 ribus plagis aperuit officinam! Evenit  
 enim plerumque præcocibus ejusmodi  
 sponsis, quod marito illi in Græcis epi-  
 grammatis, qui in toto matrimonio  
 suo duas tantum felices, lætasque ho-  
 ras se habuisse queritur, nempe horam  
 nuptiarum, & horam mortis uxoris.  
 Fecit mihi, ait,

*Latitiam primam thalamus, rumulusq[ue]  
 secundam.*

Sic etiam inter gelidas Alpes nonne-  
 mo, conjugè ultimum trahente spiri-  
 tum, fistulam arripuit, & non tam na-  
 niam, quàm Hymenæum canere cœ-  
 pit. Mirantibus ceteris, ac insolenti-  
 am increpantibus, respondit: *cum*  
*gaudio nuptias celebravi, cum gaudio eti-*  
*am exequias celebrabo, ut ultima primis*  
*convenient.* Et verò quem in matri-  
 monio lætum habeant successum, qui  
 illud inconsulto DEO, ex primo ani-  
 mi impetu; perverso fine, meraque li-  
 bidine contrahunt? Dæmon certè hìc  
 paranympum agit ac præsidem; nam  
 ut loquitur Angelus ad Tobiam: *hi qui*  
*conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se*  
*& a sua mente excludant, & sue libidi-*  
*ni ita vacent sicut equus & mulus, habet*  
*potestatem Demonium super eos. Quid*  
*quod*

idem. orat.  
 21. de felic.

Eccli. 32.  
 24.

Stengel. de  
 matrim. c.  
 2. §. 8.

Steng. ibid.

c. ap. 22.

§. 4.

ibid. §. 3.

Tob. 6. 17.

Dier. li. 2.  
cap. 46. de  
prestig.  
Dama

quod repertus sit Juvenis, qui re ipsa  
Cacodamonē pro spōsa accepit? Rem  
narrat Vieras in hunc ferē sensum: in  
Sicilia Juvenis quidam strenuus & na-  
tandi apprimē peritus circa crepuscu-  
lum exierat, ut diurnos æstus marinis  
aquis temperaret. Ibi dum jucundē  
simul & inverecundē Neptuno insultat,  
videt mulierem post se natantem,  
cujus formā illicō captus crinibus ap-  
prehensam in litus extrahit, & quā  
comissimē rogat, quam sit, aut unde  
huc veniat? Sed multis questionibus  
ne verbum unum extorquet. Sat vel  
ex hoc solo suspicari poterat nihil boni  
subesse, tamen, ut cæca est cupiditas,  
quia ei placuit, pallio opertam secum  
domum duxit, & duxit in uxorem.  
Jamdiu cum hac Stygia Nympha habi-  
taverat, cum eum sociorum optimus  
aliquis visitavit; acciditque ut inter  
alios discursus ac sermones de uxoris  
patria & stirpe inquireret. Respon-  
dit vecors maritus, nihil se horum sci-  
re, nisi quod ē mari illam veluti piscem  
extraxerit, atque interea temporis ver-  
bum ex illa nullum quiverit exprime-  
re. Cui socius melius sapere assuetus:  
quantum video, inquit, profectō phan-  
tasma est uxor tua, atque ē Tartareis  
larvis una. Egōne silere illam tamdiu  
paterer? ego non adigerem ad eden-  
dam veritatem? verberibus verba ex-  
tunderem, si verbis responsum non im-  
petrarem. Expavit ad hanc objurgatio-  
nem Juvenis, simul & excanduit. Ita-  
que ferro correpto uxorem aggressus  
fari iussit. Ad cujus minas tandem il-  
la vocalis facta: *ve misero tibi, ait, uti-  
lem perdis uxorem, dum me effari cogis.*

*Mansissem tecum, ac in rem tuam esset,  
si injunctum mihi silentium permisisses.  
Nunc autem me posthac non aspicias.* Cum  
dicto evanuit; ostenditq; se umbram,  
non corpus fuisse. O quā multi eti-  
am hodie Adolescentes, dum vel ex u-  
no familiari colloquio, aspectu, cho-  
rea, munusculo, sponsalia cum ignota  
persona contrahunt, Dæmonem, imō  
quid Dæmonē pejus sibi in sortem ex-  
trahunt. De mala enim muliere ma-  
lum illud carmen vulgō occantatur: :

*Aspide quid pejus? tigris; quid tigris-  
de? Damon,*

*Dæmonē quid? mulier; quid mu-  
liere? nihil.*

Porro ubi Dæmon est, ibi Infernus, ubi  
Infernus, ibi nullus ordo, sed sempiternus  
horror inhabitat. Et solent enim verō  
sæpe mariti de mala, & litigiosa uxore  
queri: *habeo Infernum.* Ac utinam,  
hic Infernus cum vita semper finiretur!  
non semel æternus illum extipit, nam  
ab uno ad alterum facillimus est des-  
census. Quot salvi fuissent, si Deo ad  
religionem vocanti morem gerentes  
vinculo matrimoniali, se nunquam im-  
plicuissent, aut certē non tam maturē  
virginitati suæ valedixissent!

Sed si tantus nihilominus nubendi  
amor, si tanta cupido, age prosequa-  
mur, quod D. Basilii nupturienti se-  
cundō considerandum proponit; *qua-  
nam uxor, & quibus conditionibus ducen-  
da sit?* Fuit unus aliquis ē schola Lu-  
theri buccinator, qui hanc tradidit re-  
gulam:

*Uxorem ducturus ab R tibi disce ca-  
vere:*

*Irās:*

*Irasc & guerras R habet omnis habens.*

Sed ista melius ipsi Luthero, ne Catharinam R habentem, Virginem Deo dicatam, canobio ad sacrilegas nuptias educeret, recitanda erant. Prudentius vsavit qui cecinit:

*Quæ tibi ducenda est, habeat P quinq;  
puella,  
Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pu-  
dica, Potens.*

At quis talem inveniet? procul & de saltimis finibus pretium ejus. Pauca in orbe dantur Sara, Rebecca, Abigails, Estheres; nam alio Poeta canente:

- - rara est concordia forme.

*Arg. pudicitia.*

Vnde & Pittacus rogatus cur uxorem ducere nollet, respondit: *si formosam duxero, habiturus sum communem; si deformem, poenam.* Quod idem Theophrastus apud D. Hieronymum confirmat, monens non esse ducendam uxorem sapienti, quia raro simul pulchra, bene morata, sana, ac dives reperitur. Huc accedit zelotypia perniciosissimus matrimonij turbo, cum conjugum alter alteri male de fide tori metuit, pessime suspicatur, & cogitat; cum, ut loquitur os aureum, non aditus & exitus solent curiosius observantur, sed in verba etiam, in aspectum, in suspiria studiosissime inquiritur. Fuit mulier quæ cum precatorium viri sui libellum curiosè explorasset, in eoque Psalmos Davidis poenitentiales reperisset, stulte inde maritum adulterij arguit, ita secum ratiocinata: David hos Psalmos post

commisum adulterium recitare solitus erat, ergo meus maritus in eadem damnatione est. Queritur vicinis, luget, & in tantum discruciat, ut præ marore violentas sibi manus intulerit. Omnium ergo rectissime mihi vsavisse videtur ille, qui asseruit, nullam uxorem esse optimam uxorem:

*Est bona res uxor; melior bona; at  
optima nulla.*

Quod & ipsum videntur sensisse Christi Discipuli, cum auditis matrimonij difficultatibus dixerunt: *si ita est hominis causa cum uxore, non expedit nubere.*

Quorum Dominus sententiam probans (verba sunt Hieronymi) rectè quidem sentitis, ait, quod non expedit homini ad regna caelorum tendenti accipere uxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud. Idem omnino consilium suggerit Paulus: volo omnes homines esse sicut me ipsum, scilicet uxoris expertes. Et rursum: dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. Cur ita? quia qui cum uxore est, sollicitus est qua sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est; qui autem sine uxore est, sollicitus est qua Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et licet subinde nuptias commendare & svadere videatur; tamen è vestigio earum incommoda commemorat: mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. In quem locum ita Chryostomus: cum de nuptiis videatur dicere, re tamen vera, tanquam hamum usitata piscator escâ circumvestiens, sic in audientium aures inserit orationem,

Matth. 19.

Hier. l. 1. in lovin.

1. Cor. 7.

Chryf. l. de Virg. c. 28.

Stob. ser. 65

Hiero. l. 1. advers. lovin.

Chryf. l. de Virgin. c. 52.

nem, ut illo ipso sermone de nuptijs, eosdem à nuptijs deterreat. Nam qui illud audit, se per conjugium non in sua, sed in uxoris esse potestate, confestim operam dabit, ut ab acerbissima servitute liberetur; vel potius id primum cavebit, ne ipsum subeat jugum servitutis. Hac quoque de causa D. Augustinus, nulli unquam conjugium svadere voluit, nam ut scribit Possidonius in ejus vita: *hec tria homini Dei servanda monebat. Primum, ut uxorem cuiquam nunquam posceret. Secundum, ut militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, ut in sua patria petitus ad convivium non iret.*

*Virginitas*, ait iterum Chrysostomus, tamò nuptijs prestat, quantò cælum terra, quantò hominibus Angeli antecellunt; nam teste Domino, qui non nubunt, neque nubuntur, sunt sicut Angeli Dei. S. Martinus Turonensium Episcopus transiens aliquando pratium, cujus partem unam boves depaverant, secundam porci suffoderant, tertia illæsa diversis floribus & herbis, quasi picta vernabat, dixit: prima pars speciem gerit conjugij, quæ à pecore depasta, et si non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Secunda, quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis sædam imaginem præterdit. Tertia, quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit: unde herbis sæcunda luxuriat, & ultra omnem speciem distincta floribus quasi gemmis micantibus ornata radiat. Verùm adhuc luculentius quidam alius in bibliotheca Patrum. "Cum tres sint, inquit, status in Ecclesia: Virginitas, cælibatus, & conjugium, ex revelatione Angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, eum esse constituendum ordinem, ut sit Virginitas aurum, cælibatus argentum, conjugium ærumentum: Virginitas divitiæ, cælibatus mediocritas, conjugium paupertas; Virginitas pax, cælibatus redemptio, conjugium captivitas: Virginitas Sol, cælibatus lucerna, conjugium tenebræ. Virginitas Regina, cælibatus Dominus, jugalitas ancilla. Sed hæc qui potest capere capiat.

Possidon. c.  
27.

Chryf. l. de  
Virginit. c.  
11.

Sulpi. dial.  
2. cap. 11.

S. Albel-  
mus Oc-  
cidenta-  
lium Sa-  
xonum.  
Episcop  
in libello  
de laud.  
Virgin.  
cap. 9.  
Matth. 19.



DOMI-

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.  
Principium vitæ, principium mortis.

*Incipiebat mori.* Ioan: 4.



Emper ego hæcenus ve-  
luti nimis exoticam &  
barbaram Thracum cæ-  
rimoniam audivi insi-  
mulari, quod mortuos suos risu & læ-  
titiâ; nascentes contra lacrymis, & lu-  
ctu solerent prosequi: verumtamen  
re, ut par est, consideratâ animadver-  
ti, eos hac in re prorsus Philosophicè,  
imò sanctè & Christianè sapuisse.  
Nam, ut sapientissimus animadvertit,  
Origenes; *nemo ex omnibus sanctis in-  
venitur diem festum, vel convivium egisse  
in die natalis sui: nemo invenitur habuisse  
letitiam in die natalis filij, aut filie sue:  
soli peccatores super huiusmodi nativitate  
latantur.* Sic Sanctus Patriarcha Abra-  
ham nato sibi unicè optabili filio Isaa-  
co, nullam legitur solemnitatem insti-  
tuisse; sed eam distulit ad diem abla-  
ctationis, quæ infantibus plerumque  
acerba, & funeris instar esse solet. Sic  
Diva Mater Ecclesia de nullius Filio-  
rum suorum nativitate gaudet (excep-  
tâ Virgine SS. & Joanne Baptista, qui  
in gratia nati sunt) sed tum primùm  
eorum natales celebrat, cum illi Mun-  
do vivere desierunt. Nimirum, quod  
ait Salomon, *melior est dies mortis die  
nativitatis.* Quid ita? Respondet  
nonnemo alius: quia *natalitius dies in-  
turbulentum huius vitæ pelagus nos indu-  
cit, ubi Draco latibulum suum posuit;  
transitus verò dies è stadio nos abducit.*

At ego potius dicerem, quia moriendo  
verius nascimur, † nascendo mori-  
mur; principium enim temporalis vi-  
tæ principium mortis est; ut sequens  
parabola docebit.

Illustre Damasci sidus D. Joannes  
Theologus, volens hominis statum ad  
vivum expingere, finxit eum velocif-  
simo cursu fugam præcipitantem, in-  
stante à tergo rabidissimâ bestiâ Mono-  
cerote, quæ cornu suo jamjam miserū  
confixura videbatur, nisi illum ad pro-  
ductiora mala profundum barathrum,  
sinu suo excepisset. Illuc enim dum  
incautus prolabitur, in ipso lapsu ar-  
busculam inter saxa prominentem ap-  
prehendit, & tanquam unicum salutis  
præsidium utroque brachio quàm ar-  
ctissimè strinxit. Tum impressis in-  
trunco pedibus visus est sibi de cetero  
utcumque securus fore. At jacto de-  
orsum obtutu, videt primùm geminos  
mures, album alterum, alterum atra-  
tum, qui ad radicem arbusculæ tan-  
quam duæ secures positi, eam continuo  
rosu depascebant. In imo barathro ho-  
spitabatur Draco

-- cristis præsignis & auro;

Igne micant oculi; corpus tumet omne  
veneno,

Tresq; micant lingua, triplici stant or-  
dine dentes.

Porro è quatuor lateribus quatuor as-  
pidum

ss

†  
loquor de  
his, qui in  
gratia ob-  
eunt.

Damasc: in  
hyst. Barla:

Orig. h. 8.  
in Levit.

Ecccl. 7.

Olympiod.

Ovid. l. 3.  
Metam.

pidum capita emergebant horrenda,  
mittentia sibila, præsensque captivo  
exitium minitantiæ. Obstupescitis ad  
hæc, *steteruntq; comæ?* At quid in singu-  
lis mysterij lateat, ordine evolvamus.

Primò Monoceros ferox, & ad  
feriendum intentus, Mors est bellua  
immanissima, & nullâ cicurabilis arte.  
Hæc hominem ab ipso matris utero  
tam velociter insequitur, qualiter nul-  
lus cursor Postarius, ait enim Jobus:  
*dies mei velociores fuerunt cursore;* sed  
planè instar Solis, qui in minuta singu-  
la, novies mille & quingentas leucas  
currendo conficit. Fuge, fuge levis  
homuncio, fuge nate de muliere, fuge  
*velut umbra;* alioqui brevi vives tem-  
pore, & eris quasi non fueris. Sed quò  
fugies à facie tam crudelis bestia?  
ubi tam securam invenies latebram,  
quæ te ab ejus fatali ictu protegat? In  
Mundum ab utero Matris decidisti? de-  
cidisti in barathrum malorum, aut ve-  
riùs *translatus es ad tumulum.* Vbi pe-  
dem hîc figes, cum in Mundo nihil sit  
solidi, sed merum inane? Arbuscula  
tuæ, hoc est vitæ tuæ fidis? At mures  
geminos aspice, quorum alter albus  
Dies dictus, alter niger Nocti similis ra-  
dicem ejus usque & usque rodunt.  
Nam, ut bene Seneca Philosophus:  
*quotidie,* inquit, & qualibet nocte mo-  
rimur; *quotidie demitur aliqua pars vitæ,*  
*& tunc quoq; cum ovescimus, vitæ decre-*  
*scit. Infantiam amisimus, deinde pueri-*  
*tiam, deinde adolescentiam: usq; ad he-*  
*sternum, quidquid transit temporis, pe-*  
*rit; hunc ipsum, quem agimus diem, cum*  
*morte dividimus.* Hinc quolibet tem-  
poris puncto ac momento dicere quis

potest cum Esau: *en morior;* vel cum  
Apostolo: *quotidie morior.* Estque  
illud cum primis mirum, quòd verbum  
hoc, uti alia, regulare futurum non ha-  
beat; in præterito enim dicimus *mor-*  
*tuus,* in futuro *moriturus;* quasi mors  
nunquam nobis futura, sed semper sit  
præsens, ut præclare Poëta quidam ce-  
cinit:

*Nugamur, mortemq; procul, pro-*  
*cul esse putamus,*

*At medijs latet hæc abdita visce-*  
*ribus.*

*Scilicet ex illa, quâ primùm nascimur*  
*horâ,*

*Prorepit juncto vitæq; morsq; pede.*

*Partem aliquam furtim, qua se meti-*  
*tur & ipsa,*

*De vitæ filo qualibet hora rapit.*

*Paulatim morimur; momento extin-*  
*guimur uno;*

*Vt lampas oleo deficiente perit.*

*Vt nihil interimat, tamen ipso in tem-*  
*pore mors est:*

*Et nunc interea dum loquimur, mo-*  
*rimur.*

Locus, in quo prima homini vita enata  
est, fuit opinione quorundam ager  
Damascenus; sed & hic idem locus om-  
nium primum funus, hoc est Abelem  
à fratre casum excepit, si Hebræis cre-  
dimus. Quod admirans nonnemo;  
"An non satis, ait, ampla erant terra-  
rum spatia, ut in diversis omnino re-  
gionibus mors & vita scorsim locaren-  
tur? Quid opus fuit ex primo vivendi  
incunabulo primum efficere sepulchrû  
moriendi? Quid oportuit auras, quæ  
primò vitales extiterunt, statim con-  
verte-

Gen. 25. 32.

1. Cor. 15. 31.

Job. 9.

Senec. ep.  
24.

Franciscu

,, Mendo-

,, 2a lib. 7.

,, Reg. c. 4.

,, n. 22.

„vertere in lethales? Tum sibi ipsi respondet:” credo singulari providentia ita factum, ut maxima inter vitam mortemque necessitudo ostenderetur: nam vix homines vivere incipiunt, cum statim insidias à morte patiuntur; imò ad hoc nasci videntur, ut moriantur; quæ est etiam D. Hieronymi opinio scribentis ad Heliodorum: *quid miserius homine, qui vivendi sensum ad hoc tantum accepit, ut periret?* Illa illa primarum quatuor qualitatum mixtura, nonne in eum continuè agit, & intestino bello vitalia sensim depascitur? Jam calor, jam humor prædominatur; modò exuberat sanguis; modò pituita exundat; modò bilis flava exæstuat; subinde atra præponderat. Hinc tot tamque diversa morborum genera, & symptomata, ut numerari non possint. Si enim in uno oculo (ut non ita pridem memini) trecentas sexaginta quinque affectiones nonnulli observant, quot erunt in toto corpore, in quo solorum musculorum numerus ad sexcentissimum pertingit, quorum unicuique sua respondet ægritudo! Si caput consideremus, quantis obnoxium malis non deprehendemus! jam illud cephalæa, jam hemicrania discruciat, jam vertigo circumagit, jam catarrhus & rheuma opplet, jam phrenesis exagitat, jam lethargus obstruit, jam alopecia depilat, (a) jam phthirialis (b) inficit, jam porrigo (c) commaculat. Aures suum habent tinnitū, & *αἰταλγίαν*; dentes odontalgiam & hæmodiam; Nares suum polypum, & ozanam, (d) gingivæ aphthas, (e) & scorbutum; guttur strumas & ranulas; lingua an-

ginam; pectus tussim & asthma; latera pleurism; phthisim pulmones; hepar obstructionem; cor palpitationem; ventriculus cruditatem; alvus diarrhæam; intestina colicam; renes calculum; coxæ sciaticam; manus chira-gram; pedes podagram; articuli arthritin: ut nihil dicam de febribus, quarum plusquam viginti sunt species, nihil de morbo caduco, epilepsia, hydrope, ictero, lepra, morbo Gallico, gangræna, hernia, sacro igne, & millenis alijs. Quis dicat hoc non esse à morte depasci? De Orcigenis dicebat David: *sicut oves in inferno positi sunt, Mors depascet eos.* Sed non minùs verè idem dicere poterat de Mundicolis. Nam, æquè, ut loquitur M. Gregorius, eorum *temporalis vita mors est potius dicenda, quam vita; & quotidianus ille defectus corruptionis, quid est aliud, quam quadam prolixitas mortis?*

Jam verò quanta ab extrà misero homini immineant pericula, nemo est qui nesciat. Elementa omnia veluti totidem aspides in illius perniciem tam unanimiter conspirant, ut quacunque incedat, nunquam vitæ suæ sit securus. Quot in annos singulos vorax è cælo flamma non consumit! Quas non strages & funera per urbes & provincias pestilens aër facit! Quot quantosque rapaces non hauriunt aquæ! Quot dehiscens violento motu terra non deglutit! Astra ipsa alioqui ad obsequium hominis condita, quam malignos in eum derivant influxus! Nunc rapido & prorsus canino æstu torret Sirius; nunc frigore intolerabili sævit Saturnus; nunc Hyades & Pleiades;

*Psalm: 48.*  
*Greg. hom. 37. in Evag.*

Hier. sep. 3. ad Heliod.

a defluviū capillorū.  
b morbus pedicularis.  
c squamule in capite.  
d ulcera narium.  
e ulcera gingivarum.

Ss. 2.

des.



des continuis imbris & pluvijs gra-  
fantur; nunc Aquarius ventos concit-  
tat; nunc aquei Pisces nebulas densant;  
nonnulli Planetæ etiam ad pravos affe-  
ctus inclinant, quamvis non necessi-  
tent. Ab astris inanimatis transeamus  
ad animantia, & bestias terræ, &  
plerasque homini inimicas deprehen-  
demus *ut etiam blanda, & amica suo*  
*Domino bestia metuat*, ut loquitur  
Augustinus. Hyas Atlantis filius inter  
venandum à leona discerptus est;

Aug. l. 22.  
Civ. c. 22.

Ovi d. l. 5.  
Fast.

*Dumq; petit latebras fata catulosq;  
leone,  
Ipse fuit Libya præda cruenta  
lea.*

Milonem Crotoniatem à lupis devo-  
ratum scribit Pausanias. Basilus  
Macedo Imperator, à cervo cornu per-  
cussus interiit. S. Euphemiam Vir-  
ginem urfi; SS. Revocatum & Felici-  
tatem leopardi discerperunt. Dio-  
genem & Heraclitum Philosophos  
canes lacerârunt. Brutem Lycurgi fi-  
lium aper laniavit; de quo ita Ovidius  
in Ibin.:

in Ibin.

*Quiq; Lycurgidem laniavit ab arbore  
tractum,  
Idmonaq; audacem, te quoq; rum-  
pat aper.*

Licinio Imperatori morsus equi, Balbo  
catelli fatalis fuit. Crathi cuidam  
Pastori apud Cælium caper de grege  
sinciput illisit. Alicubi locorum do-  
mesticos propè omnes felis suffocavit.  
Quid de serpentibus & viperis dicam?  
an non hi calcaneo nostro jam exinde  
insidiantur, ex quo primum supplan-

târunt parentem? Quid de animalcu-  
lis imperfectis & insectis? Et hæc ta-  
meti parva ad perimendum hominem  
sufficiunt. Hattonem Archiepisco-  
pum Moguntinum mures depasti sunt:  
araneus alicubi (dum desuper venenum  
in cibos spargit) multos Prælatos è  
medio sustulit: apiculæ & vespæ sæpe  
integros exercitus dissipârunt; Hero-  
dem Ascalonitam pediculi confecerunt.

At saltem homo ab homine securus  
erit, cum dicat Sapiens: *omne animal sibi  
diliget simile*. Imò verò non habet, unde  
sibi metuat magis; nam *homo homini lu-  
pus*. Quid dico lupus? Dæmon de-  
bebam dicere: ita ad se invicem per-  
dendos intenti & ingeniosi sunt. Quæ  
non in dies singulos necis excogitan-  
tur instrumenta! quorsum tot conti-  
nuè cuduntur rhomphææ, fraxeæ, gla-  
dij, veruta, spari, pugiones, dolones,  
hasta, lanceæ, missilia; quorsum tot  
ferrea pila, tot ænea funduntur tor-  
menta, tot sclopi & bombardæ, tot  
tamque artificiosæ fabricantur fistulæ;  
nisi perimendo homini? Civis quidam  
Mutinensis Lanfrancus Fontanus, ut  
arte nova inimicum suum necaret,  
machinulam sclopetariam confecit,  
haud majorem nuce. Pila erat ænea  
intus vacua: à sex lateribus perforatis  
prominebant velut internodia arundi-  
num ad longitudinem, quanta est un-  
guis digiti, intra quæ locus erat capax  
pulveris pyrii, globiq; plumbei, quan-  
tum est cicer: inerat eidem pilæ fo-  
ramen perexiguum, quod chalybe à fu-  
niculo violentissime detento tegeba-  
tur. Pila igitur pulvere plenâ cum  
scinde-

Eccli. 13. 19.

Maxim.  
Sandens in  
Platone  
Christ. Cõ-  
ment. 8. n.  
16.

scindebatur funiculus, chalybis ictu è silice inibi locato ignis profliebat, magnùmque fragorem emittens, à quolibet internodio globulum vibrabat, supernè, infernè, & à quatuor partibus tanta vi, ut obvia quæque penetraret, hominemque interficeret. Hanc itaque machinam ejus artifex incluserat vasculo, illo ipso fune, qui chalybem detinebat, involuto; dat rustico rei ignaro, ut deferat homini noto. Rusticum excutiunt, ut solent, in portavigiles, arripiunt capsulam, & existimantes pretiosum quid inesse, funiculum scindunt: erumpit illico ignis, & fragor, multiq̄ue ex adstantibus graviter lauciantur. O inventum planè è Dæmonis cerebro destillatum! ut nihil hic dicam, de exquisitissimis & acutissimis tormentis, quibus homines alij alios miserandum excruciant, ijsq̄ue adinveniendis mirum quantum student.

Cibos & alimenta natura homini ad vitæ conservationem providit. Et cheu! etiam in his Mors; Mors in ollis & patinis. Melopeponum esu quatuor Cæsares perière, inquit Cuspinianus, quorum duo Austriaci, nempe Albertus II. & Fridericus III. Arnulphus item Imperator esu allij; M. Antonino Pio caseus; Severo nimia caro exitio fuit. Ladislaum Vngariæ Regem rapæ extinxerunt; Pompejum Columnam Cardinalem ficus; Melchior Dux Brunsvicensis è fragis obiit. Ap. Saufejus scriba in ovo; Fabius Maximus in lacte; Medorus Valla in musto mortem exorbuerunt. Anacreon, uvæ acino suffocatus est. Casimirus II,

Poloniæ Princeps in solemnì convivio mortuus concidit. A. Manlius Torquatus dum placentam in cæna avidius gustat, ad plures citatur; quod idem inter epulas prælagisse videntur gnathones & phagones illi apud Propheetam, qui se mutuò hortantur: comedamus & bibamus; cras enim moriemur: imò verò, ut notat Clemens Alexandrinus, non modò in crastinum morturi, sed jam hodie mortui.

Ultimò quis omnes inopinos Mortis casus animo comprehendat? Hi verè ubique valent: ab his (quantumlibet ceterà sani & viribus pollentes) nullo usquam in loco immunes sumus. Sive ambulemus, sive stemus, sive sedeamus, sive cubemus, sive aliud quid faciamus, ubique comes adest Mors, ubique insidias tendit. *Quis ambulat ubicunq̄* (ait D. Augustinus) *non inopinatè subjacens casibus? Quid videtur sedente securus? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli, & mortuus est.* Memoratur à Scriptoribus puer, qui dum templum hilaris subijt, pragranti stirià è tecto in caput delapsà occisus est. Hyacinthus item puer, dum disco ludit à collusore disco percussus, lusum & vitam finit. Alius dum Christi patientis personam in theatro egit, in cruce seriò expiravit. Crassius Orator inter declamandum in senatu è vivis abiit.

Juvenis quidam P. Paulo Barry è Societate Jesu notus, dum ocreas induit, hominem exuit, nihil aliud prolocutus, quàm: *misella anima, quò ibis?* Henricum IV. Gallia Regem in rheda propria sicarius ex improvìso lethaliter ferijt. Et ne longus in tot recensendis

Isa. 2. 2. 13.

Cleme. Alex. lib. 2. pad. c. 1.

Aug. l. 22. de Civ. c. 22.

Barry solit. hag. 4. die dissert. mat.

dis exemplis videar, Divum Ephrem, hæc omnia summatim complectentem adduco: multi, inquit, dum multa serant. in eos, cum statuerent, ad crastinum non pervenerunt; at subito rapti sunt, sicut passero dorm. culi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quasi captivus à latrone. Alij enim vespere cubitum sani concedentes, ad mane non pervenerunt: alij ad mensam accumbentes expirârunt: alij inter ambulandum & ludendum repente sunt mortui: alij, dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subito atq; inopinatò abrepti sunt, & eadem sibi vestimenta pro nuptijs parârunt, atq; pro funere; successeruntq; in locum tibicinum lamentantes, & in locum saltantium atq; tripudiantium lugentes atq; plorantes.

Virg. Eccl. 3. *A love principium Muse, Iovis omnia plena.*

canebat Poëta; at similiter cecinisse, debebat: Principium à morte, mortis

sunt omnia plena. Nil itaque mirum, quòd unusquisque hominum vitam suam à fletu exordiat; quippe

*M*asculus omnis A nascens, est E femina profert;

A dat Adam genito, E dedit Eva prior.

nam quòd ad mortem natus sit, nesciens. Aug. l. 21. propheta quodammodo & jam tum ex utero matris sentit se incipere mori. de Civ. c. 4.

Ac proinde cum tota vita nostra sit quædã continua agonia, ita in momenta singula instar agonizantium ad moriendum dispositi esse studeamus, ut quocumque ex illis Mors ultimum ictum dederit, nemo in fauces subjecti Draconis hoc est Tartari incidens, occlamet: non putabam; sed sursum è malorum barathro instar columbæ evolans, occinat:

*T*e Deum laudamus.



DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.  
Peccati debitum gravissimum.

*Tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet  
universum debitum.* Matth. 18.



Uam volupe est unicuique audire: *accipe*; tam in-  
iucundum est moneri: *redde, quod debes*. Non-  
nemo apud Svidan miserimos esse ho-  
mines dicit, qui modò rubros, modò  
pallidos habeant dentes: Debitorum  
intelligens, qui dum debitum repeti-  
tur, erubescunt; dum creditorem vi-  
dent, pallefcunt, latebras & effugia  
quærunt, centum ab hinc milliaribus  
abesse optantes. Plerumque enim in  
obæratos, tanquam in maleficos pesti-  
mè favitur; nec levius censetur crimen  
debita non reddere, quàm aliena rape-  
re. Apud Bæotos si debitor præfixo  
die solvendo non erat, ducebatur in fo-  
rum, ibique in loco edito sedere jube-  
batur; tum super eum corbis iniicie-  
batur, in gravissimæ signum infamiæ.

- a *Stob. ser.* 42. (a) Apud Tyrrenos sequebantur illum  
pueri vacuum gestantes marsupium,  
b *Hæracli.* in *polit.* ignominia causa. (b) Apud Indos ma-  
nu truncâ & oculo effosso morte affi-  
ciebatur. (c) Apud Romanos post mor-  
tem illius cadaver discerpendum dila-  
cerandumque Creditoribus dabatur,  
c *Alex. ab* Alex. l. 6. c. 10. ut quisque sui crediti nondum persolu-  
ti partem suppleret cadaveris frusto.  
Quæ lex immanis ideo instituta fuit,  
ut alij exemplo tam sævo deterren-  
d *Liv. dec.* 1. l. 2. tur à negligentia rerum suarum. (d) A-  
pud Moscovitas etiamnum hodi que

non habentes unde solvant, ex legis  
præscripto in locum certum & publi-  
cum ad id ordinatum ducuntur, ibique  
à servis pratorianis flagris baculisque  
per suras & crura pedum gravissime  
absque ulla commiseratione tamdiu  
cæduntur, donec, undecunque accipi-  
endum sit, creditoribus satisfaciant.

(e) Et ita cum servo suo debitore pro-  
cessit hodiernus Dominus Evangelicus,  
cum eum tradidit tortoribus quoadusque  
redderet universum debitum. At qua-  
le illud fuit? Evangelista ait fuisse de-  
cem millia talenta. Proh! quanta summa!  
quæ juxta computum Maldonati effi-  
cit sexagies centum millia aureorum no-  
stratum, sive octodecim milliones flo-  
renorum Rhenensium: talentum enim  
inquit ille, apud Judæos usitatum, &  
de quo Christum hîc loqui credibile  
est, sexcentos aureos numos valebat.  
Quomodo per Deum immortalem u-  
nus servus tantum æs conflare potuit?  
Nonnulli opinantur fuisse aliquem  
Præfectum aulae, per cujus manus, ut  
loqui solemus, tota Domini pecunia  
redditusque transibant. Sed si vel cen-  
tum duntaxat millia quotannis surri-  
pisset, nonne id satis palpabile, nonne  
facile animadversum fuisset? Existimo  
AA. cum Doctore Hipponensi debito-  
rem illum alium non esse, quàm pecca-  
torem; per decem enim millia talen-  
torum,

c *Gnagnin.*  
in *descrip.*  
*Moscov.*  
c. 4.

Aug ser. 15  
de Verb.  
Dom.

torum, inquit, significantur peccata; quia decem praecepta legis. Quae transgredi, est tantum debitum contrahere, pro quo à pura creatura nulla dari possit satisfactio aequalis, ut ex dicendis constabit.

Quinque in unoquoque peccato, praeter illam quae objecti propria est, generales malitias assignant Theologi: inimicitia & odij adversus Deum; in quantum peccatum est averfio à Deo ut summo bono; inobedientia, in quantum est averfio à Legislatore; ingratitude, in quantum est contra Benefactorem, irreverentia & irreligionis, in quantum opponitur summæ Sanctitati; injuriâ, in quantum violat jus supremi Domini, debitam subjectionem & servitutem à nobis legitimè exigentis. Injuria autè tantò censetur gravior, quantò dignior est persona, cui irrogatur, & vilior is qui irrogat. Sic percussor Regis longè acerbiorè poenâ meretur, quam percussor civis; & si rusticus violètas Domino suo manus inferat, minùs pro injuria latifacere poterit, quam alius ejusdem status & ordinis cum Domino. Cum itaq; Deus Persona sit infinitæ excellentiæ ac dignitatis, respectu cujus Reges terreni sunt minimi vermiculi, & homo in Deum injurius infinitè ab ipso distet, sequitur satisfactionem pro uno peccato, ut sit aequalis, debere esse infinitam. Revelavit hanc veritatem ipse Deus Pater S. Catharinæ Senenfi, in quodam colloquio sic eam alloquens: omnes poena, quas anima sustinet, vel sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigna sunt ad culpam, etiâ minimam, puniendam. Quoniam offen-

Dialog. 3.

sa, qua mihi fit, qui sum Bonum infinitum, proculdubio satisfactionem exigit infinitam. Et unde talem miserrimus peccator exhibebit, cum dicat Chryso-  
stomus, nihil peccante esse pauperius? De-

Chryso-  
stom.  
de provid.

bitor quidem hodiernus promittit se omnia soluturum: patientiam, inquiens, habe in me, ô Domine; & omnia reddam tibi. Sed quis nesciat debitores solere insigniter mentiri? Hinc Persæ apud Herodotum debitorem esse & mentiri duo vicia inter homines maxime turpia ducebant, quorum unum raro sit sine altero; qui enim ære alieno obstricti sunt, pollicentur se in dies satisfacturos, nec tamen præstant. Quomodo infamis depeculator omnia reddes, qui ne quidem censui solvendo sufficiens es? Quippe è summa octodecim millionum nova tibi erumpet summa censuum quotannis pendendorum, unus millio & octoginta millia; quantos proventus fortè nec Regna aliqua Regi suo ferunt. Respondet argutè Remigius: miser hic damnatus persolver, sed nunquam persolver; hoc est, luet in pelle; nec tamen per totam æternitatem pro debito satisfaciet. Omnes poena, quas anima sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigna sunt, ad culpam etiam minimam puniendam. Quid si quis omnia quæ hucusque SS. Martyres passi sunt tormenta, collectivè pateretur; si & vivus excoriaretur, cum D. Bartholomæo, & ferrâ divideretur cum S. Simone, & super craticula lentè afflaretur cum D. Laurentio, & sagittis configeretur cum S. Sebastiano, & membratim dissecaretur cum S. Adriano, & ferreis pecltinibus dilace-

Herodot.

rare-

ceraretur cum S. Blasio, & in liquato plumbo, in ferventi resina ac pice frigeretur cum S. Vito; & in aneo bove torreretur cum S. Eustachio, & in glaciale stagnum mitteretur cum SS. Quadraginta, vel in fornacem calcis cum Massa candida? Ne quidem pro uno officioso mendacio condignè solveret. Nam si quodlibet peccatum veniale meretur purgatorium, consequenter meretur poenas omnibus istis acerbiores; siquidem ex sensu Angelici Doctoris poenae purgatorij superant

*D. Thom. 3. p. 9. a. 6. ad 3.*  
*in 4. dist. 30. q. 1. a. 2.*  
cruciatu omnium Martyrum, imò ipsius Christi Servatoris nostri, quos tempore suae Sacratissimae Passionis sustinuit. Idemque Doctor alio in loco docet, minimam Purgatorij poenam graviolem esse acerbissimam hujus Mundi poenam. Quod idem ante illum docuit S. Caesarius, cujus haec assertio est:

*Cesar. lib. 7.*  
*Spondan. a. 1259.*  
purgatorius ignis durior erit, quam quod possit poenarum in hoc seculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari. Possentne humana crudelitas majus excogitare supplicium, quam quod in Alberico Marchiae Tarvisinae Tyranno spectavit Italia anno Mundi millesimo ducentesimo quinquagesimo nono? Hic enim pedibus ad caudam equi alligatis (occluso ore, ne loqui posset) per tota castra raptatus est, unoquoque militum forcipibus bolum ex ejus carnibus avellente. Nec absimilem lanienam

*Mercur. Gall. a. 1610.*  
nostro seculo vidit Gallia in Henrici IV. interfectore Raviliaco, cui forcipibus candentibus, pectus, brachia, femora, ac surae inusta; in partes inustas plumbum liquefactum, oleum fervens, resina accensa, ceraque cum sulphure in-

fusa; tandemque corpus à quatuor equis distractum: item Polonia in Michaele Piekarsky, qui Regē Sigismundum ad aedem sacram progredientem, in ipso templi vestibulo, è latebris pro-

1620.  
siliens ferro invasit, & priusquam animadverteretur, bis in facie ac humero vulneravit: postmodum interceptus haud mitiores, quam prior, poenas luit. Et tamen mallet quaelibet anima purgatorij centum annis ejusmodi cruciatus pati, quam uno die in expiatorio illo carcere cruciari. Omnes poenae, quas anima sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigna sunt ad culpam etiam minimam puniendam. Quid si quis omnes morborum species sine ulla remissione per mille annos in suo corpore toleraret? Si & capitis & oculorum & dentium dolore simul divexaretur, & podagra, pleuritidi, colicae, calculo, dysenteriae, hecticae, in summa intensione junctam laboraret? Vnum curiosum aspectum non solveret.

Nonne ex historijs scimus, animas etiam sanctas ob levissimos defectus bene multis annis in purgatorio arsisse? qualis B. Severinus, vel ut Baronius probabilius putat, Peregrinus Colonien-  
*Baron. ann. 1062. tom. 11.*

Episcopus, qui post mortem Clerico cuidam vadum fluminis transeunti apprensus, equique habenas sistens: "dam mihi, ait, manum tuam, & quae circa me sunt, non auditu disce, sed tactu: cumque datam manum fluctibus impressisset, tantus eam ardor absorbit, ut undique carnes resolutae diffuerent, & ossa nudata vix harentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: cum nomen tuum in tanta benedictione sit

It. apud



An totidem secula? ne hoc quidem.  
 An totidem millia seculorum? nullo modo. An totidem milliones? sed nequidem ita se ad aeternitatem haberent, uti unitas ad praefatum numerum. Sic priscus Theologus Adamus Sasbout dicebat: " cogito mille annos, cogito  
 Sasbout hom. Dō., millies mille annos, cogito tot anno-  
 1. Quadr., rum millia, quot sunt momenta seu  
 „ puncta in toto tempore à condito  
 „ Mundo, usque ad ejus consummatio-  
 „ nem, & de aeternitate nihil adhuc ha-  
 „ beo. Et Dionysius Carthusianus ipsos  
 Dionys. Damnatos ita calculantes inducit: :  
 Carthus. in elapsis decem millibus annorum, adiciens  
 spec amato. tur centum millia, post hac centum millia,  
 Mundi. tot jungentur myriades, post myriades tot  
 „ milliones, quot in firmamento sunt stellae,  
 „ atomi in aëre, in liore maris arena. Post  
 „ quae longissima annorum spatia, quasi nihil  
 „ de poenis nostris accisum esset, sic iterum  
 „ ab initio pari tormenta incipiemus: atque  
 „ ita sine interruptione, sine fine, sine modo  
 „ volvetur assidue nostrorum tormentorum  
 „ rota: Miseri damnati persolvent, sed  
 „ nunquam persolvent. Et nulla prorsus  
 „ libertatis spes? nulla, nulla; debiti-  
 „ summa irredimibilis erit, census cur-  
 „ ret perpetuus. Origenes quidem exol-  
 „ vendum aliquando docuit; verum  
 „ tanquam haereticus ab Ecclesia est con-  
 „ demnatus. At numquid erravit &  
 Chrys. hom. Chrysostomus, dum dixit: tale est pec-  
 de Adam. catorum debitum, ut si solliciti sumus ad  
 & Sodom. solvendum, leve sit: si negligentes, gra-  
 tom. 1. vissimum? Si enim insolubile est, quo-  
 „ modo efficaciter de illo exolvendo co-  
 „ gitare possumus? Respondeo, si ante-  
 „ quam Tartareis tradamur tortoribus  
 „ ipsimet nostri tortores simus; si ante-

latam sententiam, dum tempus est mi-  
 ferendi opera satisfactoria in Ecclesia  
 usitata, Deo exhibeamus; qualia sunt  
 jejunium, elemosyna (de qua Daniel  
 Nabuchodonosori: *peccata tua eleemo- Dan. 4. 24.*  
*synis redime*) mortificationes, ut voca-  
 mus, sive poenalties corporis sponte  
 susceptae; quae licet ex se non sint con-  
 digna satisfactio vel pro minimo deli-  
 cto; sunt tamen si fiant ab homine jam  
 constituto in gratia, quae ei confertur,  
 sive per Sacramentum poenitentiae, sive  
 per veram contritionem. Quod, ut  
 clarius percipiatis, notare vos velim ex  
 unoquoque peccato tam mortali, quam  
 veniali resultare duos reatus: alterum  
 culpae, & alterum poenae: vi illius Deus  
 habet jus ad odio habendum peccato-  
 rem; vi hujus ad exigendam ab illo sa-  
 tisfactionem. Culpa & simul odium  
 tollitur per Sacramentum (statim enim  
 à Confessione fit homo rursus Dei ami-  
 cus) non autem sic deletur tota poena;  
 sed ea luenda est vel in hac, vel in alte-  
 ra vita, & ex aeterna commutatur in  
 temporalem. Quis porro nostrum  
 non malit hic, quam ibi luere, cum, uti  
 dictum, tam rigidè istuc procedatur?  
 Si reo alicui daretur optio, ut vel disci-  
 plinam faceret, vel crurifragium subi-  
 ret, nonne ille cum summo gustu & læ-  
 titia flagrum arriperet? nonne dorsum  
 suum egregiè cruentaret? Et tamen  
 nos unà disciplinā animo pro peccatis  
 satisfaciendi susceptā, evadere possu-  
 mus tormenta purgatorij multò majo-  
 ra, quam sit crurifragium, & ab equis  
 distractio. Idcirco Sancti quique viri,  
 ut non haberent, quod in altero seculo  
 expiarent, in semetipsos fuere quam



rigidissimi, & crudelissimi. S. Dominicus Loricatus quindecim annis continuis ferream lorica[m] super nudo corpore gestavit; ferreis circulis totum corpus incinxit. Quotidie tamdiu in se flagris animadvertit, dum bis Psalmi omnes Davidici, centum & quinquaginta possent ab ipso recitari. B. Henricus Suso, ex ordine Prædicatorum, crucem palmarem triginta acutis clavibus hispida[m] per octo annos nudo tergo adstrictam tenuit: dum se ad quietem nocturnam componebat, gutturi suo partem cinguli duos annulos infertos habentis circumdabat, cui manus & brachia sursum versus ad guttur extensa includebat seris duabus, donec ad preces surgens se ipsum absolveret. S. Ignatius Loyola initio conversionis suæ ter quotidie acerrimè sese diverberabat. S. Edmundus Cantuariensium Antistes, fune ex equorum pilis triplicato ita corpus stringebat, ut à scapulis usque ad renes crebro ambitu restis duceretur, & infimæ parti tanta vi & nexu adstringeretur, ut vix corpus inflectere, aut inflexum erigere valeret. S. Simeon Stylites junior sexaginta & octo annos continuos uni columnæ insitit. S. Casimirus spretâ regij lecti molliæ dura cubabat humo. Et, ut ceteros taceam, quid aliud est Religiosorum hominum vita, quàm continuum voluntarium supplicium? Sed ô felix & salubre supplicium, quod reum conservat in vita: vitam enim esse pœnitentiam, docet Doctissimus Tertullia-

nus, cum illud Ezechiel. 33. *nolo mortem impij, ita transfert: pœnitentiam malo, quàm mortem; ac inde hanc infert consequentiam: ergo pœnitentia vitata est.* In primitiva Ecclesia, pro uno peccato mortali statuebatur pœna trium, quinque, septem, imò plurium annorum. Induebantur pœnitentes sacco & cilicio, caput detonsum cinere conspergebatur, arcebantur à convivijs, à balneis, à nuptijs, à theatris & spectaculis, ab equitando, denique ab omni genere honestæ voluptatis & recreationis non necessariæ; quantum nunc distemus à felicissimis illis temporibus, vident boni omnes & ingemiscunt, ait nonnemo. Nam hodie si alicui pœnitenti ob centum peccata lethalia imponatur vel unum jejunium, jam pœna nescio quàm grandis, quin omnino intolerabilis putatur, prætenditur invaletudo & virium imbecillitas, adferuntur excusationes, quales apud D. Bernardum à quibusdam: *caules capiti nocent, caseus stomachum gravat, pisces mea penitus repugnant complexionis; queritur mitior Confessarius, qui pœnitentiam in aliquot Pater & Ave commutet.* Sed quem alium nisi seipsum hoc pacto decipiunt? Quod enim per unum ejusmodi jejunium exolvere hinc poterant, in purgatorio carcere, fortè per viginti annos non exolverent, neque inde exibunt, donec reddant novissimum quadrante[m].

Tertull. l. de pœnit. c. 4.

Bellarmin. tom. 2. Contror. l. 1. de pœnit. c. 21. § 22.

„ Doutr. „ padag. „ Christ.

Matt. 5. 26.



DOMI-

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.  
Habita in instauratione studiorum. 1658.

*Homo Dei numisma.* Chrysol.

*Ostendite mihi numisma.* Mat:22.

**R**enovato post bimestres  
ferias studiorum curri-  
culo, ego pariter labo-  
riosam dicendi provin-  
ciam hodie renovo, AA.; eo-  
que magis anxius renovo,  
quantom vos audiendi a-  
vidiores video: neque enim  
tantum mihi suppetit eloquenti-  
æ flumen, ut adeo doctas  
aures satis impleam; ne-  
que Demostheneam habeo  
linguam, ut dignè *pro* tali  
toties dicam *corona*. Op-  
tarem eam modò cum facundia  
caliditate, quã vos vel *in*  
primo hoc meo *sermone*  
caperem, non quidem phari-  
sai- cè palpan- do & adulando,  
sed magis Christianè veritatem  
loquendo, quæ licet odium  
plerumq; pariat, apud vos  
certè parere non potest,  
quorum immediatus in  
discendo finis est *veri cog-  
nitio*. Facilius me in odium  
putarem, incurrere, si contra  
privilegia vestra, census  
alicujus aut tributis reos  
facere vellem; siquidem jure  
communi à tributis, gabellis,  
vectigalibus, telonijs, cæteris-  
que id genus civicis oneribus  
Studioſi eximuntur, ut inter  
180. eorundem privilegia  
annotavit vir consultiſſimus  
Petrus Rebuffus. Sed nul-  
lus dubito omnes in Augustis-  
ſimum & Invictisſimum  
Cæsarem nostrum LEOPOLDVM  
eo ferri animo ac studio,  
ut ubi res postulaverit, vos  
totos,

vitasque vestras eidem  
impendere, sanguinemque  
ipsum loco pecuniarij cen-  
sus ultro dicare parati sitis,  
quemadmodum annis abhinc  
decem † in propugnanda  
ferreis, adeoque fortissimis  
argumentis Praga eximè  
probastis, imò evidenter  
demonstrastis. Non est ergo  
quod vos ad fidelitatem  
Cæsari reddendam animem,  
cujus favor & numus quocun-  
que vobis potior est argu-  
mento. Est hic mos Principum,  
ut gratias suas in numis  
distribuant, qui idcirco  
*numi gratie* dicuntur. Nec  
ab hoc more abludit Deus,  
nam & ipse suam habet  
monetam, suaq; numisma-  
ta, quæ singuli non tam  
in collo, quam intra vos  
ipsos gestatis, uti nunc  
docebo.

Tria potissimum in numis  
& numismatibus spectari  
nemini non totum est,  
videlicet: materiam, valorem,  
signum, sive effigiem. Mater-  
ia hodie usitatissima est,  
aurum, argentum, & æs;  
olim etiam ferrum, lignum,  
corium, & testa. Numam  
enim Pompilium scorteos,  
& ligneos, & ostracinos  
alles populo in congiarium  
dedisse testatur Svidas,  
eundemque ex ferro & ære  
primum cudisse numismata,  
quæ de proprio auctoris  
nomine sint *numi* appellati.  
Cathainis Tartaris etiam  
papyraceam monetam in  
usu fuisse scribit.

† a. 1648.  
Antiqua & nova Praga  
acerrimè à Svecis est  
oppugnata; nec se-  
gnius à studiosis propugna-  
ta.  
Genadius pfeunig.

Svidas in voce dicitur  
pca.

*Sabel. l. 6.* bit Sabellicus, quam vetustate obli-  
*Enn. 10.* ratam prioribus seculis renovare velle  
 visus est Eaicus Lupides Comes Ten-  
*Nebriensis.* dillanus, qui bello Granatensi Alamae  
*dec. 2. l. 3.* urbi praefectus, in summa rei pecunia-  
*c. ult.* riae desperatione, à Rege Ferdinando &  
 Isabella decreta jam stipendia simula-  
 bat se in horas singulas expectare, & ut  
 bono animo foret, milites hortabatur,  
 pollicebaturque se daturum interea  
 non veras, sed imaginarias pecunias,  
 quibus inter se rerum venalium com-  
 mercia exercerent, fide sua interposita,  
 umbratilem illam monetam veram se  
 redempturum. Ex charta igitur fecit  
 schedulas suam manu atque subscriptio-  
 ne signatas, quibus imposuit nomina  
 & pretium, quosdam vocans numos  
 aureos, quosdam argenteos, quosdam  
 aereos, & in unoquoque genere plus  
 differentiae, puta assis, semissis, terun-  
 cij, &c. Atque ita papyraceis illis  
 pecunijs stipendia persolvit. Non de-  
 est, uti dixi, & Deo sua moneta; (si e-  
 nim jus cudendae pecuniae penes sum-  
 mum Principem terrenum est, l. 2. C. de  
 falsi monet. tantò magis penes Deum)  
 Sed quae illa moneta? Respondet au-  
*Chrysost.* reum os: *numisma Caesaris aurum est;*  
*numisma Dei, homo est.* Non omnes  
 tamen eadem materia, non omnes au-  
 ro, & *rufa terra* velut Adam constamus;  
 Divinus enim apud suos Plato docet,  
*Plato lib. 3.* in formatione hominum immixtum à  
*de rep.* Deo aurum ijs, qui praestantissimi es-  
 sent futuri; argentum mediocribus;  
 ferrum denique, aes, & lignum ijs, qui  
 sunt infimae rotae: cujus sententiam  
 comprobare videtur communis loque-  
 di modus, quo homines prudentiam, in-  
 genio, moribusque praestantes, voca-  
 mus *aureos*, vel *argenteos*; hebetes con-  
 trà & stupidos, *ligneos*, aut *papyraceos*;  
 illos verò, qui durae cervicis sunt *ferreos*,  
 uti eos, qui multum potant, *cupreos*.  
 Et sicut numerorum valor plerumque ex  
 materiae qualitate pensatur (aureus e-  
 nim Duplo amplius valet quam Impe-  
 rialis, licet hic longè majori quantita-  
 te sit) ita inter homines tantò magis  
 alij alijs praestant, tantò majori habentur  
 in pretio. De hoc dicitur: valet  
 ad omnia, est pretiosissimus; de alio  
 contrà: est homo triobolaris, valet  
 unum teruncium, assen, aut planè ni-  
 hil valet. Sed enim Deus, ut verè ho-  
 dierni dixerunt Pharisei, non tam re-  
 spicit *personam hominum* sive materiam  
 numismatis, quam signum. Sit non-  
 nemo quantumvis hominum iudicio  
 & aestimatione vilis, sit licet papyra-  
 ceus, testaceus, aut triobolaris, si tamè  
 ritè signatus est, non ille in divinis  
*Bernis* (liceat domestico vocabulo uti)  
 rejicietur, sed certo certius cum alijs  
 in censum veniet. Tamberlanes Rex  
 Tartarorum, cum Syriam peragraret,  
 fortè in colonum incidit, qui tum se-  
 cundam fortunam praegrandem lebetem  
 aureis onustum exaraverat. Aulici &  
 Satrapae thesaurum tantum Regi defe-  
 rendum monebant, utpote in ejus fun-  
 do repertum. Rex monetam inspiciens,  
 quaesivit è circumstantibus; num  
 imaginem Patris sui referret? qui cum  
 effigie Regum Romanorum signatam  
 respondissent, dixit: si haec moneta  
 non est meorum Majorum, maneat  
 suo inventori, cui eam fors dedit. No-  
 luit terrenus iste Rex monetam alienam  
 signa-

signatam effigie; ita & Deus hoc unum attendit in numis, an suam referant imaginem. Sicut *Cæsar*, inquit D. Ambrosius, *exigit impressionem suæ imaginis; sic & Deus animam lumine vultus sui insignitam.* Dum initio hominem cuderet, dixit: *faciamus eum ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ verba expendens Doctor Angelicus sic ferè discurret: in inferioribus creaturis posuit Deus vestigium sui, in homine verò imaginem; Regum more, qui in magnis aureis monetis effigiem sui ponunt, in inferioribus verò insigniuntaxat. Licet enim omnis creatura Deo assimiletur: sed ad rationem imaginis non satis est quælibet similitudo, sed similitudo secundum ultimū rei & propriissimum. Et citatur Chrysostomus: *in solidis videtur Cæsar, in hominibus agnoscitur Deus.* At num in omnibus? Lego equidem multis ab ipso Deo dictum: *nescio vos; nec novi.* Quomodo non novit, qui ipse signavit? an fortè signum nimio usu obliteratum, vel certè alio permutatum est? Ah! non unus hîc falsarius, non unus divinæ monetæ reperitur adulterator. Pecudes nescio quæ Ethnico more in numis excusæ videntur. Olim numi effigie pecudum signabantur; unde pecuniæ nomen teste Plinio. Gen: 33. legitur Jacob emisit agrum à filiis Hemor Patris Sichem centum agnis; ubi Pineda noster intelligit centum numos, qui dicebantur agni vel oves, eò quòd agno vel ovis signarentur. Cephalentes numismatis insculpebant equum; Rhegini leporem; Argivi murem, & lupum; Athenienses

bovem. Hinc in Deliacis spectaculis, si cui munus dandum erat, præco pronuntiabat: *tot illi boves dabuntur.* Et Princeps quidam fertur numos cudisse aureos, quos *verbera & furcas* appellabat. Cùm aliquando coram multis adstantibus jactaret se velle nonneminem præmio afficere, qui fortiter pro ipso pugnaverit, & alium, à quo beneficium magnum acceperat, ait ministris: primo tribuite mille verbera, secundo quatuor furcas. Peregrini horum nominum intentique Principis ignari ad talia dicta obstupescabant, donec ab aulicis edocti intellexerunt, qualia essent hæc verbera, & furcæ. Jam si inter ipsos homines computura facere velimus, quot putatis tales pecuinos, & malè signatos numos deprehendemus? S. Ignatius ad Magnesianos scribens: *duos, ait, characteres dico in hominibus inveniri; unum quidem vera monetæ signaculum, alterum adulterina.* Pius enim homo & religiosus vera monetæ est: impius & irreligiosus falsa. *Iusti formam habent Dei Patris, & Christi filij ejus. Impij imaginem habent principis nequitia.* Considerate ebrium cœno vomituque fœdatum, *cujus est hæc imago?* dicetis utique sordidæ suis. Aspiciate iratum cui flagrant oculi, ardet facies, contorquentur ora, colliduntur dentes, spumant labia, *cujus est hæc imago?* respondebitis: tauri ferocis aut rabidæ tigridis. Videte Evclionem vel Pygmalionem avarum, qui nunquam satiatur divitijs, sed usque & usque clamitat: *affer affer; cujus est hæc imago?* haud dubiè iniatiabilis lupi, Observate lividum cui aliena fe-

S. Ignat. ep.  
6. ad Magn.  
gnos.

licitas dolori est, *cujus est hac imago?* profectò invidi canis. Attendite salacem, qui, ut ait Salomon, visa muliere, *statim eam sequitur; cuius est hac imago?* sanè incontinentis equi. Spectate Autolyicum aliquem furacem, qui egregiè novit harpagare & colligere ubi non sparfit, qualis est hac imago? utique verberis & furcæ: *fur enim & furca non longè differunt, & ab illo ad hanc facilis est gradatio.* Unde tam absurdæ imagines? unde id genus signa? sui ipsius inimicus homo hoc fecit; ipse suus falsarius & adulterator est; à Deo enim degenerare adulterari est, quæ est phrasis scripturæ usitatissima. Jure antiquo adulterantes monetam damnabantur ad bestias: & homo cum in honore & pretio esset, non intellexit; comparatus est per peccatum jumentis insipientibus, & similis factus est illis, queritur in antiqua lege Prophetarum. Jus verò recentius civile hæc sancit: *quicumq; solidorum adulter poterit reperiri, vel a quocunq; fuerit publicatus, illico omni dilatione sumnota flammarum exustionibus mancipetur.* Similiter jus divinum novum: *qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternum.* Falsificatur præterea moneta defectu ponderis, si nempe justum non habeat pondus, licet legitimè signata sit. Æquitas hæc & justitia vel maximè in aureis attenditur, qui soli ferè in libella examinari solent, nam parvam & vulgarem monetam vix ponderamus. Moneta imprimis aurea Principes sunt, personæque dignitatis alicujus eminentioris gradu conspicuæ, quæ tantò strictius à Deo examinantur, & ponderantur, quantò præ alijs nobiliorè fortiti sunt materiam, hoc est animam. quemadmodum de se gloriatur Rex Salomon, *Sap. 8. 19. sortitus sum animam bonam.* Sic ponderatus, & in statera appensus est Balthasar Babylonius, sed quia *inventus est minus habens,* quàm Regia postulabat dignitas, ceu malus numus reprobatus, & rejectus est, regnumque ejus inter Medos ac Persas divisum. In censum aureorum veniunt & docti; nam *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti* inquit Daniel, quodque ferè idem, quasi splendor auri, *aurum enim metallum solare* Chymici vocant. In his similiter tanta ponderis attenditur justitia, ut si vel in minimo deficiant, eo ipso omnibus in cælo postponantur; ait enim divinus Judex: *quicumq; solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Siccine minimus? ergo Eximius SS. Theologiæ Doctor infra omnes idiotas? ergo Clarissimus Jurisconsultus infra omnes rusticos? ergo Excellentissimus Medicus infra omnes mendicos? ergo Doctissimus Philosophus infra omnes stultos? tantùmne demeretur minimus Docti defectus, ut is propterea ad novissimū in cælo locum detrudi debeat? Ita certè minimi in auro defectus pro magnis reputantur; nam *cui plus datum, est plus exigetur ab eo.* Ipse certè inter Doctores Ecclesiæ, Magnus Gregorius de se & sui similibus fatetur, sermone *Greg. 16. 9. in Evang. habito super Evangelium de talentis: lectio sancti Evangelij, fratres charissimi, sollicitè considerare nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc Mundo accepisse cerni-*

Bartol.

Psal. 48.

li. fin. C. de  
fal. mon.

Sap. 8. 19.

Dan. 5. 27.

id. cap. 12.

Pier. l. 22.

hierogl.

Matt. 5. 19.

Greg. 16. 9.

in Evang.

cernimus, ab auctore Mundi gravius inde iudicemur. Doctrinam universi per studia quæritis, plerique ad Magistrerium & Doctoratum aspiratis, annulo & torque aurea (quæ Doctorum insignia sunt) insigniri cupitis? igitur attendite ut justum pondus habeatis, ut *justitia vestra abundet*, plus quam rudium & illiteratorum. Ne quæso patiamini vos radi, & integritatem vestram violari à nescio quibus falsarijs, & corruptoribus: quique tot aliunde vobiscum commendationes & testimonia attulistis, cavete, ita vos geratis, ut decursu temporis de hoc illove dici possit: *inventus est minus habens*. Vulgò stultos & phanaticos appellamus *rafos*, solent enim ob nimium calorem communiter in capite radi. De

Caligula hoc prodit Svetonius; quòd cum ipse calvus esset, pulchros & comatos (si quos obvios haberet) occipitio raso solitus sit deturpare. Reperiuntur nonnulli, qui cum ipsi rasi, hoc est, *mali numi* sint, ubi adolescentes in virtute aureos, innocentia integros viderint, conantur eos ad similitudinem sui deradere, & justo, quod apud Deum habebant pondere & pretio, nempe gratia habituali, privare. Hinc (uti de veteribus Philosophis querebatur Paulus) multi hactenus qui ad Universitates venerunt volentes Docti & sapientes fieri, rasi, id est *stulti facti sunt*.

Rom. 1. 22.



XV

DOMI-

## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Virgines sunt immortales.

*Non est mortua puella. Matt: 9.*

Eccli. 41.



*Mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua!*

O nimium crudelis & lava mors, quæ nullo discrimine fortis insignes & imos, ac æquo pulas pedes pauperum tabernas, Regumq; turres! O barbarorum omnium immanissima mors, quæ carissimos divellis, conjuges separas, Parentes liberis, liberos parentibus orbas, regiones depopulas, civitates depascis, exercitus devoras, Academias desolas! *Xerxes ille Rex potentissimus, (verba sunt D. Hieronymi,) qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem exercitum aspexisset, illacrymatu dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, super futurus esset. Et quomodo ego lacrymas tenere potero, dum de sublimi hoc suggestu, frequentem istam & florentissimam Auditorum meorum contemplor coronam? Vereor enim (& utinam vanus me luderet metus) vereor, ne forte post annos non dico centenos, sed quadragenos totus hic honorabilis numerus abeat in nullas oco. nullusque de presentibus sequens seculum à Christo decimum octavum vivendo attingat. Sed nihilne adversus tantam pestem remedium? ergo*

*Contra vim mortis non crescit germen in hortis?*

Nulla amplius in rerum natura datur arbor vitæ? Mori omnes debemus? Fuere equidem hætenus quàm plurimi, qui ut se redderent immortales, nullum non moverunt lapidem. Sinarum quidam Imperator ex antiquioribus (ut hoc studium Sinis per frequens est) poculum impostorum arte præparatum habebat, quo exhausto immortalem se fore credebat, nec ulla ratione hanc sibi opinionem patiebatur evelli. Subinde primæ admissiois amicus, dum is vultum tantisper à poculo avertit, illud clam surripuit, & impigre exhaustit. Excanduit ad hoc factum supra recti honestique modum Imperator, jamque strictum ensẽ in amici illi adigere parabat, quod sibi immortalitatis poculum eripisset. At hic intrepidus: exhausto, inquit, immortalitatis poculo, etiam vitam mihi eripi posse putas? Certè si eripi potest, nullum crimen admisi; neq; enim ego tibi immortalitatem eripui, sed fraude liberavi. Quibus dictis alter acquievit, & amici prudentiam, deterso errore, collaudavit. Longè magis insanivere, Cleanthes, Chrysippus, Zeno, Empedocles Philosophi, dum immortalitatis amore in Æternam insilierunt, ut nimirum, posteaquam repente disparuissent, ad Deos abiisse crederentur. Quos imitatus est Cleombrotus Ambraciotes, qui lecto Platonis Phædone

*Martinus  
hijf. Sinica  
Dec. 1.*

*Hieros: ep. 3.  
ad Heliod.  
in epitaph.  
Neptoniani.*

done de animæ immortalitate, ut ad immortalitatem transfret, è muro se in mare dedit præcipitem. O præclaram immortalitatem, cui æterna mors annexa est! Tutiozem ego vobis hodie modum (si modò illo uti libuerit) suggeram, ubi probavero Virginitatem nunquam mori.

Probo autem primò autoritate ipsius æternæ veritatis, summiq; in omnibus scientijs Magistri, qui ad hodiernam Virgunculam à mortuis revocandam gratiosè ab illius Patre invitatus, respondit categoricè: *non est mortua puella.* Itanc verò, Magister bone, non est mortua, quæ sensum omnè amisit, quæ pro forma virginea cadavericam induit, quæ in atram sua clausit lumina noctem, quæ vultu sædum expalluit, quæ corpusculo toto obriquit, cui nulla ampliùs micat arteria, cor sine motu est, halitus nullus ab ore spirat? Profectò ubi hanc propositionem turba tumultuans audierit, à sanis, cachinnis & sibilis vix sese continebit. Et ecce, quod verebar, evenit; *nam deridebant eum*, inquit Evangelista, *scientes quòd mortua esset.* Sed ò generatio stulta & incredula, num vos magis, quàm veritatis Magister sapientis? num plus stupidis vestris sensibus, quàm dictis divinis credetis? Si infallibilis veritas negat puellam esse mortuam, igitur mortua non est, sed vivit. Et, ut rationibus vobiscum agam,

I.  
Virginitas  
est incorruptio.

Quomodo mori possit Virginitas, quæ ex conceptu suo essentiali est ipsissima incorruptio? Sicut enim corruptas vocamus, quæ Virginitatem suam prodegerunt, ita vice versa puellas & ado-

lescentes Virgines, appellamus *incorruptos.* Incorruptibilem autem esse, nonne idem sonat, ac esse immortalè; cum mors aliud nihil sit, quàm *viventis corruptio?* *Corruerat* in diebus Noè *omnis caro viam suam*, quando omnes erant *nubentes & nupti tradentes*: & idcirco veluti putentia cadavera aquis debebant obrui, ne totum aërem, & ipsum fortè cælum factore suo inficerent. Ipse verò Noëmus, utpote continens (nam totis propè quingentis annis caelebs mansisse videtur †) mergi non potuit, nec debuit. Et quamvis deinde ob conservationem generis humani, potiùs quàm ob voluptatem tori confortem acceperit; tamen diluvio durante ab ea se separare Deo jubente debuit; dictum enim est illi: *ingredere arcam tu & filij tui; uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* Cur separatim viri, separatim feminae ingredi jubentur? Responderet Damascenus: *ut cum castitate pelagus, & illud commune naufragium evitarent.* Quasi tam atrox tempestas in eos tantum saevire non auderet, quos una castitas custodiret. E tribus illis illustribus Patriarchis Abraham, Isaac, & Jacob longissimè vitam produxit Isaac: Abraham enim vixit annos septuaginta, quinque supra unum seculum; Jacob centum quadraginta septem; at verò Isaaci *dies compleri sunt centum octoginta annorum consumptusq; atate mortuus est plenus dierum.* Quæ causa tam protractæ ætatis? quia Isaac majorem continentiam, quàm ceteri, servavit; fuit enim *monogamus*, ceteri *polygami*, inquit Eborensis sacrarum literarum interpret.

Mat. 24. 38

† cum esset quingentorum annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet. Gen. 5.

Gen. 6. 18.

Damasc. l. 4. de fide. c. 25.

Gen. 35. 29.

Franciscus Mendoza: in l. 1. Reg. c. 3. n. 10.

V. v. 2. Quid.



Quid si omnino nullam uxorem duxisset? Existimo ad hodiernam diem victurum fuisse, quemadmodum vivit Elias in paradyso, aut ubi ubi tandem adventum Antichristi expectans. Hic namque, ut docet Mediolanensis Antistes, quia nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, ideo mortem non oppetijt, ideo currum raptus est ad caelum. Et rursus alio loco: Helias, inquit, Angelis ducentibus raptus ad caelum est, & quadriga ignea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim exiterat, non gentium barbararum, sed secularum voluptatum.

Ambr. l. i.  
de Virgin.

Serm. 87. de  
Helisao.

Num. 25. 7

Petr. Da-  
mian ep. 12.  
ad Nicol.  
Papam.

Aliqui opinantur Eliam non distingui ab illo celebri Phinees Aaronis nepote, qui tantus fuit pudicitiae zelotes, ut machos in ipso turpi actu pugione confoderit: videturque inter ceteros huic opinioni favere D. Petrus Damiani, dum in quadam epistola ad Nicolaum Papam recitans divinum illud de Phinea promissum: ecce do ei pacem faderis mei, &c. ita dixerit: pacem sui faderis Dominus illi dedit, quia sedata omni carnis molestia, vivere illum usque in finem Mundi in paradyso amoenitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallor, Helias Prophetas, qui videlicet igneis equis, & currum, Helisao suspiciente, est translatus in caelum. Quod si illi objicias, a tempore quo Phinees vixit, usque ad Eliae raptum sex integra secula cum annis viginti effluxisse, respondebit: jure, quia machis repentinam intulit mortem, tam anosa vita sortitus est longitudinem.

Quid de S. Joanne Evangelista oculo Domini dicam? nonne & is, licet juvenis pingatur, omnes suos colle-

gas aetate superavit, siquidem usque ad Trajani sceptras & fascas, hoc est, ad sexaginta & octo annos a Dominica Passione vitam produxit, velut alter Isaac plenus dierum, ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur? Et quamvis mori videri potuisset, cum in sepulchro seipsum ad quietem composuit, tamen probabilius tenet sententia, eum ab Angelis, aequè ut Eliam, in paradysum translatum, adeoque verificatum esse sermonem, qui quondam inter fratres exierat: quia discipulus ille non moritur. Unde illi tanta praed. Petro Apostolorum Principe prerogativa? in promptu causa est: Joannes virgo fuit, Petrus uxorem & filiam Petronillam habuit. Ex quo ostenditur, inquit Doctor Dalmata: virginitatem non mori, & dormitionem ejus transiitum esse, non mortem.

Hieron. de  
Script. Ec-  
cles.

Joann. 21.

Hieron.

Magnorum Principum corpora solent ab obitu unguentis & opobalsamis condiri, ut saltem hac arte incorrupta servantur. Sic fuus Justiniani describens Poeta canit:

Thura Sabaea cremant, fragrantia  
mella locatis  
Infundunt pateris, & odore balsama  
succo,  
Centum alia species, unguentaq; mira  
feruntur,  
Tempus in aeternum sacrum servan-  
tia corpus.

Corippus l.  
3.

At verò virginitas, Doctoris melliflui testimonio, est sibi ipsi instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur, & quidem ita incorrupta, ut in eis nihil cadaverosi, sed mera vita appa-

Bern. ep. 42

appareat. Patuit in Sancta Virgine Cæcilia, cujus corpus post octingentos ab ejus Martyrio annos sub Clemente VIII. recentissimum est repertum. Patuit in S. Martino Turonensium Episcopo, cujus caro post mortem ut nix lucebat, inquit doctus Discipulus. Si causam quaras, respondebit: quia virginitatem servavit. Patet in S. Francisco Seraphico, qui etiamnum hodie totus integer, stans absque omni fulcro, & instar orantis manus & oculos in cœlum attollens visitur. Patet in S. Francisco Xaverio, qui ne quidem à viva calce potuit absumi. Patet in B. Catharina Bononiensi, quam viventi similem, sedentis situ videre qui volet, Bononiam adeat. Pulchrè D. Antonius Paduanus: cum omnes anima justa sponsa sint Christi, specialius tamen Virgines: quia sicut sponsus & sponsa sunt una caro, ita caro Virginum carni Christi verius se conformat, quam aliorum. Hinc sicut caro Christi non vidit corruptionem, sic nec caro Virginum.

in illud Domini dictum: in resurrectione neq, nubent, neq, nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei, optimè ita argumentatur: si in resurrectione neq, nubent, neq, nubentur, sed erunt sicut Angeli; & hi profecto, qui virginitatem servant, Angeli sunt. Sunt autem Angeli non ex infimo quovis ordine, sed certe illustrissimi atq, nobilissimi. Volebat aliquando D. Joannes flexo poplite adorare Angelum, cum mox ab illo audijt: vide, ne feceris; conservus tuus sum; quasi diceret: sum tui similis, æqua utriusque conditio. Idcirco, quia similis simili gaudet, frequentissima est purissimis illis spiritibus cum Virginibus & castis conversatio, ad eos libentissimè divertunt, & ubi ubi lateant, nullo indice, tanquam ex odore deprehendunt. Sic diverterant ad domum Abrahamæ sitam in convalle Mambre, quin aliquis illis viam indicaverit. Cum tamen inde pergere vellent contra Sodomam, Ducem viæ habuerunt Abrahamum. Abraham, inquit Sacra historia, simul gradiebatur, deducens eos. Lippomanus legit: iter indicabat, ne viâ errarent. O res mira! quomodo ad unam Abrahamæ domum, in depressa valle occultatam, multiplici anfractu inviam, arbutis & virgultis repletam, & situ ipso inaccessiblei sine duce pervenerunt, & à tota Pentapoli regione amplissima, quinque magnificis urbibus conspicua, hominibus refertissima metuunt ne aberrerent? Dicit quidam, hoc ideo factum, quia una domus Abrahamæ casta erat; tota illa regio obscena; Angeli verò castos ubicunq, lateant, probè sciunt; obscenos ubicunq, spatientur, non agnoscunt. Circa

Matt. 22.

Apoc. 19.

Gen. 18.

Discipulus  
sermon. de  
S. Martin.

II.  
Virgines  
sunt An-  
geli.

2. Cor. 10. 3.

Gal. 5. 24.

Chrysol. ser.  
143.

Basi. Selev.  
de Virgin.

Quid quod Virgines non tam homines sint, quam Angeli, ac proinde ex hoc etiam capite immortales: nemo enim Angelum mori unquam vidit, vel audivit. An quia incorporeus est, mori ideo non potest? Sed & Virgines gloriantur: in carne ambulantes, non secundum carnem militamus, imò penitus eam crucifiximus cum vitijs & concupiscentijs. Quod ponderans D. Chrysostologus: semper, inquit, est Angelis congenita Virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. An quia Angeli non nubunt, neq, nubuntur? sed neq, Virgines. Hinc Basiliius Selevcus

San-

Sanctū Regni nostri Indigetē, Virginē- que ( liceat ita loqui ) integerrimum Wenceslaum quoties Angeli visibiliter nō apparuerunt ! S. Cæcilia supra nominatā tam erant familiares, ut ei organis canenti ventum folle cierent. S. Nymphæ Virgini Panormitanæ ob spretum connubium, Angeli fertum ex lilijs rosisq; contextum obtulerunt. B. Aloysius Gonzaga tam Angelo incedebat similis, ut hunc ab illo non distingueres : unde est illud epigramma :

Mat. Sar-  
biev. in epi-  
gram.

Angele, Gonzaga es, si pictas exuis  
alas;

Si Gonzaga alas induis, Angelus  
es.

III.  
Sunt Dij.

Sap. 6.

Bonavent.

1. Reg. 25.

Hic jam fortè nimis multum dixisse videbor, si Virgines non tantum Angelos, sed planè Deos dixero : sed suffragatur mihi sapiens, dum ait: *incorruptio facit esse proximum Deo.* Quod de Virginibus ab eo intellectum existimat Doctor Seraphicus ita exclamans : *magnam revera quiddam ac preclarum. Virginitas est, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit.* Eluxit hoc vel per umbram in quodam Phalti filio Laïs, cui fæditragus Saul filiam suam Micholem, quam antea Davidi desponderat, præter jus fasque tradiderat : eandem verò occiso Saule Isbofeth Davidi restituit : tulit eam a viro suo Phaltiel filio Laïs, sequebaturq; eam vir suus plorans. Vbi hoc in prinis notandum

est, quòd homo ille priusquam accipisset Michol dicatur Phalti, illà restituta cognominatur Phaltiel. Cajetanus inquit : *adjunctum est nomini ejus, nomen Dei El, quia nunquam cognovit Michol, intuitu Dei, eò quòd sciebat esse uxorem Davidis.* Sic quoque illa centum quadraginta quatuor millia, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, habent nomen Dei scriptum in frontibus suis. Nec aliud sonat Elias, quam *Deus Dominus*, quasi qui propter virginitatem, non tantum apud homines, sed etiam apud Deum loco Dei haberetur. Hinc cum ad eum Dominus in sibilo aura tenuis subinde venisset, ita eum suaviter increpuit : *quid hic agis Elia ?* quasi dixisset, ut Hispanus Orator \* explicat : *hic vitam agis ? hic Virgo commoraris ? loco tam angusto circumscriberis, qui de Virginitatis privilegio debes mecum quodammodo ubiq; commorari ? divinum est, volare super pennas ventorum : quid hic agis Elia ? volatu Virginitatis.* Sed etiamne alas habet Virginitas ? Habet enim verò plusquam aquilinas. Hæc enim est illa virtus, Augustino teste, *quæ nos super athera volando conducit.* Atque ita cum aliquem Virginum de hoc Mundo abire videritis, nolite quæso dicere : *mortuus est ; sed dormit, vel, avolavit.*

Cajetan.

Apoc. 14.

3. Reg. 19.

\* Escobar in Elia.

Augu. ser. 37. ad Fratres.

DOMI-

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.  
Iudicium extremum universalis Fabula  
ac Tragædia.

Tunc parebit. Mat:24.



Uloquam adducar ut credam ( id quod Scriptor antiquarius docet ) Fabulam Thaliae & Melpomenes Musarum inventum esse, dum aliunde satis perspectum habeo, quantum ab origine mundi in orbe terrarum lusit, & etiamnum

Ludat in humanis divina potentia  
rebus.

Si humanam vitam attentius considero, meram cum Tullio *fabulam* video, quæ in quatuor ætates, veluti totidem actus, dispersita, brevi spectaculo totam hominis historiam quasi scenicè proponit, ut in se ipso præ reliquis observavit Augustus Imperator, qui postquam intra 56. annos quibus Romano præfuit Imperio, multa præclarè egisset, tandem ipsam agens animam, à circumstantibus quasivit: nunquid belle in hoc communi vitæ theatro partes meas egi? quibus respondentibus: *belle*; subiecit, *ergo valete & plaudite*, & cum dicto vixit. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis*, dicebat Apostolus; quamvis & Mundum ipsum paulò post *fabulam* vocet, cum ait: *præterit figura huius Mundi*. Fabulæ plerumque constant versibus, hi pedibus. Et quid universum hec nisi quidam numeris constans versus, nisi quæ-

dam ingeniosa Dei fictio? nam ubi Latini legunt: *ipsius enim & genus sumus*, Græcus habet: *ipsius poemata sumus*. Pedes verò in hoc Poëmâte non est curam multum requiramus, quippe ut acutè non nemo lusit: *Mundus aliud non est, quàm choræus, constans longa fatigatione, & brevi mercede*. Qui choræus septies multiplicatus nonne justum carmen choraicum efficiet? Septem enim ætatibus mundum distingui Chronologorum receptissima fert opinio. Diversimodè hoc genere carminis hucusque lusum, tot tantæque rerum ac Regnorum revolutiones, ceu totidem scenæ, satis superque testantur. Sed maximè universalis ac publicus actus erit ille, qui sub Universitatis creatæ feriis, finitisque mortalium studijs in theatro vallis Josaphat celebrabitur, in quo ut postmodum personam nostrâ belle agamus, jam nunc tempestivè præmeditari, & nos ipsos pro hoc actu veluti probare incipiamus. Iudicij enim extremi meditatio D. Basilio teste, optimus est *pedagogus ad exercendam pietatem*.

Qui ludos & Comœdias apparant, Antejudicij extremi inflationis prænuncias, quarum sono & convocetur spectator, & ad spectandum attentus efficiatur. Sic Judæis divinitus olim præceptum fuerat: *si quan-*

Cal. Rhodig. l. 13. c. 34.

Cic. de senect.

1. Cor. 4. 9.

1. Cor. 7. 31.

Ab. 27. 28.

Binett in schola agr.

Basili. in c. 1. 1. 1.

I.

Antejudicij extremi inflationis prænuncias, quarum sono & convocetur spectator, & ad spectandum attentus efficiatur. Sic Judæis divinitus olim præceptum fuerat: *si quan-*

*Num. 10.* si quando habebitis epulum, & dies festos, & Calendas, canetis tubis. Et Moyse: fac tibi duas tubas argenteas, quibus convocare possis multitudinem. Daturus in scenam novissimè Deus totam Mundi historiam, ante omnia Tubicines suos canere jubebit; nam, ut ait Evangelista, mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt universos homines à quatuor ventis, id est toridè Orbis partibus. Et Ecclesia in funebri hymno: tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum, coget omnes ante

*Anselm. in thronum.* D. Anselmus tamen non unam, sed plures tubas fore existimat.

*Chrysohom. in 1. Thess. c. 4.* Et D. Chrysostomus: tunc, inquit, erit & vox Archangeli precipientis Angelis, & clamantis, & tubæ, vel potius tubarum sonitus. Sed quis ille & qualis sonitus? quæ illa magna vox & clamor? surgite

*Ioan. 5. 28.* mortui, venite ad iudicium. Surgite, qui in monumentis hæcenus habitastis, surgite qui in pulvere terra dormivistis,

*Dan. 12. 2.* evigilate de cineribus, levate calvarias, carnem resumite, corpora reinduite, prodite de cryptis, exite de cavernis; procedite in theatrum, causam quisque vestram dicite, conscientiarum rationem date, ad tribunal Christi properate. O sonum terribilem, omni que tonitru bellicoque tormento potentiorum!

*Doglion. in Venet. hist.* Refert Venetus Scriptor, cum anno 1569. Venetijs incerto autore rumor sparsus fuisset, urbem eo tempore ruituram, multi que hoc rumore perterriti conscientias suas pro sacro poenitentiarum tribunali expiarent, inter hæc nocte quadam profundum dormientibus incolis, in armamentario civitatis ab unde unde incidente flamma pulverem

pyrium correptum. Repentè totum, coelum & urbs universa ardere visa: bombusque tam ingens & horribilis erupit, ut Autor affirmet, usque ad centum millia passuum, nempe in Histria exauditum esse. Porro ad sonum horribilem expergefati incolæ, omnes è stratis certatim exilire, trepidare animis, metuque tantum non exanimari, supremam illam noctem adesse rati, de qua in Evangelio: *media nocte clamor factus est, ecce sponsus simul & Judex venit, exite obviam ei.* Potuit sonus hic tam procul diffundi, quid mirum Angelicam tubam per universam terram exauditum iri? potuit fragor ille ruentium domorum tantum horrorem incutere, quantus tremor est futurus, quando tota Mundi ruet machina, & omnia elementa igni consumentur? *Fingamus itaq; sermone, inquit Chrysostomus, jam illud adesse. Si enim civitatum motus, & reliqua mina animos nostros ita concutiunt: quando viderimus terram diruptam, quando audierimus tubam, quando vocem illam Archangeli quavis tuba clariorè perceperimus, quando coelum hoc undiq; sursum evectum & contractum, quando ipsum adventantem Deum Regem omnium viderimus, quis tum nobis animus erit? Multi certè se à collibus & montibus tunc obrutos mallent, sed uti apparere intolerabile, sic latere erit impossibile.*

Et jam diductis cortinis totum aperitur theatrum, jam undique revelatur scena, recluduntur sepulchra, referantur cryptæ, colliduntur ossa, strepit omnium murmure terra; jam ex eodem cæmeterio sine discrimine procedit pauper

Matth. 25.

hom. 8. in epist. 1. ad Thes.

II.

Aperietur Scena &amp; Personæ prodibunt

pauper & dives, nobilis & ignobilis, Princeps & rusticus, Dominus & servus. *Potentissimi quondam Reges* (verba sunt Hieronymi) *nudo pectore palpitant: exhibetur cum prole sua Venus, ignitus adducitur Iupiter, & cum suis stultus Plato discipulis.* Prodit elinguis Tullius, Aristoteli ad latendum argumenta non profunt, comparet inermis Alexander, sine clava ascendit Hercules, sine victrici lauro Cæsar progreditur, sine fascibus Brutus, sine servulis Milo, sine clientibus Mæcenas, sine adulatoribus Domitianus, sine amicis Titus, sine milite Diocletianus: denique ad unum omnes manifestari oportet ante tribunal Dei, latere est impossibile, apparere intolerabile, & adeo intolerabile, ut nonnemo antiquorum Patrum dixerit: *si possibile esset in adventu Dei post resurrectionem, pra timore interire animas hominum, omnis Mundus moveretur, à terrore atq, formidine.*

2. Cor. 5. 10.

Vit. PP. l. 5  
tit. de Compunct.

III.  
Distribue-  
tur Syno-  
ples.

Apo. 20. 11

D. Thom.  
addit. q. 87.  
art. 1.

Sed en quos hinc inde cum chartis obire video Genios? quid isti quos distribuunt libelli portendunt, aurati alij, alij atrati? Non est cur diu examinem. Synopses sunt, actionis argumentum, & seriem compendio describentes; de quibus ita ocellus Domini Joannes: *vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui, ex his que scripta erant in libris secundum opera illorum.* Doctor Angelicus per libros intelligit conscientias: *conscientia, inquit, singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus iudicium & actio procedet.* Hic unicuique totam vitæ alterius historiam licebit legere, hinc se-

cretissima & occultissima cordium evulgabuntur: tunc apparebit, quàm quisque bene vel malè vixerit, tunc omnes spurcæ cogitationes innotescunt, tunc Mundo toti manifestabitur, quid hic illève Adolefcens in tali domo, in tali angulo obsceni patraverit, quos turpes tactus, & nefandas libidines exercuerit; quid cum hac illève puella secretò locutus sit; quoties cum ea animum peccandi habuerit, quæ munuscula & donaria, quales epistolas miserit, tunc apparebit. Davidi post commissum adulterium dicebat Dominus per Prophetam: *tu fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.* O quantus pudor, quanta confusio! Nemo est tam impudens, tamque vecors, inquit nonnemo, sua ut maleficia & intimi animi labes in clarissimorum hominum oculis poni velit. Eruescimus non parùm, si quis peccata & confessionem nostram de charta legat; & idcirco ne in manus aliorum facile deveniat, eam statim ubi è confessionali exivimus vel laceramus, vel flammis injicimus. Imò multi vel ipsi Sacerdoti turpitudines suas occultas clarè pandere verecundantur, & propterea nescio quibus ambagibus, ænigmatibus & terminis improprijis interconfitendum utuntur, ut magis remobscurent, quàm explicant. Quid quòd repertus sit vir locuples & magni nominis, qui occultum quodpiam facinus confessario aperire morte pejus ducebat? Inaudierat fortè Antverpiæ *Crombec.* neminem teneri ea peccata confiteri, *de studio* quæ memoriâ excidissent. Ergo nihil *perfect: l. 2.*

2. Reg. 12.  
12.

X x

non cap. 2.

non molitus est, ut peccatum procura-  
ta oblivione sepeliret. Ivit per varia  
voluptatum genera miserandæ venator  
oblivionis; sed in cassum cecidere om-  
nia. Abit igitur in externas regio-  
nes; sed secum portat testem conscien-  
tiam. Animum fluctuantem ad stu-  
dia appellit, & potissimum quæ totum  
hominem petunt, ut Mathesis; sed &  
hoc frustra. Audit tandem peccata  
contritione deleri. Ergo ad bona o-  
pera tanquam ad sacram anchoram  
confugit, dormit in cinere & cilicio,  
multam erogat eleemosynam: sed  
neque hoc remedio vulnus sanari po-  
tuit. Actus ad extrema, certusque  
mori, violentas sibi manus apparat,  
nocte sequenti malo finem inventurus.  
rhedam conscendit, domum à qua  
tum aberat, & in qua funestæ tragædiæ  
locum designarat, ea luce reperit. In-  
terim felici sorte occurrit de via unus  
aliquis è Societate Jesu Sacerdos, quem  
Dominus ex rheda conspicatus, pro ea  
quæ erat humanitate, ad se protinus in-  
vitat, vincitque recusantem importu-  
nitate. Assumptus in rhedam Pater,  
ut religiosè tempus falleret, ad con-  
fessionem delapsus est. Tetigit ea ho-  
minis ulcus, qui stomachabundus, quid  
ais? inquit, unde me nôsti? Cui Pater,  
nusquam ego antea te vidi; sed nos ex  
instituto moreque nostro ejusmodi ser-  
mões miscere solemus, ne alijs minus  
utilibus diem teramus. Ne igitur  
mireris hæc à me dicta, nisi fortè sit  
aliquid in quo te juvare, possim. Ju-  
veris, inquit ille; sed quid si confiteri  
renuam? Ratus pater cedendum esse  
tempori, pio dolo hominem capit,

spondetque se sine confessione reme-  
dium allaturum. Arripit ille condi-  
tionem, & ad acerba quæque sese abij-  
cit. Ergo Pater medicinam facere  
adorfus, cum domum appulisset, jubet  
epulum instrui, monetque ut se totum  
hilaritati dedat. Postridie verò quæ-  
dam meditationis puncta proponit,  
quæ ad excitandam in Deum fiduciam  
facerent, tum examen conscientia, non  
ut confiteatur, sed eò tantum, ut pec-  
cata in memoriam revocet, & de singu-  
lis doleat. Tum denique in vicinam  
silvam educit, rogatque num bene  
conscientiam excusserit, & ne quid  
fortè præterijisset, sciscitatur ex illo  
quædam, & per atrociam quæque pecca-  
torum genera delabitur tandem bono  
numine, illudque ipsum, quod angebat,  
scelus attingit. Ibi perturbatus mi-  
ser, & horrore concussus: illud, illud,  
inquit, est triste, infandum, quod elo-  
qui non audeo. Tum Pater; jam, ait,  
confessus es, neque pluribus opus nisi  
ut cetera prodas. Fecit, prodidit, &  
sic tandem onere illo levatus est. Tam  
grave erat huic homini coram uno Pa-  
tre in silva, sine arbitris & testibus, sub  
sigillo secreti gravissimo crimen suum  
manifestare: quid igitur tum illi fa-  
cient, qui in omnium hominum & An-  
gelorum cætu producentur in medium,  
*ut furia infames, ut dehonestamentum  
hominis Christiani, ut piacula scelerata?*  
Magnus Basilius pudorem illum & cõ-  
fessionem ait fore ipsis Inferni flammis  
horribiliorem. Causamque subjicit;  
*quippe homines conscelerati, qui maleficia  
sua nec divinis Sacramentis, nec dolore  
deleverint, ferent in corpore turpitudi-  
nem,*

Basil. in Ps.

7.

*Tertul. l. 4. in Marc.* nem, & formas eorum qua nequiter operati sunt, impressas. Tertullianus vocat stigmata delictorum.

IV. Personæ suis distinguuntur signis.  
In Comœdijs unaquæque Persona habet suum signum, per quod discernatur. Sic Persona Palladis per hastam & agida, Persona Jovis per fulmen, Mercurij per caduceum, Apollinis per lyram, &c. agnoscitur. In amplissimo illo Mundi universi theatro facile erit discernere, quam quisque Personam agat, siquidem unumquemvis sua signabunt opera. Hic primo aspectu patebit, quis superbus, quis avarus, quis invidus fuerit: hic digitis omnium ostendi poterit libidinosus, ebriosus, fur, homicida; hic perversus aliquis adolescens omnium fabula & risus fiet, quando de eo ubiq; hic sermo volabit: ecce iste qui bene coepit ædificare, sed non potuit consummare; ecce, qui manum suam misit ad aratrum, & respexit retrò; ecce, qui tam ferventia proposita Deo serviendi parturiebat, & nunquam peperit; ecce, qui Religiosus fieri volebat, & factus est meretricarius. *Ferent, singuli in corpore turpitudinem, & formas eorum, qua nequiter operati sunt, impressas.*

V. Vestibus.  
*Thō. Kem. de imitat. Christi, l. 2.* De vestitu Actorum non est quod multrum dicam, siquidem teste religiosissimo scriptore: tunc splendebit habitus vilis, & obtenebrescet vestis subtilis.

6. 24.

Pulcherrimè tunc vestitus in theatrum procedet, qui vivens simplicissimè incessit. Tunc Pauli Eremitæ sportea, tunica, tunc Hilarionis saccus, tunc Cæciliæ cilicium, tunc Francisci Seraphici vilis lacernula, tunc Xaverij rudis fotana omnium in se convertent oculos: interim vili fiet epulonis purpura, pedibus regia terentur paludamenta, Sardanapali ridebitur luxus, Jezabelis conspuetur mundus. Tunc divinus dicet Judex: *Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est. Quem disoip. & falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti. Expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est; Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit; sed quos Diabolus infecit. Illum tu selectata es, rutilos atq; depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura.* Denique omnis hujus sæculi ornatus ad nihil ultra nisi ad flammam valebit; id quod venustè symbolo suo expressit Martinus V. Summus Pont: cum in succenso rogo Ducum mitras, Regum diademata, sceptra, aliaque id genus honorum insignia pingi fecit, subjecto

lemmate: Sic omnis  
Mundi gloria.  
✠





# INDEX THEMATVM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>Dominica I. Adventûs.<br/><i>Eclipsis divini Verbi.</i> p. 1.</p> <p>Dominica II. Adventûs.<br/><i>Mollis vestitus minimè humanus.</i> p. 6.</p> <p>Dominica III. Adventûs.<br/><i>Honorum fuga, tutissima ad honores via.</i> p. 11.</p> <p>Dominica IV. Adventûs.<br/><i>Cuna &amp; fascia Salvatori nascituro preparantur.</i> p. 17.</p> <p>Dominica Inf. Oct: Nativ: D. N.<br/><i>Rari crescentes.</i> p. 22.</p> <p>Dominica I. post Epiphaniam.<br/><i>IESVLVS Artium &amp; Philosophia Magister.</i> p. 27.</p> <p>Dominica II. post Epiphaniam.<br/><i>Triples haustus propinatur: sanitatis, amoris, &amp; somni.</i> p. 33.</p> <p>Dominica III. post Epiphaniam.<br/><i>Gravissima servitus proprijs cupiditatibus servire.</i> p. 37.</p> <p>Dominica IV. post Epiphaniam.<br/><i>Navigatio literaria.</i> p. 43.</p> <p>Dominica V. post Epiphaniam.<br/><i>Emblema peccatoris dormientis.</i> p. 49.</p> <p>Dominica VI. post Epiphaniam.<br/><i>In parvitate magnitudo.</i> p. 54.</p> | <p>Dominica Septuagesimæ.<br/><i>Hominis finis Deo operari, in quacunq; aetate.</i> p. 60.</p> <p>Dominica Sexagesimæ.<br/><i>Dei lusus cum hominibus.</i> p. 67.</p> <p>Dominica Quinquagesimæ.<br/><i>Bacchanalia tempus Passionis.</i> p. 73.</p> <p>Dominica I. Quadragesimæ.<br/><i>Quadragesima tempus certaminis.</i> p. 79.</p> <p>Dominica II. Quadragesimæ.<br/><i>Damon Geographus, Christus Astrologus.</i> p. 86.</p> <p>Dominica III. Quadragesimæ.<br/><i>Peccator domus Diaboli.</i> p. 91.</p> <p>Dominica IV. Quadragesimæ.<br/><i>Deus panibus, Mundus suos carnibus pascit.</i> p. 97.</p> <p><i>Cantus Miserere, Cœlitibus est Latitare.</i> p. 102.</p> <p>Dominica Passionis.<br/><i>In morte latitia.</i> p. 107.</p> <p>Dominica Palmarum.<br/><i>Mundi gloria festum ramorû.</i> p. 113.</p> <p>Dominica Resurrectionis.<br/><i>Christi resurrectio nostra reviviscentia.</i> p. 119.</p> <p>Dominica in Albis.<br/><i>Catholico-Hæreticus.</i> p. 125.</p> <p style="text-align: right;">Domi-</p> |
|---|---|

INDEX THEMATVM.

- Dominica II. post Pascha. *Mundi dulcedo in spinis.* p. 225.  
*Pædagogum munus divinum.* p. 130. Dominica VIII. post Pentec:  
 Dominica III. post Pascha. *Genus deliberativum explicatur.*  
*Vita hominis horologium.* p. 137. p. 233.  
 Dominica IV. post Pascha. *Humanos favores ambire, est ven-*  
*Veritas oppugnata.* p. 142. *tos mercari.* p. 240.  
*Luxuria per antonomasiam pecca-* Dominica IX. post Pentecost.  
*tum.* p. 149. *Lacrymæ Christi, lacrymæ amoris.*  
 Dominica V. post Pascha. p. 246.  
*Oratio ars cytharizandi.* p. 154. *Deus plorat, dum videmus; gaudet,*  
 Dominica VI. post Pascha. *dum flemus.* p. 251.  
*In persecutione obsequium.* p. 160. *Quomodo Deus homines visitet.*  
 Dominica Pentecostes. p. 256.  
*Spiritus S. vivificans & generator.* Dominica X. post Pentecost:  
 p. 166. *Omnis superbus monstrum.* p. 261.  
 Dominica Trinitatis. *Triplex superborum valetudinari-*  
*In circulo perfectio.* p. 172. *um.* p. 267.  
*Deus ad amicitiam naturæ suæ pro-* Dominica XI. post Pentecost:  
*pendet.* p. 177. *Aurium vellicatio.* p. 273.  
 Dominica II. post Pentecosten. Dominica XII. post Pentec:  
*Christus in SS. Eucharistia officia* *Peccata, eorumq; occasiones pessimi*  
*boni hospitis explet.* p. 183. *animæ latrones.* p. 278.  
 Dominica III. post Pentecost: Dominica XIII. post Pentec.  
*Christus mercator animarum.* p. 190. *Balneum leproforum.* p. 284.  
 Dominica IV. post Pentec: Dominica XIV. post Pentec:  
*Piscatio Mundi.* p. 196. *Deo servire vera libertas.* p. 289.  
*Ars capiendi homines.* p. 202. Dominica XV. post Pentec.  
 Dominica V. post Pentec: *Testamentum anni scholaris mori-*  
*Ira stultitiæ soror.* p. 209. *entis.* p. 295.  
 Dominica VI. post Pentec: Dominica XVI. post Pentec:  
*Prandia sicca maxima hospitalitatis* *Invidus malè videns.* p. 300.  
*argumentum.* p. 215. Dominica XVII. post Pentec:  
 Dominica VII. post Pentec: *Solus Deus verum ac genuinum*  
*Lingua politica falsa pectoris cla-* *amoris objectum.* p. 305.  
*vis.* p. 220.

Domī-

INDEX THEMATVM.

Dominica XVIII. post Pentec:	<i>Quomodo infirmi portandi.</i> p. 310.	Dominica XXII. post Pentec:	<i>Homo Dei numisma.</i> p. 333.
Dominica XIX. post Pentec:	<i>Nuptie non maturanda.</i> p. 316.	Dominica XXIII. post Pentec:	<i>Virgines sunt immortales.</i> p. 338.
Dominica XX. post Pentec:	<i>Principium vite, principium mor- tis.</i> p. 321.	Dominica XXIV. post Pentec:	<i>Iudicium extremum, universalis Fabula ac Tragadia.</i> p. 343.
Dominica XXI. post Pentec:	<i>Peccati debitum gravissimum.</i> p. 327.		

☞): (☞

F I N I S.



# PROTESTATIO A V T H O R I S.



Um S. D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martij, 1625. Decretum ediderit, idemq; confirmavit die 5. Julij 1635. quo inhibuit imprimi libros, hominum, qui sanctitatis seu Martyrij famâ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine cognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hæctenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censi approbata.

Idem autem Sanctissimus die 5. Junij 1641. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione, quòd nulla eis adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes authorem.

Huic decreto ejusq; confirmationi & declarationi, observantiâ, ac reverentiâ, quâ pars est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in his Allocutionibus ejusmodi miraculorum, revelationum, gratiarum, & virtutû refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo solent, quæ humanâ duntaxat, non autem Catholicæ Rom. Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ auctoritate nituntur: eos tantummodo pro Sanctis & Beatis accipiendo, quos eadem S. Sedes Sanctorum Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

PROFESSOR  
MATHESIS

WESTPHALIA

1710

1711

1712

1713

1714

1715

1716

1717

1718

1719

1720

1721

1722

1723

1724

1725

1726


1727

1728

1729


1730













Th  
3005